Digitized by Google

7 · 6 · 260

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JURIS ECCLESIASTICI

PRÆLECTIONES

A VINCENTIO LUPOLI

NEAPOLITANO U. J. ANTECESSORE,

NEC NON

REGIÆ CIVITATIS NEAPOLITANÆ THEOLOGO

IN USUM

Auditorum ſuorum concinna, novaque methodo

QUATUOR TOMIS COMPREHENSÆ, ET NOTIS ILLUSTRATÆ,

Quibus & mutationes Diſciplinæ edocentur, ac Dogmata ipſa Religionis paſſim vindicantur.

TOMUS TERTIUS.

LIBER II. DE REBUS.

Editio Veneta ad Neapolitanam ex Auctore ipſo caſtigatior & correctior.

BASSANI MDCCLXXXVII.

PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

Digitized by Google

-60

Digitized by Google

INDEX

CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM

TOMI III.

CAPUT I.

De ſacramentis in genere.

§. I. Triplex apud Canonum peritos *Rerum* diviſio. Quænam illa apud nos, quive totius Libri ordo, edocetur. *pag.* 13
§. II. Error Calvini de vera *ſacramenti* notione. 14
§. III. Confutatur. 15
§. IV. Ex differentia inter veterem, & novam legem, idem demonſtratur. 18
§. V. Calvinus falſus Apoſtoli interpretator. 21
§. VI. Catholica *ſacramenti* definitio. 23
§. VII. Ad ſacramenti perfectionem tria prorſus requiruntur. 25
§. VIII. Vera Auguſtini ſententia circa formam ſacramentorum a Calvino obnubilatur. 28
§. IX. Eadem contra eumdem Calvinum illuſtratur. 29
§. X. Chriſtus auctor fuit ſacramentorum. 31
§. XI. Fide conſtat, Baptiſmum, & Euchariſtiam per ſe *immediate* a Chriſto inſtituta fuiſſe. An idem de ceteris ſacramentis dicendum ſit, diſquiritur. 32
§. XII. Ratio *congruentiæ* ex S. Thoma adſertur, cur nec plura ſeptem, nec pauciora, a Chriſto inſtituta ſint ſacramenta. 35
§. XIII. Plura, quibus certa quæque ſacramenta inter ſe invicem differunt, expediuntur. 36

CAPUT II.

De Baptiſmo.

§. I. Joannis Jacobi Ruſſoii, Philoſophi Genevenſis, de peccato originali, & de Baptiſmo, deliramenta. 38
§. II. Eadem deridentur. 42
§. III. Martini Kemnitii, Theologi Lutherani, contra Tridentinos Patres, qui ex Decreto de peccato originali, immaculatam Virginem excipiendam voluere, accuſationes. 54
§. IV. Diſpelluntur. 55
§. V. Sententia immaculati Deiparæ conceptus confirmatur. 57
§. VI. In lege Naturali, fides in venturum Mediatorem, libero ſigno ſenſibili manifeſtata; in Moſaica, eadem fides per circumciſionem expreſſa; in Evangelica, ipſe per ſe Baptiſmus, a peccato eximit originali. 68
§. VII. Definitio Baptiſmi. Plura circa illius materiam, & formam explanantur. 73
§. VIII. Philippi a Limborch, inter Hæreticos *Remonſtrantes* Theologiæ Profeſſoris, contra neceſſitatem Baptiſmi argumenta. 78
§. IX. Rejiciuntur. 79
§. X. Calvini, Pelbarti de Themeſwar, & Æthiopum circa eamden Baptiſmi neceſſitatem errores. 83
§. XI. Profligantur. 85
§. XII. Andreæ Pit, Londinenſis, e ſecta Quakerorum, ridiculæ contra veritatem Baptiſmi illuſiones. 87
§. XIII. Multa de filiis Hæreticorum & Infidelium inquiruntur. Duplex Benedicti XIV. Conſtitutio laudatur. 91
§. XIV. Nonnulla de Baptiſmi miniſtris adferuntur. 93
§. XV. Triplex Baptiſmi effectus exponitur. 97
§. XVI. Volterius reprehenditur. 98

CA-

CAPUT III.

De Confirmatione.

§. I. Confirmationem eſſe verum novæ Legis ſacramentum, contra Calvinum, & Dallæum demonſtratur. 102
§. II. Contra adlatum Lucæ textum VII. Joannis Dallæi argumenta. 104
§. III. Eadem refutantur. 106
§. IV. De tempore inſtitutæ Confirmationis, ac de materia, & forma ejuſdem, aliqua enucleantur. 110
§. V. De miniſtro, ſubjecto, & effectu Confirmationis pauca traduntur. 116

CAPUT IV.

De Euchariſtia.

§. I. In ſecunda veſpera Lunæ XIV. menſis Niſan, pridie mortis, Paſchali cœna celebrata, Chriſtus Euchariſtiam inſtituit. Quædam quoad materiam, formam, & veritatem ipſius, breviter obſervantur. 119
§. II. Guilielmus inter Proteſtantes Miniſter caſtigatur. 123.
§. III. Miniſter ordinarius diſpenſandæ Euchariſtiæ ſolus epiſcopus, & ſacerdos eſt, extraordinarius diaconus. De communione ſub utraque ſpecie, ejus neceſſitate, & effectu, quædam attinguntur. 127
§. IV. Euchariſtiam verum eſſe novæ Legis ſacrificium contra Novatores propugnatur. 132
§. V. Quadrupliciter ſacrificium diſtinguitur; quod ſancte etiam pro defunctis offertur. 134
§. VI. Bolingbrokius mendacii redarguitur. 136
§. VII. Inſigniores quædam Benedicti XIV. Conſtitutiones recenſentur. 138

Digitized by Google

CAPUT V.

De Pœnitentia.

§. I. Pœnitentiæ ſacramentum Chriſtus inſtituit, ubi Apoſtolis remittendi, & retinendi peccata poteſtatem, in *forma judicii*, delegavit. 142
§. II. Falſo adſeveravit Volterius, ſacramentum Pœnitentiæ VI. ſæc. inſtitutum fuiſſe. 144
§. III. Circa materiam, & formam Pœnitentiæ aliqua proponuntur. 146
§. IV. Cyprianus illuſtratur, Volterius emendatur. 151
§. V. Soli ſacerdotes ſunt Pœnitentiæ miniſtri. Pauca de juriſdictionis, & reſervandorum caſuum poteſtate ſubnectuntur. 157
§. VI. Conſtitutiones quædam Benedicti XIV. 158
§. VII. Ex triplici jure deſcendit ſigillum confeſſionis. Volterius, Baro *de Bielfeld*, & Anglus eques Cornsburius impugnantur. 160

CAPUT VI.

De Extrema Unctione.

§. I. Extrema Unctio eſt verum novæ Legis ſacramentum, ab Apoſtolis in curandis infirmis adumbratum, a Chriſto poſt Reſurrectionem inſtitutum, a Jacobo promulgatum, & commendatum. 164
§. II. Syſtema Joannis Dallæi. 165
§. III. Refellitur. 167
§. IV. Reliqua, quæ ad hoc ſacramentum pertinent, expenduntur. 170

CAPUT VII.

De Ordine.

§. I. Apoſtoli in ultima cœna ſacerdotes inſtituti. Ordo eſt verum novæ Legis ſacramentum. 172
§. II. De materia, forma, miniſtro, ſubjecto, & effectu Ordinis, multa breviter diſcutiuntur. 173
§. III. Contra Petrum Franciſcum Courayerum, ordinationes epiſcoporum Anglicanorum ex Rituali Eduardi VI. invalidas eſſe oſtenditur. 176
§. IV. Fundamenta ſententiæ Courayeri. 179
§. V. Evertuntur. 181
§. VI. De ſingulis Ordinis ſpeciebus. Epiſcopatus eſt ſacramentum a Presbytetatu diſtinctum, eique divinitus præſtat. 183
§. VII. Calvini argumentum a ſententia Hieronymi petitum. 186
§. VIII. Epiſcopi *presbyteri* etiam dicti. Quonam autem ſenſu, & quæ hac in re fuerit vera Hieronymi ſententia, aperitur. 187
§. IX. Davidis Blondelli pro Hieronymi ſententia exceptiones. 191
§. X. Depelluntur. 192
§. XI. Presbyteratus ſacramentum eſt. Quædam adponuntur. 194
§. XII. Diconatum ſacramentum eſſe contra Calvinum oſtenditur. Occaſio autem inſtitutionis a fine ejuſdem diſtinguenda. 196
§. XIII. Vox χειροτονια contra Calvinum explicatur. 198
§. XIV. Subdiaconatum, ceteroſque minores Ordines, non eſſe proprie ſacramenta, contra Bellarminum adſeritur. Quid tamen de iis ſentiendum. 200
§. XV. Pauca de ſubdiaconis, & inferioribus miniſtris ſubnotantur. 202

CAPUT VIII

De Matrimonio.

§. I. Matrimonium verum eſſe novæ Legis ſacramentum, contra Lutherum, & Calvinum demonſtratur. 203
§. II. De materia, forma, miniſtro, & effectu ſacramenti Matrimonii. 206
§. III. Cœlibatus in mundi exordiis interdictus, in lege Moſacia toleratus, in Evangelica commendatus, demum per Eccleſiam miniſtris ſuis ſapienter impoſitus. 207
§. IV. Auctoris lib. *Del matrimonio degli Eccleſiaſtici*, & Abbatis *de Saint-Pierre*, declamationes. 210
§. V. Contemnuntur. 213
§. VI. Polygamia *ſucceſſiva*, non *ſimultanea* permiſſa eſt. Quomodo veteribus Patriarchis plures ſimul habere licuit uxores, inveſtigatur. 216
§. VII. Multiplici jure Matrimonium eſt *indiſſolubile*, præcipue tamen ex ratione ſacramenti. 220
§. VIII. Quibus in cauſſis, & quonam modo Matrimonium ſolvi poſſit, nec ne, diſcutitur. 221
§. IX. De ſollemnitatibus, quæ Matrimonium præcedunt, ac primo de ſponſalibus. 227
§. X. De proclamationibus, & conſenſu parentum. 231
§. XI. De ſollemnitatibus, quæ Matrimonium comitantur, cujuſmodi conſenſus eſt contrahentium, & Parochi, ac teſtium præſentia. 234
§. XII. Impedimenta Matrimonii; *impedientia* alia, alia *dirimentia*. De *impedientibus* primum. 238
§. XIII. De impedimentis *dirimentibus*. 240

CA-

CAPUT IX.

De reliquiis & cultu ſanctarum Imaginum.

§. I. Joannis Tillotſoni Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Helvetii, inter Gallos Philoſophi, contra cultum ſacrarum imaginum impietates. 252

§. II. Quædam prænotantur. Catholica doctrina ex Tridentino. 254

§. III. Cultus reliquiarum auctoritate antiquorum monumentorum comprobatur. 256

§. IV. Ex antiquitatis monumentis pariter cultus imaginum propugnatur. 527

§. V. Contra Deiparæ cultum inania Tillotſoni argumenta. 259

CAPUT X.

De Eccleſiis Chriſtianorum.

§. I. Antiquitas, nomina, & vetus forma Eccleſiarum deſcribitur. 262

§. II. Utroque jure ad ædificandam Eccleſiam epiſcopi conſenſus requiſitus. Certæ ad illius erectionem cauſſæ. 264

§. III. *Dedicatio* proprie differt a *conſecratione*. De ea mentio apud antiquos. Pauca adjiciuntur. 266

§. IV. Quandonam reconſecranda, aut reconcilianda Eccleſia ſit. 268

§. V. Multa ad reparationem, ſepulturam, & cultum Eccleſiarum ſpectantia congeruntur. 270

CA-

CAPUT XI.

De monaſteriis, aliiſque locis piis.

§. I. Contra monaſticam, ac regularem profeſſionem, impiorum Philoſophorum, & Helvetii præſertim, indigna declamatio. 273

§. II. Origo, progreſſus, & principaliores monachorum Ordines recenſentur. 274

§. III. Monaſteria ab urbibus principio aberant, & monachi tum laici erant, tum nihil rerum immobilium poſſidebant. Haud ita hodie certis de cauſſis. 277

§. IV. Plerique monachi eſſe prohibentur. Quædam de monaſtica profeſſione. 279

§. V. Triplex profitentium votum. Aliqua de peculiis, & vitalitiis adnectuntur. 281

§. VI. Monachi omnino epiſcopis primum ſubjecti. Eorum exemtiones, quoad ſpirituale quoque regimen, ab ſæc. XII. Eædem deinde ex Tridentino temperatæ. 284

§. VII. Multa ad regulares ſpectantia monentur. 287

§. VIII. Potiora de monialibus indicantur. 290

§. IX. Quædam Volterii, aliorumque Philoſophorum criminationes contra monaſticæ vitæ inſtitutum diluuntur. 294

§. X. De Seminariis, Hoſpitalibus, & laicorum Congregationibus quædam delibantur. 297

CA-

CAPUT XII.

De bonis Eccleſiaſticis, eorumque immunitatibus.

§. I. Oblationibus, primitiis, decimis Clerici primum ſuſtentabantur. Per Œconomum bona Eccleſiæ epiſcopus adminiſtrabat. Multiplex ipſorum partitio. 301
§. II. Duplici ex cauſſa ceſſaſſe videtur canonica bonorum partitio. Eorumdem alienatio prohibita, aliquando etiam permiſſa. 303
§. III. A militia armata in ſacram voces *beneficium*, & *præbenda*, inveċtæ. Beneficii definitio explicatur. 306
§. IV. Nativo jure collatio beneficiorum ad epiſcopum ſpeċtabat. Varii deinde orti collatores, ac multiplex beneficiorum diſtinċtio. 308
§. V. Ab epiſcopo conferendum eſt beneficium per *patentes* litteras, intra tempus a Lege præſcriptum, non *habilibus* ſolum, ſed etiam dignioribus. 309
§. VI. Tridentinum quoad prælationem dignioris illuſtratur. 312
§. VII. Duo, aut plura beneficia *incompatibilia*, ex Tridentino habere non licet. 317
§. VIII. Licet quandoque per epiſcopum unionem fieri Eccleſiarum. Alia notantur. 319
§. IX. Nulla epiſcopis collationis poteſtas in beneficia *reſervata*, aut *commendata*. 320
§. X. Varia quæpiam breviter perſtringuntur. 324
§. XI. Definitio, origo, & multiplex juriſpatronatus diviſio. 325
§. XII. Variæ inter patronum Eccleſiaſticum, & laicum differentiæ. Modi, quibus juſpatronatus adquiritur, exponuntur. 327
§. XIII. Quibus modis juſpatronatus transfertur, vel amittitur. Jura patroni recenſentur. 331
§. XIV. Loca ſacra, bona Eccleſiaſtica, ac perſonæ, ſuis gaudent immunitatibus. 333

Digitized by Google

JURIS ECCLESIASTICI

LIBER II.

DE REBUS.

CAPUT I.

De ſacramentis in genere.

. Triplex apud Canonum peritos Rerum *diviſio. Quænam illa apud nos, quive totius Libri ordo, edocetur.*

A Personis, de quibus hactenus ediſſeruimus, ad Res gradum nunc facere oportet. Tripliciter eæ vulgo dividi ſolent, ut aliæ ſint *ſacræ*, puta, divino cultui per legitimum miniſtrum deſtinatæ; *ſanctæ* aliæ, quas nefas eſt violari, pœna in violatores ipſos indicta, quo ſenſu leges ita etiam adpellantur; & *religioſæ* denique, quas Religio occupavit, quo nomine ea loca uſurpantur, in quæ cadaver jure illatum eſt. Sed nihil de his, de quibus alibi fuſius (*a*). Porro Res, de quibus hoc Libro dicturi ſumus, ſunt quæ a Religione conſecratæ, adminiſtrationi, curæ, atque uſui Eccleſiæ potiſſimum reſervantur, quas generali vocabulo *ſacras*, ſeu *Eccleſiaſticas*, hic placet nominare. Quæ quidem multipliciter conſiderari poſſunt. I. Vel enim

ita

(*a*) In noſtris *Juris Imperialis Prælect.*

Digitized by Google

ita divinitus comparatæ ſunt, ut earum miniſterio gratia conferatur, atque hæc ſunt ſacramenta. II. Vel cultum quemdam religioſum requirunt, ut reliquiæ, imagines ſacræ *&c.* III. Vel Religionis exercitiis ſpecialius addictæ ſunt, qualia ſunt templa, altaria, *&c.* IV. Vel fovendis pietatis operibus maxime inſerviunt, atque hujuſmodi ſunt monaſteria, ac loca pia. V. Vel Eccleſiaſticorum miniſtrorum ſuſtentationi deſtinantur, & in hunc cenſum veniunt bona omnia Eccleſiæ, quæ propterea *immunitatibus* donantur. Hæc quum ita ſint, ſatis liquet, cui ordini, Rerum tractationem proſequentes, inſiſtamus. A ſacramentis itaque, quæ præ Rebus omnibus diviniora, ac digniora ſunt, Deo dante, exordiemur.

§. II. *Error Calvini de vera* ſacramenti *notione.*

SOLENT belli duces, certas urbes, aut arces expugnaturi, leviora ante miſcere præliola, incurſiones paſſim facere, hoſtem utcumque laceſſere. Ecce nunc tibi maleferiata Proteſtantium manus in idem plane videtur deſcendiſſe conſilium. Quum enim ſingula quæque ſacramenta omni mox impetu adgreſſura ſit, eorumdem interim veritatem, dignitatemque, minoribus veluti armis proludens, primum omnium indiſcriminatim oppugnat. A nomine interea ipſo *ſacramenti* bellandi initium faciens, nihil illa eſſe deblaterat, niſi *ſigna*, *pignora*, *ſymbola*, ac *teſtimonia* quædam, quibus non ad conferendam re ipſa gratiam, ſed ad obſignandas conſcientiis noſtris promiſſiones ſuas, utatur Deus. Quod idem eſt, ac dicere, ſacramenta non eſſe ſigna continentia, & *cauſantia* gratiam, quemadmodum Catholici docent; ſed tantum *rememorativa* divinarum promiſſionum, quas nempe Fidelibus in memoriam revocant, confirmantque. Juvabit ipſum impietatis anteſignanum Calvinum audire (*a*): *principio animadvertere convenit, quid*

(*a*) *Inſtit. Chriſt. Relig. lib.* IV. *cap.* XIV. *num.* 1. Nullibi,

quid ſit ſacramentum. Videtur autem mihi hæc ſimplex, & propria fore definitio, ſi dixerimus externum eſſe ſymbolum, quo benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſiones conſcientiis noſtris Dominus obſignat, ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem. Et poſt pauca (*a*): *licet etiam majore compendio aliter definire, ut vocetur divinæ in nos gratiæ teſtimonium, externo ſigno confirmatum, cum mutua noſtræ erga ipſum pietatis teſtificatione.* Tum inferius (*b*): *magno enim conſenſu Sophiſticæ Scholæ tradiderunt, ſacramenta novæ Legis,* h. e. *quæ nunc in uſu ſunt Chriſtianæ Eccleſiæ, juſtificare, & conferre gratiam, modo non ponamus obicem peccati mortalis. Quæ ſententia dici non poteſt, quam ſit exitialis, & peſtilens ... Plane certe diabolica eſt.*

§. III. *Confutatur.*

Sed magna hominis audacia, major pertinacia! Ut enim falſum aliud dogma, Chriſtianos ſcilicet per ſolam fidem juſtificari, tueretur (*c*), impietatem impietate,

---

ſibi, quam in *cit. cap.* XIV. & quinque aliis *ſeqq.* Calvinus contra ſacramenta furere magis videtur. Inde illius aſſeclæ, qua antiquiores, qua recentiores, virus hauſerunt, & propinarunt. Nos propterea, de ſacramentis acturos, non pigebit cum athleta hujuſmodi ſæpius, quam cum cæteris, colluctari.

(*a*) *Ibidem cit. num.* 1.

(*b*) *Ibidem num.* 14.

(*c*) Unam fidem eſſe ad juſtificationem neceſſariam jactant Novatores, qua quis nimirum certo credat ſe eſſe prædeſtinatum, ſibique promiſſiones divinas adplicari; adeo ut Lutherus *lib. de Captiv. Babylon.* quemadmodum *Tom.* I. *pag.* 66. innuimus, ſola infidelitate Chriſtianum damnari poſſe adfirmarit. Falſo huic principio errores alii ſuperextruuntur, nemini ſcilicet peccata etiam graviſſima attribui, quamdiu fidem retineat; juſtitiam ſola diffidentia amitti; quodlibet peccatum, quod alicui imputetur, ſecum infidelitatem habere conjunctam; hominem, qui fide hujuſmodi inſignitur, nec Eccleſiæ legibus ſubjici, nec ſacramentis, quæ eumdem gratia donent,

tate, aut potius ſtultitiam (*a*) ſtultitia cumulavit. Satis autem conſtat, ita Chriſtum ſignis quibuſdam *viſibilibus inviſibilem* ſuam gratiam attexuiſſe, ut ea, ubi obicem non inveniant, ſanctitatem, ac juſtitiam per ſe ipſa operentur, ſeu, ut Scholæ inquiunt, *ex opere operato* (*b*) producant. Quid enim ſibi velint verba Chriſti

---

nent, indigere. Jam talem doctrinam proſcripſit Tridentinum *Seſſ.* VI. *de juſtificat. Can.* IX. XII. & XIII. graviſſimique Theologi, ubi *de Gratia* agunt, falſitatis eam evidenter redarguunt, oſtenduntque per ſolam caritatem hominem juſtificari, aut, ſi quando in Scripturis ipſi etiam fidei juſtificatio tribuitur, de ea tum fide illas eſſe intelligendas, quæ per caritatem operatur. Nos nebulonibus iſtis unum hic Apoſtolum opponimus, tum I. *ad Corinth.* XIII. 2. *& ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum*; tum *ad Galat.* V. 6. *nam in Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides, quæ per caritatem operatur.*

(*a*) Plane nonniſi cum riſu ſtulta ſtultiſſimi Hæreſiarchæ adſertio accipienda eſt, qua eo virtutem ſacramentorum reſtringit, quibus *benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſiones conſcientiis noſtris Dominus obſignat, ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem.* Quomodo enim in parvulis, recens natis, per Baptiſmum *actualis* eorum fides excitatur, & ſuſtentatur, quum ii omnis prorſus ſint cognitionis expertes, & aliquando etiam infuſam aquam abhorreant, indoleantque?

(*b*) Ex Scholaſtico hoc loquendi modo, occaſionem calumniandi Eccleſiam nacti ſunt Heterodoxi, ac ſi illa, contra Grammaticæ regulas, novam quamdam, ac barbaram dictionem uſu confecravit. Sed non ſentiunt hi boni Grammatici, non vocum, ſed doctrinæ depoſitum Eccleſiæ a Chriſto commiſſum fuiſſe, ut ſanctum ſcilicet, atque intemeratum omnino illud conſervaret. Non itaque ei curæ fuit puram phraſim, ſed ſanam fidem tueri, nec eleganter, ſed evidenter eam docere. Quare, ubi opus fuit, minime illa dubitavit, novis vocabulis novos errores configere, ut, omni æquivocatione ſublata, antiqua fidei dogmata nova luce paterent. Quod quum identidem, ut *Tom.* I. *pag.* 18. & *Tom.* II. *pag.* 25. edocuimus, tum hac præcipue occaſione factum eſt, ut virtus ſcilicet ſacramenti a fide miniſtri ſecerneretur. Ceterum non res verbis, ſed

ſti (*a*): *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu-ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*; & illa Apoſtoli (*b*): *ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, niſi quod in Baptiſmo ipſi aquæ ablutioni Spiritus-ſancti collatio accedat? Quonam ea reſpiciant (*c*): *tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum-ſanctum*, niſi quod in Confirmatione per manuum impoſitionem gratia Spiritus-ſancti conferatur? Et, ut de ceteris ſacramentis ſileamus, de quibus inferius ſigillatim, quid, quæſo, Servator deſignavit, quum dixit (*d*): *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam ... & qui manducat me, & ipſe vivet propter me;* niſi quod in Euchariſtia, ipſa Dominicæ dapis manducatione vitam quis vivat gratiæ? Adpoſite Cyrillus Hieroſolymitanus (*e*): *qui itaque in aquam deſcenſurus es, ne ad ſimplicitatem aquæ attendito, ſed Spiritus-ſancti virtute ſalutem ſuſcipe: nam ſine utriſque ad perfectionem deduci non poteris*. Et Tertullianus (*f*): *ſed & caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima conſecretur. Caro ſignatur, ut & anima mu-*

ſed verba rebus ſervire debent. Nec enim quæ recens in medium prodiere, nullum ideo ſortientur vocabulum, eo quod aurea Auguſti ætate minime floruerunt. Certe *Lutheranice vivere*, h. e. molliter, & *Calviniſtica bilis*, h. e. immanis, Latina non ſunt, quum hi inſaniæ Duumviri, Lutherus, & Calvinus ſæc. XVI. in Germaniis ille, iſte in Galliis eruperint. Num reprehendendus, qui Lutheranum, more miniſtri ſui, abdomini indulgentem; qui Calviniſtam, exemplo anteſignani ſui, iris ſupra modum tumentem deſignaturus, iſthac loquendi forma, uſu probatiſſimorum virorum recepta, utetur? Non requirenda aurea, vel argentea clavis, quæ aperiendo impar: deſideranda ferrea, vel etiam lignea, modo aperiendo, claudendoque par videatur.

(*a*) *Joan.* III. 5.
(*b*) *Ad Tit.* III. 5.
(*c*) *Act.* VIII. 17.
(*d*) *Joan.* VI. 55.
(*e*) *Cathech.* III.
(*f*) *Lib. de Reſurrect. carnis cap.* VIII.

muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur. Caro corpore, & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur. Quare merito Tridentinum (*a*): *ſi quis dixerit, ſacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam ſignificant; aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre; quaſi ſigna tantum externa ſint receptæ per fidem gratiæ, vel juſtitia, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur Fideles ab Infidelibus; anathema ſit.* Tum (*b*): *ſi quis dexerit, per ipſa novæ Legis ſacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit.*

§. IV. *Ex differentia inter veterem, & novam Legem, idem demonſtratur.*

Quum hæc manifeſta ſatis ſint, ampliorem inde mutuantur lucem, ſi advertamus, ea potiſſimum in re (*c*) veteris Legis ſacramenta a novis differre, quod nullam illa ſcilicet interiorem per ſe ſanctitatem (*d*), niſi ex *opere*

(*a*) *Seſſ.* VII. *in Decret. de ſacrament. Can.* VI.

(*b*) *Can.* VIII.

(*c*) Nimirum aliud extat diſcrimen, quod ſacramenta novæ Legis a Chriſto inſtituta ſint, ut mox dicetur.

(*d*) S. Th. 1. 2. *quæſt.* CIII. *art.* 2. *in corp. in veteri Lege duplex immunditia obſervabatur. Una quidem ſpiritualis, quæ eſt immunditia culpæ: alia vero corporalis, quæ tollebat idoneitatem ad cultum divinum. Sicut leproſus dicebatur immundus, vel ille, qui tangebat aliquod morticinium: & ſic immunditia nihil aliud erat, quam irregularitas quædam. Ab hac igitur immunditia cæremoniæ veteris Legis habebant virtutem emundandi... ab immunditia vero mentis, quæ eſt immunditia culpæ, non habebant virtutem expiandi: & hoc ideo, quia expiatio a peccatis numquam fieri potuit, niſi per Chriſtum, qui tollit peccata mundi, ut dicitur Joan.* I. *& quia myſterium Incarnationis, & Paſſionis Chriſti nondum erat realiter peractum, veteris Legis cæremoniæ non poterant in ſe continere realiter virtutem*

opere operantis, ſeu ex fide miniſtrantis, vel accipientis, producere potuerint (*a*); hæc autem virtute ſua, ſeu ex *opere operato*, gratiam largiantur. Liquido Joannes (*b*): *lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*. Et Apoſtolus (*c*): *quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis?* Tum alio loco (*d*), *reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem*. Ac paullo poſt (*e*): *juxta quam munera, & hoſtia offeruntur, quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſolummodo in cibis, & potibus, & variis baptiſmatibus, juſtitiis carnis, uſque ad tempus correctionis impoſitis*. Immo rurſus (*f*): *ſi enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ adſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum-ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi?* Quapropter Baſilius (*g*): *quid igi-*

---

tutem profluentem a Chriſto incarnato, & paſſo, ſicut continent ſacramenta novæ Legis, & ideo non poterant a peccato mundare.

(*a*) Suadent id illa *Geneſ.* IV. 5. *reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus: ad Cain vero, & ad munera illius non reſpexit*. Quo ſpectavit Apoſtolus *ad Hebr.* XI. 4. *fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain, obtulit Deo, per quam teſtimonium conſequutus eſt eſſe juſtus, teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo*. Huc facit quod dicitur *Levit.* IV. 31. *adolebit* (ſacerdos) *ſuper altare in odorem ſuavitatis Domino, rogabitque pro eo, & dimittetur*. Et iterum V. 6. *orabitque pro eo ſacerdos, & pro peccato ejus*. Ac ſi, (ut inquit S. Thomas 1. 2. *cit. quæſt.* CIII. *art.* 2. *in corp.*), *peccatum dimittatur non ex vi ſacrificiorum, ſed ex fide, & devotione offerentium*.

(*b*) *Joan.* I. 17.

(*c*) *Ad Galat.* IV. 9.

(*d*) *Ad Hebr.* VII. 18.

(*e*) *Ibidem* IX. 9.

(*f*) *Ibidem* IX. 13.

(*g*) *Lib. de Spiritu-ſancto cap.* 14.

Digitized by Google

igitur confers baptiſmata, quorum ſola communis adpellatio; rerum autem tanta differentia, quanta ſomnii a veritate, ac umbræ, & imaginum ab iis, quæ revera ſubſiſtunt? Chryſoſtomus (*a*): *Judaica illa quidem expiatio nequaquam a peccatis liberabat, ſed a corporeis ſordibus tantum: noſtra vero talis non eſt, ſed multo major, ac multa gratia referta: nam & liberat a peccatis, & animam emundat, & Spiritus gratiam largitur.* Et Auguſtinus (*b*): *alia ſunt inſtituta* (ſacramenta), *virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Merito itaque S. Thomas (*c*): *ſic ergo patet, quod ſacramenta veteris Legis non habebant in ſe aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam juſtificantem, ſed ſolum ſignificabant fidem, per quam juſtificabantur.* Cui conſonat Eugenius IV. (*d*): *quæ* (ſacramenta novæ Legis) *multum a ſacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per Paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant: hæc vero noſtra & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt.*

§. V.

(*a*) *Homil.* XXIV. *de baptiſm. Chriſt.*
(*b*) *Lib.* XIX. *contra Fauſtum cap.* 13.
(*c*) 3. *Part. quæſt.* LXII. *art.* 6. *in corp.*
(*d*) In *Decret.* ſeu *Inſtructione Armenorum*. Perfecto concilio Florentino, & Græcis adhuc ibi degentibus, legati Armenorum eo pervenerunt, unionem cum Rom. Eccleſia petentes. Græci probarunt, & rei conſummationem, inde mox digreſſi, Pontifici, Latiniſque reliquerunt. Hinc Eugenius Decretum *Exultate Deo* an. 1439. emiſit, h. e. quatuor poſt Græcorum diſceſſum menſibus, ſane *adprobante concilio*, præſentibus ſcilicet Occidentalibus, conſentientibus Orientalibus.

§. V. *Calvinus falſus Apoſtoli interpretator.*

At enim, bile gravis, obmuſſitat Calvinus (*a*): *Scholaſticum* (*b*) *autem illud dogma, (ut hoc quoque obiter perſtringam), quo tam longum diſcrimen inter veteris, ac novæ Legis ſacramenta notatur, perinde ac ſi illa non aliud, quam Dei gratiam adumbrarint, hæc vero præſentem conferant, penitus explodendum eſt. Siquidem nihilo ſplendidius de illis Apoſtolus* (*c*), *quam de his loquitur, quum docet* Patres eamdem nobiſcum ſpiritalem eſcam manducaſſe... *Et ſtatus cauſſæ, quam illic agit Apoſtolus, pro nobis non obſcure militat: nam ne quis frigida Chriſti cognitione, inanique Chriſtianiſmi titulo, ac externis inſignibus fretus, Dei judicium contemnere audeat, doctrinæ ſeveritatis exempla in Judæis ſpectanda exhibet, ut easdem, quas illi dederunt, pœnas ſciamus nobis imminere, ſi iiſdem vitiis indulgeamus. Jam ut apta eſſet comparatio, oportuit oſtendere nihil eſſe inæqualitatis inter nos, & ipſos in iis bonis, quibus falſo gloriari nos vetabat. Ergo primum in ſacramentis pares nobis facit.* Verumtamen ut genuinam Pauli mentem, contra ineptum illius interpretatorem vindicemus, pauca hic, quæſo, advertamus. I. Inter ſeſe tantum una eademque eſca, ac potu invicem Judæos communicaſſe, non vero eamdem eos nobiſcum eſcam manducaſſe, eamdemque nobiſcum bibiſſe potum, adfirmavit Apoſtolus. Quare Chriſtus (*d*): *non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Et

---

(*a*) *Inſtit. Chriſt. Relig. lib.* IV. *cap.* XIV. *num.* 23.
(*b*) Scholaſticis, & Sophiſticis toto hoc *cit. cap.* XIV. Genevenſis Hæreſiarcha Catholicos comparat. Sed cum inſano homine ſane agere libet, non par pari acri calamo referendo, ſed modeſtiæ per ſilentium inſerviendo.
(*c*) I. *Ad Corinth. X.* 3.
(*d*) *Joan.* VI. 32.

Et rurſus (*a*): *patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens: ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur.* II. Columna ignea, tranſitus maris, manna, & aqua de petra profluens, ibi ab eodem Apoſtolo *ſpiritalia* dicuntur, ob myſticas potiſſimum ſignificationes. Quippe nubes illa, & ignis per noctem, viam Judæis demonſtrans, fidem Chriſtianis ad cælos pergentibus prælucentem; maris tranſgreſſus, Baptiſmum, in quo peccata emundantur; manna, Chriſtum, qui cælitus miſſus, in Euchariſtia divina animorum noſtrorum eſt alimonia; aqua e percuſſa rupe ſcaturiens, gratiam Spiritus-ſancti, quæ a Chriſto in cruce percuſſo nobis dimanat, prænuntiabant. Unde ipſe Paulus (*b*): *hæc autem omnia in figura contingebant illis*. III. Inter Græcas urbes Corinthus turpi vitiorum cœno mergebatur. Et inter ejuſdem urbis Chriſtianos ejuſmodi etiam fuit (*c*) *fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis* haberet. In nulla itaque, quam ad Corinthios data Epiſtola, hujus criminis turpitudinem, immanitatemque adſtruere ſatagit Apoſtolus. Quod tamen ut evinceret, pœnas, quas ob carnis peccata de Judæis acriter Deus ſumſerat, commemoravit. IV. Is itaque ſcopus Paulo fuit, nimirum a fornicationis delicto Chriſtianos quam maxime abſterrendi. Qua in re argumento uſus eſt, quod Scholæ *a minori ad majus* adpellitant. Ac ſi ipſe ita dixiſſet: Judæi, ſingularibus a Deo ornati beneficiis, mira eſca, potuque diu innutriti, ob carnalem tamen libidinem in deſerto a Deo vindice proſtrati ſunt: nonne acerbiora Chriſtianis reſervanda ſint, qui inſignioribus, & divinioribus cumulati donis, h. e. vera Chriſti carne ſaginati, & vero ejuſdem ſanguine potati, in fornicationem nihilominus miſere dilabuntur?

Pau-

(*a*) *Ibidem v.* 48.
(*b*) I. *Ad Corinth. cit. cap.* X. 11.
(*c*) *Ibidem cap.* V. 1.

Pauli ſententia cuique legenti patet, Calvino cæcutienti non patuit!

§. VI. *Catholica* ſacramenti *definitio*.

Hisce expoſitis, ita rite a Catholicis *ſacramentum* (*a*) definitur (*b*): *inviſibilis gratiæ viſibile ſignum*, *ad noſtram juſtificationem inſtitutum*. Dicitur I. *inviſibilis gratiæ*. Is quippe ſacramentorum effectus eſt, ut res ſenſibiles, quæ ſuapte natura in animos penetrare nequeunt, Chriſti ſanguinis virtute, gratiam, quam ſignificant, quemadmodum paullo ante dictum eſt, operentur. Quod ſane, initio naſcentis Eccleſiæ, miraculorum ſignificationibus præſignatum eſt, quum Jeſu in Jordane baptizato cæli aperti ſunt, inque columbæ ſpeciem Spiritus-ſanctus adparuit, & quum Pentecoſtes die, nonniſi facto repente de cælo ſonitu, in Apoſtolos diſpertitæ linguæ, tamquam ignis, delapſæ fuerunt. II. *viſibile*. Maxime enim decuit, ut ex rebus ſenſui ſubjectis ſacramenta conſtarent: tum ut ad intelligenda ea, quæ occulta vi efficiuntur, humani ingenii imbecillitas adjuvaretur: quare Chryſoſtomus (*c*): *nam ſi tu incor-po-*

(*a*) Obligationem illam, qua quis juratus aliquo ſeſe vinculo obſtringebat, a profanis Auctoribus *ſacramentum* adpellatum. Unde *militaris ſacramenti* nomen, pro jurejurando militum, ſæpe apud eoſdem occurrit. Sacri autem Scriptores ſacram rem aliquam, quæ in abdito eſt, ea voce deſignarunt. Paulus I. *ad Timoth.* III. 16. de Incarnationis myſterio: *magnum eſt pietatis ſacramentum*. Et ad *Epheſ.* I. 9. *ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ*. Non incommode propterea ad ſignificandam gratiam, quæ ſub rerum corporearum involucris continetur, quæque illarum miniſterio Fidelibus confertur, Græci Patres *myſterii*, Latini *ſacramenti* vocabulo uſi fuerunt.

(*b*) Catechiſmus Rom. *Part.* II. *cap.* I. *num.* 4. Quæ quidem definitio depromta videtur ex Auguſtino *lib. unic. de catechizandis rud. cap.* 26. & ex Tridentino Seſſ. XIII. *in Decret. de Euchariſt. ſacr. cap.* 3.

(*c*) *Homil.* LXXXIII. in *cap.* XXVI. *Matth.*

poreus eſſes, nude ipſe dona incorporea tradidiſſet tibi: quoniam vero corpori conjuncta eſt anima tua, in ſenſibilibus intelligenda tibi traduntur; tum ut in divinorum promiſſorum magnitudinem animus erigeretur: quo pacto Deus, ut Iſraeliticus populus, cui liberationem ab Ægypto ſpoponderat, divinis oraculis fidem præſtaret, eum plane multa ſignorum varietate, quaſi totidem pignoribus, obligatum ſibi tenuit, confirmavitque; tum ut ſacramenta teſtimonia eſſent, ac ſollemnes fidei declarationes, ſecundum illud Apoſtoli (*a*): *corde enim creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem*; tum denique ut ſymbolis quibuſdam, ac notis *viſibilibus*, *viſibilis* Chriſti Eccleſia coaleſceret, & dignoſceretur: namque ex Auguſtino (*b*): *in nullum autem nomen Religionis, ſeu verum, ſeu falſum, coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, vel ſacramentorum viſibilium conſortio colligentur*. III. *ſignum*. Nimirum, tum *ſacrum*, ſeu *rei ſacræ*, h. e. divinæ gratiæ, qua *actu* (*c*) ſancti efficimur, & Deo conſecramur: unde S. Thomas (*d*): *ideo proprie dicitur ſacramentum, quod eſt ſignum alicujus rei ſacræ ad homines pertinentis, ut ſcilicet proprie dicatur ſacramentum, ſecundum quod nunc de ſacramentis loquimur, quod eſt ſignum rei ſacræ, in quantum eſt ſanctificans homines*: tum *permanens*, quia, quum ſacramenta quædam Religionis ſymbola ſint, & ligamina, quamdiu ipſa Religio, tamdiu illa eadem conſtare debent. Quapropter Chriſti inſufflatio in Apoſtolos, & illapſus Spiritus-ſancti ſub lingua-rum

---

(*a*) *Ad Rom*. X. 10.

(*b*) *Lib*. XIX. *contra Fauſtum cap*. 11.

(*c*) *Signa rei ſacræ* vel ſignificandæ tantum, vel efficiendæ etiam juſtitiæ vim habent. Utrumque ad rationem ſacramenti omnino neceſſarium eſt. Quare Cruces, imagines Sanctorum, aliaque id genus, licet *ſigna* ſunt *ſacrarum rerum*, ſacramenta tamen dici non poſſunt, eo quod ſignificandi tantum, non autem conferendi ſanctitatem iis poteſtas eſt.

(*d*) 3. *Part. quæſt*. LX. *art*. 2. *in corp*.

Digitized by Google

rum ignearum ſpecie in die Pentecoſtes, vera ſacramenta minime fuerunt, eo quod *ſigna permanentia rei ſacræ* non extitiſſent. IV. *ad noſtram juſtificationem*. Is enim *eſſentialis* finis eſt ſacramentorum, ut homines ſanctificet. Quocirca ſacrificium non eſt revera ſacramentum, quum non ad animorum ſanctificationem, ſed ad ſupremum Numen agnoſcendum, colendumque, primario, & per ſe ordinetur. V. *inſtitutum*; non natura ipſa quidem, quo pacto fumus ſignum naturale ignis eſt; neque ex libera hominum voluntate, ſicuti vexilla, tubæque militares bellum innuunt; ſed a divina inſtitutione promanans: ita ut eo aliquid non admoneremur dumtaxat, cujuſmodi fuerunt panis azymus, aliæque veteris Legis purificationes, a Deo Hebræis commendatæ ad interiorem animi munditiem ſignificandam, verum & theſaurus etiam gratiæ ſimul includeretur, & communicandus nobis recluderetur, quam ceteroqui efficientiam per ſe ineſſe ſacramentis ſuperius probatum eſt.

§. VII. *Ad ſacramenti perfectionem tria prorſus requiruntur.*

Porro ſacramentum, h. e. unum per ſe hoc *viſibile ſignum*, duabus tamen conſtant partibus, elemento ſcilicet, & verbo, ſeu *materia*, ut inquiunt, & *forma* (*a*); quamvis ad ipſius quidem perfectionem accedere etiam omnino debeat miniſtri *intentio*. Præclare Eugenius IV. (*b*): *omnia ſacramenta tribus perficiuntur*, vi-

(*a*) Ex Philoſophia Ariſtetelis hujuſmodi vocabula in Theologicas Scholas pervaſere. Primus creditur ea uſurpaſſe Guilielmus Antiſidiorenſis circa an. 1215. Tum uſu obtinuere. Ridicule autem inde Heterodoxi occaſionem adripiunt, tamquam ex profanis vocibus, recens in medium adductis, ad ſacramentorum efficaciam oppugnandam. Non enim profanæ reputandæ, quæ ad antiquam veritatem enucleatius explicandam, & certius tenendam communiter adhibitæ. Videte *ſupr. pag. 16.*

(*b*) *Supr. cit. Decret.* ſeu *Inſtruct. Armen.*

Digitized by Google

videlicet rebus, *tamquam materia*, *verbis*, *tamquam forma*, *& perſona miniſtri conficientis ſacramentum*, *cum intentione faciendi*, *quod facit Eccleſia*, *quorum ſi aliquid deſit*, *non perficitur ſacramentum*. Atque hic plura animadvertenda. I. Jure id adfirmatur de omnibus novæ Legis ſacramentis. Conſtat enim circumciſionem, conſecrationes Pontificum, & ſacerdotum, ritum agni Paſchalis, ſine certa verborum forma apud Hebræos celebrata fuiſſe, fortaſſe quod in veteri Lege myſteria ſub umbrarum figura deliteſcebant, ut propterea verba, quæ ſigna maxime expreſſiora ſunt, minime illius rationi temporis convenire viderentur (*a*). II. Quo gerendæ rei ſignificatio apertius pateret, neceſſe erat, ut elemento verba adderentur, ſeu ut *materia*, latæ per ſe demonſtrationis, minuſque determinata, per certam verborum *formam* deſignaretur, & determinaretur. Ita aqua, quæ eſt *materia* Baptiſmi, abluendo, refrigerando, emolliendoque adcommodata eſt. Nonniſi autem ex adjunctis verbis *ego te baptizo* &c. abluendi vim, & ſignificationem tum ea habere intelligitur. III. Poſteriorum quidem ætatum, uti mox adnotabitur, ſunt voces *materia*, & *forma*. Sed recte utrarumque vim, & ſententiam Apoſtolus, de Eccleſia loquens, iis verbis expreſſit (*b*): *mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*: Quare Auguſtinus (*c*): *accedit verbum ad elementum*, *& fit ſacramentum*. IV. *Compoſitio* ſacramenti alia eſt, ac ejuſdem *perfectio*. Nimirum binis partibus, h. e. *materia*, & *forma*, illud *componi* dicitur, quarum alterutra deficiente, conſtare ipſum non poteſt. Hinc ipſe Auguſtinus (*d*): *detrahe verbum*, *& quid eſt aqua*, *niſi aqua*? Ceterum ad illius confectionem, aut *perfectionem*, miniſtri etiam in-

(*a*) Ceterum *Levit.* V. 6. necnon VI. 7. in hoſtiis pro peccato jubetur ſacerdos orare, ac preces fundere, ſed in genere quidem, nec ſub certo orationis modo.

(*b*) *Ad Epheſ.* V. 26.

(*c*) *Tractat.* LXXX. *in Joan.*

(*d*) *Cit. Tractat. in Joan.*

intentio omnino requiritur, quæ ſacramento quid extrinſecum eſt, ſed ad cauſſam ejuſdem ſaltem *inſtrumentalem* pertinet, ſine qua numquam idem conficitur. V. Verba, quibus utimur in *forma* ſacramentorum, non ſunt *concionalia*, & *promiſſoria*, quæ ſcilicet per modum concionis excitant fidem promiſſionum Chriſti, atque ita juſtificant, quemadmodum docuit Calvinus (*a*); ſed vere *conſecratoria*, quibus ſcilicet divina virtus infunditur, & rite ſuſcipiens ſanctificatur: Quod eadem argumenta demonſtrant, quibus ſuperius probatum eſt ſacramenta novæ Legis ex *opere operato* gratiam conferre. VI. Quoniam Deus non Angelos (*b*), nec Dæmones, ut ſomniavit Lutherus (*c*), ſed ſolos homines miniſtros eſſe voluit ſacramentorum (*d*); hinc nonniſi *actione humana*, quæ cum voluntate, & *intentione* conjuncta eſt, ea ſunt adminiſtranda. Quare Tridentinum (*e*): *ſi quis di-*

(*a*) *Inſtit. Chriſt. Relig. lib.* IV. *cap.* XIV. *num.* 4. Ibi: *quum de verbo ſacramentali fieri mentionem audimus, promiſſionem intelligamus, quæ clara voce a miniſtro prædicata, plebem eo manducat, quo ſignum tendit, ac nos dirigit.*

(*b*) 3. *Part. quæſt.* LXIV. *art.* 7. At quid, ubi fortaſſe quidam, ut traditur, Angelica manu ſacramenta perceperunt? Effectus tum ſacramentorum percipere iis licuit, ſub hoc, aut illo ſigno *ſenſibili*, ſub quo placuit Deo, extra ordinem, gratiam conferre; non autem vera ſacramenta, ex defectu ſcilicet miniſtri, qui ex Chriſti inſtitutione ad conficienda illa omnino requiritur.

(*c*) *Lib. de abroganda miſſ. priv.*

(*d*) Non ad alios, quam ad unos homines ea Apoſtoli pertinent, ubi I. *ad Corinth.* IV. 1. ita inquit: *ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Et II. ad *Corinth.* III. 6. *qui & idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti.* Adpoſite Chryſoſtomus *lib.* III. *de Sacerdot. cap.* 5. *qui terram incolunt, atque in ea verſantur, iis commiſſum eſt, ut ea, quæ in cælis ſunt, diſpenſent: iis datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam Deus Opt. neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit: neque enim ad illos dictum eſt: quæcumque ligaveritis* &c.

(*e*) *Seſſ. VII. de ſacram. in gen. Can. XI.*

Digitized by Google

dixerit, in miniſtris, dum ſacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit (*a*).

§. VIII. *Vera Auguſtini ſententia circa formam ſacramentorum a Calvino obnubilatur.*

Nullius tamen rei etiamnum magis gloriantur Novatores, quam in eorum Eccleſiis *concionis*, & *verbi prædicationis*. Quin tantum uni huic Religionis exercitio, ſeu potius veræ Religionis umbræ, & cadaveri, adtribuunt, ut ſe inde Chriſti doctrinam, Eccleſiæ fidem, delictorum veniam, & ſalutem animorum tenere arbitrentur. Quare ut *concionali* eorum *verbo* ſpeciem aliquam veri aucuparentur, *formam* ſacramentorum, quæ plane *conſecratoria* eſt, *concionalem* eſſe obtrudunt. Acceperunt ab eorum magiſtro Calvino, qui ita errorem ſuum conſtabilire conatus eſt (*b*): *ac longe aliter de verbo ſacramentali docet Auguſtinus*: accedat, *inquit*, verbum

---

(*a*) Multiplex adſignari ſolet *intentionis* genus. Alia nimirum eſt *actualis*, qua *actu* quis vult conficere ſacramentum; *virtualis*, quæ *moraliter* manet in virtute mediorum; *habitualis*, quæ eſt *habitus*, ſeu propenſio voluntatis, repetitis actibus acquiſita, quæque propterea in dormiente etiam reperitur; & *interpretativa*, qua interpretamur facile aliquem, ſi moneretur, conſenſurum. Porro nec *habitualis*, nec *interpretativa* ſatis eſt conficiendis ſacramentis: *actualis* tamquam optima laudatur, *virtualis* ſufficiens reputatur. Notandum quod Angelicus 3. *Part. quæſt. LXIV. art. VIII. ad* 3. in voce *habitualem*, plane *virtualem* intellexit. Quippe ejus tempore nondum vocabulum *virtualis* in uſum venerat, quod primus creditur Scotus invexiſſe. Mens S. Doctoris ab exemplo, quod adducit, ſatis liquet. Ita enim ſubdit: *puta, quum ſacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Eccleſia. Unde ſi poſtea in ipſo exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur ſacramentum.*

(*b*) *Inſtit. Chriſt. Relig. lib. IV. cap. XIV. num.* 4.

Digitized by Google

bum ad elementum, & fiet ſacramentum. Unde enim iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? non quia dicitur, ſed quia creditur. Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens. Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus, inquit Apoſtolus. Unde in Actis Apoſtolorum, fide mundans corda eorum. Et Petrus Apoſtolus: ſic & nos Baptiſma ſalvos facit, non depoſitio ſordium carnis, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio. Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus: quo ſine dubio ut mundare poſſit, conſecratur & Baptiſmus. *Vides, ut prædicationem requirat, unde naſcatur fides. Nec eſt, quod in hac probatione laboremus, quando minime obſcurum eſt, quid Chriſtus fecerit, quid nobis facere mandaverit, quid ſequuti ſint Apoſtoli, quia purior Eccleſia obſervaverit.*

§. IX. *Eadem contra eumdem Calvinum illuſtratur.*

VERUM, læva certe Genevenſis Reformatoris mens in cauſſa fuit, cur Auguſtini mentem ipſe non intelligeret! Enimvero totus in eo erat S. Doctor, ut neque infidelitate miniſtri, neque defectu rationis, impediri in infante effectum Baptiſmi probaret. Omnem propterea vim emundandi non *materiæ* ſacramenti, puta, aquæ in Baptiſmo, ſed verbo vindicavit, & non ob exteriorem, aut *tranſeuntem* ipſius *ſonum*, ſed ob invocationem Trinitatis, a qua *materiali* vocum pronunciationi divina illa virtus accedebat. Quo autem veritatem hujuſmodi magis explanaret, docuit nonniſi ob ſermonem, quem Chriſtus prædicavit, Diſcipulos mundatos fuiſſe, necnon eodem in fidei *verbo* innumeram hominum turbam per eoſdem Apoſtolos ſeſe ad Chriſtum convertiſſe. Liquet propterea ita Auguſtinum de virtute *verbi*, qua nimirum mundatio animis redditur, loquutum fuiſſe, ut ea & prædicationi conveniat, & Baptiſmo. Utrumque itaque ille intellexit, *verbum* ſcilicet *concionale*, eo quod illius prædicatione, fides caritati conjuncta, excitatur, animuſque emundatur; & *verbum ſacra-*

cra-

cramentale, ſeu *conſecratorium*, eo quod in ſacramentis gratia ex *opere* ipſo *operato* conferatur. Porro ad *conſecratorium* etiam verbum Auguſtinum ſpectaſſe, ipſe auctor eſt Auguſtinus (*a*), ubi inquit de Baptiſmo: *unde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo?* Tum paullo poſt: *quo ſine dubio ut mundare poſſit, conſecratur & Baptiſmus.* Et deinde: *hoc verbum fidei tantum valet in Eccleſia Dei, ut per ipſum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum, mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem.* Si itaque, Auguſtino magiſtro, atque explicatore, verba in Baptiſmo ſunt *conſecrationis*, non *concionis*, &, ubi *accedit verbum ad elementum, fit ſacramentum*, ſeu vis ipſa mundandi, ac gratia habetur; ecquid illius mentem, eo invito, Calvinus ad verba transfert *concionalia*, & *promiſſoria* (*)?

§. X.

(*a*) *Supr. cit. LXXX. Tractat. in Joan.*

(*) Duo ex *cit.* Auguſtini textu difficultatem tamen movent. I. Quid ſibi illa volunt *non quia dicitur, ſed quia creditur?* Plane ibi agitur de *verbo concionali*, quo fides excitatur. II. Apoſtoli mundi eſſe dicuntur *propter ſermonem*, quem loquutus eſt eis Chriſtus. *Sermo* autem iſte, *concionis* pariter fuit, non *conſecrationis*. At, quod ad I. attinet, is erat Auguſtino ſcopus, vim ſcilicet mundandi non ex *materiali* vocum ſtrepitu, ſed ex virtute Spiritus-ſancti, qui ad invocationem Trinitatis ſtatim infunditur, eſſe repetendam. Quæ quidem gratiæ infuſio, & mundandi effectus, quum in ſenſus non cadat, fide adprehenditur, & creditur. Unde ſtatim ipſe Hipponenſis: *nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud ſenſus manens.* Adpoſite S. Thomas 3. *Part. quæſt. LX. art. VII. ad I. ſicut Auguſtinus dicit ſuper Joan. verbum operatur in ſacramentis, non quia dicitur, id eſt, non ſecundum exteriorem ſonum vocis; ſed quia creditur, ideſt, ſecundum ſenſum verborum, qui fide tenetur.* Ad II. dicimus, quod Apoſtoli Chriſti *ſermone* in fide inſtructi, & caritate inflammati, Baptiſmum acceperant. Sed, quum Judas unus ob proditionem, quam intentabat, ab eo defeciſſet, recte, ut obſervat ibidem Auguſtinus, ad eos inquiebat Servator:

§. X. *Chriſtus auctor fuit ſacramentorum.*

JAMVERO nulli umquam mortalium communicari poterat poteſtas *auctoritatis*, quæ Chriſto in ſacramentis competebat, quatenus Deus eſt; licet *communicabilis* tamen eſſet poteſtas *excellentiæ*, quam ipſemet, prout homo eſt, potiſſimum habebat (*a*). Quemadmodum enim *pura creatura* remiſſionem peccatorum alteri *de condigno* mereri non poteſt, quum meritum infinitum, cujus incapax illa eſt, ad hoc requiratur; potuiſſet tamen eadem eo dignitatis, & gratiæ elevari, ut ſacramenta inſtitueret, eorumque effectus ad ſui nominis invocationem operaretur. Sed minime omnium id decuit, ne ſpes hominis homini inniteretur. Adpoſite Auguſtinus (*b*): *potuit autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſi vellet, dare poteſtatem alicui ſervo ſuo, ut daret Baptiſmum ſuum tamquam vice ſua, & transferre a ſe baptizandi poteſtatem, & conſtituere in aliquo ſervo ſuo, & tantam vim dare Baptiſmo translato in ſervum, quantam vim haberet Baptiſmus datus a Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo ſpes eſſet baptizatorum, a quo ſe baptizatos agnoſcerent, noluit ergo ſervum ſpem ponere in ſervo.* Idem habet Angelicus (*c*). Quum hæc ita ſint, recte adfirmamus, nonniſi a Chriſto ipſo inſtitutionem eſſe ſacramentorum. Unde Paulus (*d*): *ſic nos exiſtimet homo, ut mi-*

---

tor: *jam vos mundi eſtis propter ſermonem*, non vero *propter Baptiſmum*. Si enim *propter Baptiſmum* dixiſſet, in perſonam Judæ illius oratio minime quadraſſet. Dixit itaque *propter ſermonem*, eo quod omnes, præter Judam, in ſermone Domini, ſeu in fide, & caritate erga illum permanſerunt. Agitur ibi itaque de *ſermone concionali*, non quod per Baptiſmum haudquaquam ex *opere operato* gratia etiam conferretur, ſed quod de iſto locus non erat, ut ea occaſione mentio haberetur.

(*a*) *S. Thomas 3. Part. quæſt. LXIV. art. 4. in corp.*

(*b*) *Tract. V. in Joan.*

(*c*) *Supr. cit. loc. art. IV. ad I.*

(*d*) *I. ad Corinth. IV. 1.*

miniſtros Chriſti, *&* *diſpenſatores myſteriorum Dei*. Ac ſic Petrus (*a*): *ſicuti boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei*. Qui quidem ſeſe *inſtitutores*, *&* *operatores* ſacramentorum dixiſſent, ſi non Servator, ſed ipſi ex ejuſdem conceſſione, eorumdem auctores fuiſſent. Hinc Ambroſius (*b*): *auctor ſacramentorum quis eſt*, *niſi Dominus Jeſus?* Et Auguſtinus (*c*): *ab ipſa Dei Sapientia*, *homine adſumto*, *pauca ſacramenta conſtituta ſunt*, *quæ ſocietatem Chriſtiani populi continerent*. Merito itaque Tridentinum (*d*): *ſi quis dixerit*, *ſacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta . . . anathema ſit*.

§. XI. *Fide conſtat*, *Baptiſmum*, *&* *Euchariſtiam per ſe* immediate *a Chriſto inſtituta fuiſſe*. *An idem de ceteris ſacramentis dicendum ſit*, *diſquiritur*.

Ceterum, quum certum ſit a Chriſto inſtituta fuiſſe ſacramenta, quemadmodum hactenus generatim traditum eſt, & Tridentinum definivit (*e*); vulgo tamen quæri ſolet, *immediate* ne *materiam*, & *formam* ſacramentorum ipſe per ſe determinarit, an vero *mediate*, ſeu arbitrio Eccleſiæ ſpeciatim eas determinandas reliquerit. De Baptiſmo utique adfirmandum, ſecundum illud (*f*): *niſi quis renatus fuerit ex aqua*, *& Spiritu-ſancto*, *non poteſt introire in regnum Dei*. Et iterum (*g*): *exeuntes ergo docete omnes gentes*, *baptizantes eos in nomine Patris* &c. Idem eſt de Euchariſtia (*h*): *&* *accepto*

(*a*) *I. Petr. IV.* 10.
(*b*) *Lib. IV. de ſacram. cap.* 4.
(*c*) *De ver. Relig. cap.* 17.
(*d*) *Seſſ. VII. de ſacram. in gen. Can. I.*
(*e*) *Cit. Seſſ. VII. de ſacram. in gen. Can. I.*
(*f*) *Joan. III.* 5.
(*g*) *Matth. XXVIII.* 19.
(*h*) *Luc. XXII.* 19.

Digitized by Google

pto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. De reliquis itaque ſacramentis lis agitatur. Sane ex Veteribus S. Bonaventura (*a*), Magiſter ſententiarum (*b*), & S. Thomas (*c*); ex Recentioribus vero Bellarminus (*d*), Morinus (*e*), aliique docuerunt, non in genere tantum, ſed etiam in ſpecie, a Chriſto *materias*, & *formas* ſacramentorum inſtitutas fuiſſe. Quorum ſententia nobis magis arridet, atque hiſce fulcitur momentis. I. Legitur ſtatuta in Scripturis *materia* ſingulorum quinque horum ſacramentorum. Eſt autem impoſitio manuum, tum in Confirmatione (*f*): *tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum-ſanctum*; tum in Ordine ſive epiſcoporum, & presbyterorum (*g*): *noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetam, cum impoſitione manuum presbyterii*, ſive etiam diaconorum (*h*): *& orantes impoſuerunt eis manus.* Similiter eſt confeſſio peccatorum in Pœnitentia (*i*): *accipite Spiritum-ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt* (*k*). Oleum in Extrema Unctione (*l*): *infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Et conſenſus utriuſque conjugis in Matri-

(*a*) *In 4. Sentent.*
(*b*) *Lib. IV. Diſt. XXIII.*
(*c*) *In IV. Diſt. 2. quæſt. 1. art. 12.*
(*d*) *Lib. de Ordine, & Extrema Unctione cap. 9.*
(*e*) *Lib. VIII. de adminiſtratione ſacr. Pœnitent.*
(*f*) *Act. VIII. 17.*
(*g*) *I. ad Timoth. IV. 14.*
(*h*) *Act. VI. 6.*
(*i*) *Joan. XX. 23.*
(*k*) Conſtituuntur nimirum ſacerdotes ob poteſtatem retinendi, & remittendi peccata, tamquam judices aliorum. Judicium autem fieri non poteſt, niſi cauſſa cognita, ad quam proinde confeſſio pœnitentium neceſſaria ſit.
(*l*) *Jacob. V. 14.*

Digitized by Google

trimonio (a): *& erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico, in Chriſto, & in Eccleſia*. II. Definivit quidem Tridentinum, ut jam dictum eſt (b), Chriſtum fuiſſe ſacramentorum inſtitutorem. Verum, licet particulam *immediate* non adpoſuerit, ne Theologorum in diverſa abeuntium ſententiam damnaret, ſatis tamen illius mens aliunde elucet. Pœnitentiam enim inquit a Domino inſtitutam (c), *quum a mortis excitatus, inſufflavit in Diſcipulos ſuos, dicens: accipite Spiritum ſanctum* &c. Apoſtolos in ultima Cœna (d), *novi Teſtamenti ſacerdotes* conſtitutos; inſtitutam Extremam Unctionem (e), *tamquam vere, & proprie ſacramentum novi Teſtamenti, a Chriſto Domino noſtro; apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum, ac Domini fratrem, Fidelibus commendatum, ac promulgatum*. Si igitur vulgaris loquendi uſus attendatur, nonne eo hæc redeunt, Chriſtum per ſe αὐτὸς, *immediate*, ſub certa rei *materia*, & verborum ſenſu, ſacramenta inſtituiſſe? III. Ita ipſum Tridentinum (f): *præterea declarat, hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in ſacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret*. Certum autem eſt ex eodem Tridentino *ſubſtantiam*, ſeu *eſſentiam* ſacramenti, in *materia*, & *forma* conſtitui. Quare, ubi adſignat diſcrimina inter Pœnitentiam, & Baptiſmum, ita loquitur (g): *nam, præterquamquod materia, & forma, quibus ſacramenti eſſentia perficitur, longiſſime diſſidet* &c. Quum poſſit itaque

(a) *Epheſ. V. 32.*
(b) *Supr. pag. 31.*
(c) *Seſſ. XIV. cap. I. de neceſſ. & inſtit. ſacr. Pœnit.*
(d) *Seſſ. XXII. cap. I. de inſtit. ſacr. Miſſ. ſacrif.*
(e) *Seſſ. XIV. cap. I. de inſtit. ſacr. Extr. Unct.*
(f) *Seſſ. XXI. cap. II. de Euch.*
(g) *Seſſ. XIV. cap. II. de differ. ſacr. Pœnit. & Bapt.*

que Eccleſia ritus tantum ſacramentorum, non eorumdem vero *ſubſtantiam*, qualibet in occaſione mutare; recte deducitur, *materiam*, & *formam* illorum a jure divino ſpeciatim deſcendere. IV. Accedit conſenſus, uſus, & praxis utriuſque Eccleſiæ, Græcæ, & Latinæ, quæ in omnibus ſacramentis, *materias*, in Scripturis deſignatas, ſemper adhibere conſuevit, ut preſſius loco ſuo conſtabit. Atque hæc de *materia*. Quod tamen *formas* ſpectat, veroſimilius videtur, eas a Chriſto non adeo *præciſe*, ac *ſtricte*, ſub certa verborum clauſula determinatas fuiſſe, bene vero ipſarum ſenſum præſcriptum (*a*), modo ſcilicet effectus ſacramentorum ſufficienter exprimeretur. Unde conſtat, Græcos, aliis verbis, quam Latinos, (minime tamen quoad ſententiam diſcrepantibus), valide Confirmationem, & Ordinationem conferre.

§. XII. *Ratio* congruentiæ *ex S. Thoma adfertur, cur nec plura ſeptem, nec pauciora a Chriſto inſtituta ſint ſacramenta.*

QUUM hæc ita ſint; nulla omnino ratio requirebat, ut nec pauciora, nec plura ſeptem, a Chriſto inſtituerentur ſacramenta. Divinæ enim id voluntatis conſilium fuit, adorandum mortalibus, non explorandum. Sed quoniam non potenter ſolum, ſed ſapienter etiam Deus operatur, hinc illud congruenter adfirmare licebit, quod S. Thomas (*b*) in hanc rem, ducta comparatione a vita corporali ad ſpiritualem, potiſſimum docuit. Homo enim, vel quoad ſe, vel quoad communitatem ipſam ſpe-

---

(*a*) Cur *materia* a Chriſto potiſſimum præſcripta, non autem certus verborum circuitus? Nimirum res non adeo ab hominum pendent voluntate, ut propterea facile mutari non poſſint, quemadmodum verba ſunt, quæ uſus, ac temporis mutationi maxime ſubjiciuntur.

(*b*) 3. *Part. quæſt. LXV. art.* 1. *in corp.*

ſpectari poteſt. Priore modo aliquam vitæ perfectionem adquirit, quum I. naſcitur, II. creſcit, III. nutritur; removet vero vitæ ipſius impedimenta, quum IV. ægrotus ſanatur, & V. priſtinæ reſtituitur valetudini, morbi reliquiis omnino depulſis. Poſteriore pacto in ordine ad ſocietatem perficitur, quum VI. ab aliquo poteſtatem habente regitur, vel VII. per matrimonium propagatur. Non abſimili ratione, ſeptem etiam ſunt novæ Legis ſacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium, de quibus ita Eugenius IV. (*a*): *horum quinque prima ad ſpiritualem uniuſcujuſque hominis in ſeipſo perfectionem: duo ultima, ad totius Eccleſiæ regimen, multiplicationemque ordinata ſunt. Per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur, per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem, & roborati, nutrimur divina Euchariſtiæ alimonia. Quod ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur: ſpiritualiter etiam, & corporaliter, (prout animæ expedit), per Extremam Unctionem, per Ordinem vero Eccleſia gubernatur, & multiplicatur ſpiritualiter, per Matrimonium corporaliter augetur.*

§. XIII. *Plura, quibus certa quæque ſacramenta inter ſe invicem differunt, expediuntur.*

Quoniam potiſſimum congruebat, ut ſeptem eſſent ſacramenta, quibus Eccleſiam ſuam Chriſtus formaret, regeret, firmaretque; moneret hic locus, ut ſeptem re tamen vera, nec ullum præterea minus, aut amplius, ab eodem inſtituta fuiſſe oſtenderemus. Sed hanc rem (quam ſuperius etiam attigimus), ubi de ſingulis agemus ſacramentis, potiſſimum proſequemur. Sunt tamen quædam, quæ hic breviter memoremus, quæque unum

(*a*) In *ſupr. cit. Decreto*, ſeu *Inſtructione Armen.*

unum præ altero ſacramento diſtinguunt, commendantque. I. Tria tantum ſacramenta, (quemadmodum loco ſuo demonſtrabitur), Baptiſmus ſcilicet, Confirmatio, & Ordo, imprimunt characterem, ſeu *ſignum* (*a*) *indelebile*, *animæ impreſſum*, *quo homo ab aliis diſtinguitur*, *atque idoneus efficitur ad nonnulla*, *quæ ſunt cultus divini*; h. e. in Baptiſmo ad ſuſcipienda deinde alia ſacramenta, in Confirmatione ad fidem publice profitendam, & in Ordine ad Eccleſiaſticas functiones rite ineundas. Quare Tridentinum (*b*): *ſi quis dixerit*, *in tribus ſacramentis*, *Baptiſmo ſcilicet*, *Confirmatione*, *& Ordine*, *non imprimi characterem in anima*, *h. e. ſignum quoddam ſpirituale*, *& indelebile*, *unde ea iterari non poſſunt*, *anathema ſit*. II. Baptiſmus pro omnibus hominibus, & Pœnitentia pro iis, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, ſunt ambo, ex divina inſtitutione, *neceſſitate medii* ſacramenta, ſine quibus nimirum æterna ſalus nullo pacto poteſt comparari. De priore enim inquit Chriſtus (*c*): *niſi quis renatus fuerit ex aqua*, *& Spiritu-ſancto*, *non poteſt introire in regnum Dei*. Sic vero de poſteriore (*d*): *niſi Pœnitentiam habueritis*, *omnes ſimul peribitis*. III. Non omnia ſacramenta parilis inter ſe ſunt dignitatis. In Baptiſmo quippe non peccati culpa tantum, ſed pœna etiam remittitur. Confirmatio ad profitendam coram Perſequutoribus fidem, gratiam donat ſpecialem. In Euchariſtia ipſe ſanctitatis auctor contine-

(*a*) S. Thomas 3. *Part. quæſt. XIII. art.* 3. inquirit, *utrum character ſacramentalis ſit character Chriſti*. Ita autem *in corp. totus autem ritus Chriſtianæ Religionis derivatur a ſacerdotio Chriſti*; *& ideo manifeſtum eſt*, *quod character ſacramentalis ſpecialiter eſt character Chriſti*, *cujus ſacerdotio configurantur Fideles*, *ſecundum ſacramentales characteres*, *qui nihil aliud ſunt*, *quam quædam participationes ſacerdotii Chriſti*, *ab ipſo Chriſto derivatæ*.

(*b*) *Seſſ. VII. de ſacram. in gen. Can. IX.*

(*c*) *Joan. III.* 5.

(*d*) *Luc. XIII.* 3.

tinetur. Pœnitentia peccata, etiam poſt Baptiſmum patrata, delendi habet facultatem. Ab Extrema Unctione peccatorum reliquiæ abſterguntur. Ordo a ſolis epiſcopis conferri poteſt. Matrimonium Chriſti cum Eccleſia unionem ſignificat. Præclare Tridentinum (*a*): *ſi quis dixerit, hæc ſeptem ſacramenta ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius, anathema ſit.*

CAPUT II.

De Baptiſmo.

§. I. *Joannis Jacobi Ruſſoii, Philoſophi Genevenſis, de peccato originali, & de Baptiſmo, deliramenta.*

INTRA Genevæ, infelicis urbis, mœnia (*b*), noſtra hac tempeſtate in medium erupit Joannes Jacobus Ruſſoius, qui Philoſophica libertate, tamquam univerſæ hominum gentis præceptor, & ſocietatis cenſor, in jus omne ſacrum, ac civile excandeſcens, juventuti præte-

(*a*) *Seſſ. VII. de ſacram. in gen. Can. III.*

(*b*) Urbs hæc a fide Chriſti, & communione Romano-catholicæ Eccleſiæ miſere deſcivit, ut Calvino, *Genevenſi Papæ*, quem tum prædicabant, adhæreret. Hodiernis moribus, nec vel prima fidei dogmata apud ipſam conſervantur. Ita in *Extrait de l'Ouvrage intitulé: Nouveaux Memoires, ou Obſervations ſur l'Italie, & ſur les Italiens, par M. Grosley de l'Académie Royale des Belles-Lettres pag.* 16. Videte *Mélanges de Litterature, d'Hiſtoire, & de Philoſophie Tom.*5. *pag.* 609. & *ſeq. la doctrine de Calvin ne s'eſt pas conſervée à Genève dans toute ſa sévérité. L'Arminianiſme l'a beaucoup adoucie... L'Inſtruction particuliere permet, ſur la révélation, ſur le péché originel, ſur les peines, & les récompenſes de l'autre vie certaines libertés, que l'inſtruction publique ne combat, ni ne détruit point.* Nimirum id ingenium eſt falſitatis, ut, tamquam in aera advolans fumus, multiplices ea paſſim induat formas, prout ventus ſpirat. Is contra character eſt veritatis, ut tamquam

terea ſtuduit, edito eam in rem omnium pernicioſiſſimo libello (*a*), ad libere vivendum viam munire. Multæ ſunt monſtroſi ſyſtematis falſitates, & impietates (*b*). Sed quæ ad peccatum originale, & Baptiſmum ſpectant, circa hæc verſantur. I. Naturam in primis uſque ſui motionibus rectam eſſe, nihilque perverſitatis originariæ in hominum cordibus reperiri (*c*). II. Doctrinam de peccato originis non adeo clarius, aut durius in Scripturis contineri, quemadmodum Auguſtinus, aliique adſeruerunt (*d*). III. Eam vero eſſe hujuſmodi, ac ſi Deus innocentes animos creet, & noxiis corporibus infundat, ut

---

quam rupes ſolidiſſima, immota ſemper, atque eadem reſiſtat, quod de fide in una Romana-catholica Eccleſia conſervata dicendum.

(*a*) *L' Emile, ou de l' Education.*

(*b*) Eas omnes in unum breviter collectas damnavit Decretum Curiæ Pariſienſis, *Arreſt de la Cour de Parlement* die 9. Jun. 1762. Unde mox eodem menſe die 11. liber igni per carnificem publice comburendus traditus. Hodiernus etiam Pariſienſis Archiepiſcopus, Chriſtophorus *de Beaumont*, Dux, & Par Galliæ, genere, pietate, doctrinaque nobiliſſimus, in *Paſtoralibus litteris*, vulgo *Mandement*, die 20. Auguſti *cit.* an. 1762. longiuſcula, ſapientiſſimaque oratione concivit, redarguitque. Tam *Arreſt*, quam *Mandement*, extant apud *Œuvres Diverſes de Jean Jacq. Rouſſeau Tom. III.* (*A Amſterdam* 1762.).

(*c*) *Mandement de Monſeigneur l' Archevêque de Paris*, apud *cit. Œuvres Diverſes de Rouſſeau Tom. III. pag. X. ſous le vain prétexte de rendre l' homme à lui-même, & de faire de ſon éleve l' éleve de la nature, il* (l' Auteur d' Emile) *met en principe une Aſſertion démentie, non ſeulement par la Religion, mais encore par l' expérience de tous les Peuples, & de tous les temps.* Poſons, *dit-il*, pour maxime inconteſtable, que les premiers mouvemens de la nature ſont toujours droits: il n'y a point de perverſité originelle dans le cœur humain. *A ce langage on ne reconnoit point la doctrine des ſaintes Ecritures, & de l' Egliſe, touchant la révelation, qui s' eſt faite dans notre nature. On perd de vûe le rayon de lumière, qui nous fait connoître le myſtere de notre propre cœur.*

(*d*) *Lettre de Jean Jacques Rouſſeau Citoyen de Genève a Chriſtophe de Beaumont Archevêque de Paris* apud *cit. Œuvres Di-*

ut ita corruptione infectos æternis deputet ſuppliciis, ex ſolo crimine unionis, cujus ipſe eſt cauſſa (*a*). IV. Hominem in Baptiſmo primam innocentiam acquirere; ſanctumque inde exire, quo modo pater Adam ex Dei manibus efformatus. Cur autem populi in vitia præcipites ruant? Chriſtianos omnes Angelos, infideles Dæmones fore oportere (*b*). V. Univerſam gentem hominum a primo parente peccatum derivare. Sed eccur ille peccavit? nonne ita Deum injuſtum videri (*c*)? VI. Inobedientiam Adami inutili, atque arbitrariæ prohibitioni, naturalem animi motum fuiſſe, non vitioſum; ſed conformem rerum ordini, rectæque hominis conſtitutioni, ab amore ſcilicet ſui, ſuorumque jurium conſervandorum profectum (*d*). VII. Non propterea interdictio-

---

Diverſes de Rouſſeau Tom. III. pag. 19. Ibi: *d' abord il s' en faut bien, ſelon moi, que cette doctrine du péché originel, ſujette à des difficultés ſi terribles, ne ſoit contenue dans l' Ecriture, ni ſi clairement, ni ſi durement, qu' il a plu au rheteur Auguſtin, & à nos Theologiens de la bâtir.*

(*a*) *Ibidem cit. pag.* ubi ſic pergit: *& le moyen de concevoir que Dieu crée tant d' ames innocentes, & pures, tout exprès pour les joindre à des corps coupables, pour leur y faire contracter la corruption morale, & pour les condamner toutes à l' enfer, ſans autre crime, que cette union qui eſt ſon ouvrage.*

(*b*) *Ibidem pag.* 20. *ſelon cette même doctrine, nous avons tous dans notre enfance recouvré l' innocence primitive; nous ſommes tous ſortis du baptême auſſi ſains de cœur qu' Adam ſortit de la main de Dieu.* Et inferius *pag.* 21. *avec le ſecours que vous avez dans la morale évangélique, outre le baptême, tous le Chrétiens, pourſuivroit-on, devroient être des Anges; & les Infideles, outre leur corruption originelle, livrés à leurs cultes erronés, devroient être des Démons.*

(*c*) *Ibidem pag.* 21. *nous ſommes, dites-vous, pécheurs à cauſe du péché de notre premier pere; mais notre premier pere, pourquoi fut-il pécheur lui-même? .... pourquoi faut-il que nous imputions à Dieu une injuſtice, en nous rendant pécheurs, & puniſſables par le vice de notre naiſſance?*

(*d*) *Ibidem pag.* 22. *in Not. regimber contre une défenſe inutile, & arbitraire, eſt un penchant naturel, mais qui, loin d' être*

dictionem, ſed monitionem paternam illam fuiſſe, ut a fructu mortifero ſibi ſcilicet Adamus temperaret. Quæ quidem interpretatio tum divinæ bonitati, tum emphaſi ipſi *morte morieris*, quæ nonniſi Hebraiſmus quidàm eſt, conformior videtur (*a*). VIII. Ob ſerpentis malitiam, & mulieris ſeductionem, leviſſimum videri primi hominis delictum. Talem verumtamen eſſe ipſius pœnam, qua major, etiamſi graviſſimum illud fuerit, fingi non poſſit, eum ſcilicet cum omni ſua poſteritate, & morte in hac vita, & igne in altera eſſe plectendum (*b*).

§. II.

---

d'être vicieux en lui-même, eſt conforme à l'ordre des choſes, & à la bonne conſtitution de l'homme: puiſqu'il ſeroit hors de état de ſe conſerver, s'il n'avoit un amour très-vif pour lui-même, & pour le maintien de tous ſes droits, tels qu'il les a reçus de la nature.

(*a*) *Ibidem pag. 22. in Not. auſſi l'ordre enfreint par Adam me paroît-il moins une véritable défenſe, qu'un avis paternel; c'eſt un avertiſſement de s'abſtenir d'un fruit pernicieux, qui donne la mort. Cette eſt aſſurèment plus conforme à celle, qu'on doit avoir de la bonté de Dieu, & même au texte de la Geneſe que celle qu'il plaît aux Docteurs de nous preſcrire: car quant à la menace de la double mort, on a fait voir que ce mot mor*te morieris *n'a pas l'emphaſe qu'ils lui prêtent, & n'eſt qu'un hébraïſme employé en d'autres endroits, ou cette emphaſe ne peut avoir lieu.*

(*b*) *Ibidem pag. 23. in Not. il y a de plus, un motif ſi naturel d'indulgence, & de commiſération dans la ruſe du tentateur, & dans la ſéduction de la femme, qu'à conſidérer dans toutes ſes circonſtances le péché d'Adam, l'on n'y peut trouver qu'une faute des plus légeres. Cependant ſelon eux, quelle effroyable punition! Il eſt même impoſſible d'en concevoir une plus terrible! car quel châtiment eût pu porter Adam pour les plus grands crimes, que d'être condamné, lui & toute ſa race, à la mort en ce monde, & à paſſer l'éternité dans l'autre dévorés des feux de l'enfer? Eſt-ce là la peine impoſée par le Dieu de miséricorde à un pauvre malheureux pour s'être laiſsé tromper?*

§. II. *Eadem deridentur.*

Sed mira ars ſerpentis, qui Hevam male ſuadendo decepit! Vaſra etiam Ruſſoii oratio, qui male ratiocinando (a), primorum patrum peccatum ſive rejecit, ſive excuſavit! I. Facit contra Ruſſoium, quod in Pelagi-

(a) Contra *Arreſt de la Cour de Parlement*, & maxime *Mandement* Archiepiſcopi Pariſienſis, de quibus paullo ante, menſe Novembri die 18. eodem an. 1762. in lucem edidit Ruſſoius *Lettre à Monſeigneur de Beaumont*, qua in *Emile* errores denuo propugnavit. Proſtat apud cit. *Œuvres Diverſes* in calce Tom. III. Videte, quæſo, quo pacto ratiocinetur, atque inde de ejus furore ingenii judicate. Ibi *pag.* 5. *un Genevois fait imprimer un Livre en Hollande, & par Arrêt du Parlement de Paris ce Livre eſt brulé ſans reſpect pour le Souverain, dont il porte le privilege. Un Proteſtant propoſe en pays proteſtans des objection contre l' Egliſe Romaine, & il eſt décrété par le Parlement de Paris. Un Républicain fait dans une République des objections contre l' Etat Monarchique, & il eſt décrété par le Parlement de Paris. Il faut que le Parlement de Paris ait d' étranges idées de ſon empire, & qu' il ſe croye le légitime juge du genre humain.* Et *pag.* 9. ita de ſeipſo: *echappé aux bourreaux il tombe dans les mains des Prêtres: ce n' eſt pas là ce que je donne pour étonnant: mais un homme vertueux, qui a l' ame auſſi noble, que la naiſſance, un illuſtre Archevêque, qui devroit réprimer leur lâcheté, l' autoriſe; il n' a pas honte, lui qui devroit plaindre les opprimés, d' en accabler un dans le fort de ſes diſgraces; il lance, lui Prélat catholique, un Mandement contre un Auteur proteſtant; il monte ſur ſon Tribunal pour examiner comme Juge la doctrine particuliere d' un hérétique .... Auſſi tôt le reſt de ſon Clergé s' empreſſe, s' évertue, s' acharne autour d' un ennemi qu' il croit terraſſé.* Riſum teneatis amici? Hominem contra veram Chriſti Romano-catholicam Eccleſiam impudentiſſime furentem, Monarchici imperii fundamenta evertentem, mortalium genus omne, philoſophicæ libertatis prætextu, ad effrænem vitæ libertatem temere excitantem, variam vario cælo, tempori, ac genti, Religionem ſubjicientem, *invincibilem* Divinitatis ignorantiam, *arbitrarium* Numinis cultum præfracte adſerentem, ceteros ante juventutis educatores, tamquam *rationalis* naturæ ignaros, deridentem, orbis univerſi ma-

lagium intorquebat Auguſtinus (*a*): *videte*, *quæſo*, *quomodo neſciens nitatur evertere medicinalium eloquiorum voces ſaluberrimas*: ego dixi, Domine, miſerere mei, ſana animam meam, quia peccavi tibi. *Quid ſanatur*, *ſi nihil eſt vulneratum*, *nihil ſauciatum*, *nihil debilitatum*, *atque vitiatum?* Inſunt itaque nobis innati quidam ad bonum ſtimuli, & certa virtutum ſemina. Sed natura ad malum propenſiores ſumus. Pueri rationis adhuc, & eruditionis incapaces, bonum averſandi, amandi malum capaces tamen ſunt. Ubi vero cum ætate ratio eluxit, adolevitque, virtutis excellentiam ſentimus, ipſa autem invita, in vitia rapimur, & illicimur. Pleni omnes libri, plenæ Sapientum voces, plena eſt experientiæ auctoritas (*b*): Ruſſojus unus nullam *perverſita-*

---

magiſterium adſectantem, humana denique, divinaque jura permiſcentem, hominem, inquam, qui ea amentia debacchatur, quique nihilominus ſe injuria damnatum conqueritur, audiendumne vos, ceu juſtum ſui patronum, ac bene *ratiocinantem*, putetis?

(*a*) *Lib. de nat. & grat. cap.* 19. Legeſis eumdem *lib. XXII. de Civit. Dei cap.* 22. ubi ex laboribus, & calamitatibus vitæ, vitiatam in ſua origine fuiſſe naturam argumentatur; & S. Thomam 1. 2. *quæſt. LXXXV. art.* 3. *in corp.* ubi quatuor inflicta eſſe vulnera humanæ naturæ adfirmat, ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, infirmitatem in adpetitu iraſcibili, & concupiſcentiam in concupiſcibili.

(*b*) Genevenſis hic Philoſophus vel Poeſi nimirum delectatur. Extat (inter illius Opera *Tom. I.*) *Intermede* h. e. *Le Devin du Village*; & *Comédie*), licet hæc proſa oratione ſcripta ſit), *Narciſſe, ou l'Amant de lui même*. Non abs re hinc eſt, ſi pauca Poetarum teſtimonia, quibus falſi convincitur, ei opponamus.

Virg. *Ecl.* 2.

. . . . trabit ſua quemque voluptas.

Horat. *Serm. lib. I. Sat.* 3.

. . . . denique teipſum
Concute, num qua tibi vitiorum inſeverit olim
Natura, aut etiam conſuetudo mala . . .

Tum deinde:

tatem originalem in hominum pectoribus deprehendit! Quale caput! ut omnia educationi, externiſque rebus tribueret, naturæ omnia denegavit (*a*)! II. In utroque Teſtamento diſertus ſermo eſt de peccato originali. Nimirum David (*b*): *ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*. Et Job (*c*): *quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu, qui ſolus es?* Tum Apoſtolus (*d*): *ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors per-* *tran-*

Nam vitiis nemo ſine naſcitur . . .
Ovidius *Metam. lib. VII.*
. . . . video meliora, proboque:
Deteriora ſequor . . .
Claudianus *lib. II. in Eutrop. Carm. XX.*
Et ruit in vetitum damni ſecura libido.
Sentiſne Ruſſoi? Optas amplius? Eſt & Perſius *Sat. I.*
Auriculas aſini quis non habet?
Certe quiſque ſuas. Sed tu, pace tua, a natura fortaſſe majores!

(*a*) Quam belle, ac ſapienter, Archiepiſcopus *de Beaumont* in *cit. Mandement pag.* XI. in hanc rem ediſſeruit! *oui, M. T. C. F. il ſe trouve en nous un mélange frappant de grandeur, & de baſſeſſe, d'ardeur pour la vérité, & de goût pour l'erreur, d'inclination pour la vertu, & de penchant pour le vice: étonnant contraſte, qui, en déconcertant la Philoſophie Payenne, la laiſſe errer dans de vaines ſpéculations! contraſte dont la révélation nous découvre la ſource dans la chûte déplorable de notre premier Pere!* Hujúſmodi etiam argumentum concinne perſequitur Cl. *Monſieur Paſcal* in lib. *Penſées ſur la Religion Tom. I. num.* 3. Nimirum nulla Paganorum Philoſophia ſatis explicavit, quo pacto homo ſenſum habeat magnitudinis, & deſiderium bonitatis, jaceat vero in miſeriis, & infirmitatem experiatur. Lumine tamen revelatæ fidei conſtare id tantum potuit, illum ſcilicet in juſtitia, & felicitate conditum, ab eo deinde gradu per peccatum infeliciter ruiſſe.

(*b*) *Pſalm. L.*

(*c*) *Job. XIV.* 4.

(*d*) *Ad Rom. V.* 12.

tranſiit, in quo omnes peccaverunt. Ac paullo poſt (*a*): *igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic* &c. Et iterum (*b*): *quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Conſonat agmen Patrum, non poſteriorum modo, ſed priorum trium ſæculorum, Cypriani, Hilarii, Ambroſii, Athanaſii, Baſilii, aliorumque, quos de hoc agens argumento laudabit Auguſtinus (*c*). Unde merito Tridentinum, Scripturis, & Traditioni innixum, anathema in eos inflixit, qui ſive peccatum Adæ, ſive illius in omnes homines transfuſionem negaverit (*d*). Porro hujuſmodi Catholicæ Eccleſiæ de peccato originali doctrinam neque Auguſtinus (*e*), neque alii umquam Theologi effinxerunt, aut duriorem reddiderunt; ſed eam, quam Apoſtoli prædicarunt, contra Pelagianos tradiderunt magis, & explicarunt. Recte hinc in Ruſſoium quadrare videtur, quod olim Pelagio, qui originalem labem negabat, & Auguſtinum ea de re novitatis accuſabat, ipſemet S. Doctor oppoſuerat (*f*): *non ego finxi originale peccatum, quod Catholica fides credit antiquitus: ſed tu, qui hoc negas, ſine dubio es novus hæreticus.* III. Optimus artifex in optimos rei uſus gladium finxerat. Malignus fortaſſe homo ad creandam alteri perniciem uſus fuit. Abutentiſne malitia, aut artificis manus in culpa eſt? Illum certe, non iſtum redargues. Parili modo condiderat

(*a*) *Ibidem v.* 18.
(*b*) *I. ad Corinth. XV.* 21.
(*c*) *Lib. II. contr. Julianum c.*4.
(*d*) *Seſſ. V. in Decret. de peccato origin.*
(*e*) Hipponenſem epiſcopum, Africæ ornamentum, Eccleſiæ Doctorem, Hæreticorum terrorem, & in quo Deus divitias bonitatis ſuæ ad miraculum oſtendit, ecce tibi Ruſſoius, verus *Incredulus*, falſus Philoſophus, per contemtum *rethorem* (*ſupr. pag.* 40.) adpellat! Sed procul o! latrantis canis rabies hæc.
(*f*) *Lib. II. de nuptiis, & concup. cap.* 12.

derat Deus hominem juſtum, beatum, cui cum libertate gratiam etiam donarat, ut poſſet, ſi vellet, in juſtitia, & beatitudine permanere (*a*). Abuſus eſt ille libertate ſua, ſibique, ac ſtirpi univerſæ ruinam tulit. Nonne ipſe volens miſer? Porro creantur animi, & uniti ſimul corporibus vitiantur. Creatio certe, & unio a Deo; contractio peccati a prava Adæ voluntate dependet. Seu, quod idem erit, Deus eſt *materialis* tantum cauſſa peccati, eo quod, tamquam proviſor generalis, animos creet, infundatque corporibus. Quæ quidem creatio, & infuſio eo uſque delicti expers eſt, ut ex ſui natura ad bonum ordinata fuerit, &, Adamo non peccante, nullam ſecum peccati labem ipſa tuliſſet. Contra voluntas hominis *formalis* cauſſa eſt peccati, eo quod iſte, quum potuiſſet non tranſgredi mandatum divinum, tranſgreſſus eſt, effecitque, ut unio iſthæc animorum cum corporibus, ad bonum, conſilio Dei, ordinata, in malum, ex pravitate hominis, verteretur. Præclare Anſelmus (*b*): *Deus bona facit opera ſua ſola bonitate, quoniam ipſe creat voluntatem cum libero arbitrio... mala vero facit ſola culpa hominum, quia ea non faceret, ſi homo illa facere non vellet: facit tamen hoc quod ſunt, quoniam condidit in homine voluntatem.* IV. Baptiſmus hominem priſtinæ reſtituit ſanctitati, omneque id tollit, quod veram, ac propriam habet rationem peccati: *in renatis enim*, inquit Tridentinum (*c*), *nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis iis, qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem.* Ce-

---

(*a*) Auguſtinus *lib. de corrept. & grat. cap.* 11. *quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? imo vero habuit magnam.* Tum vero: *tale quippe erat adjutorium, quod deſereret, quum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, ut vellet. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam: ſed hac potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit, ut habeat homo juſtitiam, ſi velit. Secunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, ut velit.*

(*b*) *Lib. de concord. grat. & lib. arbitr. cap.* 14.

(*c*) *Seſſ. V. in Decret. de peccato origin.*

Ceterum manet in baptizatis concupiſcentia, *ad agonem relicta* (*a*). Nimirum non ignavis, ſed fortibus militibus corona promittitur immortalitatis. Adpoſite Apoſtolus (*b*): *nam & qui certat in agone, non coronatur, niſi legitime certaverit*. Quum hæc ita ſint, vitia etiam in Chriſtiano populo adoleſcunt, & irrepunt, non quod nullus ſit Baptiſmi effectus, (ut impius Genevenſis adſtruere videtur), ſed quod concupiſcentiæ, cui occurrendum eſſet, plerumque indulgetur. Profecto ſi unum ab altero Ruſſojus bene diſtinxiſſet, de remedio peccati originalis, h. e. de Baptiſmo, non adeo male ſenſiſſet (*c*)! V. Homo, divini Artificis opus ſapientiſſimum, in juſtitia, & innocentia creatus fuerat (*d*). Ut vero bonum non neceſſitate, ſed electione operaretur, quemadmodum intelligens, ita liber (*e*) etiam factus eſt. Immo & gratiam habuiſſe diximus, qua, ſi voluiſſet, in innocenti eo ſtatu libere perſeverare potuiſſet. Noluit is tamen, & imperata facere detrectavit. Non propterea Opificis, a quo bonus exivit, nec naturæ, quæ ſana fuit, & a concupiſcentia immunis; ſed, ut paullo ante obſervatum, propriæ ipſius hominis voluntatis culpa

(*a*) Tridentinum *cit. loc.*

(*b*) *II. ad Timoth. II.* 5.

(*c*) Confer nihilominus Chriſtianorum invicem, & Infidelium ſocietates. Illæ certe, quamvis nec in iis vitia deſint, nec corruptelæ, moratiores tamen magis ſunt, bonique, ac recti amantiores. In ea itaque re prævalet etiam Baptiſmi gratia, & fidei lux, quæ unis, non alteris adfulſit.

(*d*) Ita *Eccleſiaſtes VII.* 30. *ſolummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum*. Et *Eccleſiaſtici XVII.* 6. *creavit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu implevit cor illorum*.

(*e*) Non cognitio ſolum, qua homo belluis præſtat, ſed libertas etiam perfectio quædam eſt, qua idem aliquid facere, nec ne, ſponte ſua poteſt. Omnino autem mentibus intelligentibus *eſſentialis* hæc eſt. Quum enim multiplex boni genus ſit, variuſque illud adſequendi modus, facultas hinc requirebatur, qua ipſum ſeligeretur, vel omitteretur. Aufer homini libertatem. Meritis, & virtutibus locum auferes, nec vero ille, niſi verum *αυτοματον*, & inanime quoddam, reputandus.

pa extitit, quod data ſibi libertate miſere abuſus eſt. Quomodo hic injuſtus Deus (*)? VI. Jura ſupremæ Poteſta-

(*) Sed eccur Deus tantam primo homini non contulerit gratiam, *efficacem* nimirum, ſeu adjutorium *quo*, ut loquitur Auguſtinus, qua ille nihil prorſus deficiens, divino mandato certiſſime, & inviɛtiſſime obtemperaſſet; præſertim quum prævideret, quod *ſufficienti* tantum auxilio, ſeu adjutorio *ſine quo*, ut ipſemet ait Auguſtinus, ille idem munitus, male voluntate ſua uſurus, ac miſere fuiſſet peccaturus? Indignum profecto eſt, ut homo a Conditore ſuo divinorum factorum, ac ſublimium conſiliorum rationem quærat. Verumtamen quæ ſanior ratio, ac revelata fides ſuadere videntur, hæc ſunt. I. Intelligentiarum liberarum, ac finitarum proprium eſt, ut electione, prælatione, dilectione, bonum hoc, aut illud, fictitium, an verum, adparens, vel *reale*, amplectantur. Debuit hinc Deus pro ſua ſapientia, ac juſtitia, idonea primo homini largiri, ad ſequendum bonum, ſubſidia, ac gravibus minis, ad fugiendum malum, timorem incutere. Sed minime debebat aut liberum arbitrium tollere, aut efficaci gratia illud roborare. Nam idem fuiſſet, ac eum vel non liberum creare, vel *impeccabilem* facere. Primum perfectioni libertatis, alterum *eſſentiæ* ipſi naturæ finitæ, atque per ſe deficientis, repugnaſſet. Libertatem itaque dedit, & ſufficiens adjutorium *ſine quo* adjunxit, quo, ſi vellet, facile potuiſſet bonum operari. Vim hujuſce argumenti declinare non potuit Petrus *Bayle*, & pœne ad incitas redactus, Deo libertatem ademtam voluiſſet, liberas ſcilicet intelligentias creandi. Ita enim in *Dictionnaire Hiſtorique* verb. *Manichéens litt. D. in Not. au lieu de donner le franc arbitre, elle détermineroit au bien ſes créatures.* Non vidit autem impius, ſe certam, ac finitam facere Creatoris Omnipotentiam, ut malitiam hominis excuſaret! Deberetne Princeps a ſanciendis legibus abſtinere, eo quod civis, qui poteſt, ac debet eas exequi, ſolo ingenii malo, earum refugit obſervationem? II. Sanus homo cibo tantum indiget ad nutriendum, infirmus medicina etiam ad ſanandum. Ita Adamus integræ adhuc naturæ, & in juſtitia originali conſtitutus, illius dumtaxat gratiæ opus habebat, quæ ſano homini conveniebat, quæque gratia dicitur *Creatoris*, & qua ſolum, ſi libuiſſet, divinis juſſibus parere potuiſſet. Quum vero per peccatum humana natura debilitata ſit, & ob pravam concupiſcentiam miſere infirmetur, efficacius, & copioſius auxilium neceſſarium fuit, infirmo utique

teſtatis requirebant, ut Creatori ſuo recens effictus homo ſubjectionem aliquo pacto teſtaretur. Divinæ Bonitati congruebat, ut proteſtatio iſthæc *dependentiæ* ſuavis eſſet, ac facilis. Sapientiæ autem erat, & amore prœmii in officio illum continere, & minarum metu a præcepti violatione deterrere. Qua fronte igitur Ruſſojus

---

que mortalium ſtatui adcommodatum, quo tanta imbecillitas roboraretur, & ſuſtineretur. Atque hæc fuit gratia *medicinalis*, quæ dicitur *Redemtoris*, quam Chriſti merita large nobis promeruerunt; de qua olim vaticinatus fuerat David *Pſal.* 129. *copioſa apud eum redemtio*. Sapienter Auguſtinus *lib. de corrept. & grat. cap.* 12. *primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare... datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret; ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet.... tales vires habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſeipſo concupiſcentialiter reſiſtebat, ut dignæ tantæ bonitati, & tantæ bene vivendi facilitati perſeverandi committeretur arbitrium... nunc vero poſteaquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas... nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent; inter tot, & tantas tentationes, infirmitate ſua, voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent: quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia, indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur; & ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur*. III. In Deo, tanquam in *Ente* perfectiſſimo, aut in cumulo omnium perfectionum, non Bonitas ſolum, ſed Juſtitia etiam obtinere dicenda eſt. Quemadmodum autem nullum ſibi invicem adtributum, nulla ſibi ex adverſo perfectio opponitur; ita nec Bonitas Juſtitiam, nec Juſtitia Bonitatem debet excludere. Certe etiam in Principe utraque ſimul deſideranda, & commendanda eſt. Finge contra, hominem in gratia originali conſtitutum, & confirmatum. Ei ut *impeccabilitatem* tribuas, perfectionem libertatis, ut ſuperius diximus; Deo ut Bonitatem vindices, Juſtitiæ adtributum denegares! IV. Immo, ſi ſapias, adeo inſigni-

jus *inutilem*, & *arbitrariam* hanc adpellat prohibitionem, in qua ita emicant divina adtributa? Ceterum, peccatum parentum proprie fuit ſuperbia, qua elati ob propriam excellentiam, divinam, ſupra ſui menſuram, adpetierunt ſimilitudinem (*a*). Quare Auguſtinus (*b*): *Adam, & Heva rapere voluerunt Divinitatem, & perdiderunt felicitatem.* Quod ſi Genevenſi placet, inobedientiam illam fuiſſe motum quemdam naturalem, quo Adamus ſe, ſuaque jura tueri adamavit, vitioſus certe is fuit, & pœna plectendus. Potius enim Deo, qui mandatum fecerat, & minas adjecerat, quam ſerpen-

---

gniter Divinitatis characteres ex permiſſione peccati majorem accipere lucem, & clarius manifeſtari videntur, ut Deus, prævideri quamvis lapſum Adami, & multam ejus progeniem in Tartara deinde ruituram, nihil tamen ad malum ejuſmodi impediendum obſtrictus fuiſſe dicendus ſit. Ea enim maxime in occaſione elucet ſapiens Miſericordia, & miſericors Sapientia, qua per Chriſtum Mediatorem infirmo homini proviſum eſt: unde Sabbato S. in benedictione Cerei canit Eccleſia: *o felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemtorem!* Juſtitia, qua præmio bonum, malum pœna adficitur; Sanctitas, quum nonniſi in Divina Religione per Deum hominem factum honor Deo ipſi præſtatur; Omnipotentia, eo quod imbecilla natura, Reparatoris gratia roborata, nec tentationibus, nec perſequutionibus cedit; Beneficentia, quum ob Chriſti merita ditiora in nos gratiarum munera proficiſcuntur; & ſic de ceteris divinis adtributis. Quo ſpectavit Auguſtinus in *Enchirid. cap. 27. melius enim judicavit* (Deus), *de malis bene facere, quam mala nulla eſſe permittere.* V. Nec tamen merito inde queri poſſunt reprobi, quod poſito eorum malo, tamen hæc bona provenerunt. Nimirum ſi de Adamo ſermo eſt, tum ſubſidia ei præſtita, ut bonum ageret, tum minæ, ut malum aufugeret, acceſſere. Si de homine lapſo, jam ita Tridentinum *ſeſſ. VI. cap. XI. in Decret. de juſtif. Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.* Non Deo itaque, ſed hominis voluntati omnis adſcribenda culpa eſt, quod in peccatum decidat, & peccati pœnas luat.

(*a*) S. Th. 2. 2. *quæſt. CLXIII. art. 2. & ſeq.*

(*b*) In illud *Pſal. LXVIII. quæ non rapui, tunc exſolvebam.*

penti, qui aliud ſuadebat, credere ille tenebatur. VII. Letalis erat uſus pomi, quia prohibitus; non autem prohibitus, quia letalis. Poterat enim Deus fructum arboris *boni*, *&* *mali* Adamo edendum permittere, quemadmodum alios conceſſerat, eique in ſignum ſupremi dominii aliud quidpiam demandare. Non poterat propterea præceptum illud divinum eſſe *paterna monitio*, quippe quæ ſupponeret, quod pomi manducatio, natura ſua *antecedenter* ad Dei juſſum, mortifera fuiſſet. Debuit contra eſſe vera prohibitio, quæ rem ſuopte ingenio innocentem, qualis eſt fructus comeſtio, ex adjecto divinitus imperio, teſtimonium ſubjectionis, & cauſſam conſtitueret ruinæ. Neque vero prohibitioni hujuſmodi divina Bonitas adverſatur. Hæc enim facilitatem tantum exigit præceptam rem exequendi, non vero facultatem excludit in Creatore creato homini ſuo rem aliquam, in *homagii* teſtificationem, præcipiendi. Secus, Dei Bonitas ejuſdem Poteſtati opponeretur. Tandem *τὸ morte morieris* veram fuiſſe comminationem, non meram dicendi *emphaſim*, eventu probatum eſt. Nam & mox (*a*) *aperti ſunt oculi amborum*, ſeu experientia cognoverunt, ſe a felicitatis ſtatu in profundum ærumnarum decidiſſe, ut Deus minatus fuerat; & ſententiam tum mortis audiverunt (*b*): *in ſudore vultus tui veſceris pane*, *donec revertaris in terram*, *de qua ſumtus es*. Quo facit Apoſtolus (*c*): *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*, *&* *per peccatum mors*. VIII. Mulier gravius quidem viro peccaſſe videtur, *quantum ad ſpeciem ſuperbiæ*, ut inquit S. Thomas (*d*); tum quod ipſa ſerpenti credidit, non autem ille; unde ipſe Apoſtolus (*e*): *Adam non eſt ſeductus*, *mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit*; tum quod ei-

(*a*) *Geneſ. III. 7.*
(*b*) *Ibidem v. 19.*
(*c*) *Ad Rom. V. 12.*
(*d*) *2. 2. quæſt. CLXIII. art. 4. in corp.*
(*e*) *I. ad Timoth. II. 14.*

eidem peccandi occaſionem præbuit. Verum non hæc ita ſunt, ut Adami peccatum leviſſimum fuerit. Graviſſimum quippe extitit, non ratione *objecti*, (idololatria enim, & blaſphemia, natura ſua graviora ſunt peccata); ſed *circumſtantiarum*, puta, ob perfectionem ſtatus, & ſanctitatem perſonæ, ob plenitudinem libertatis, nec concupiſcentia agitatæ, nec infirmitate languefcentis, & ob facilitatem præcepti (*a*). Jamvero gravitati delicti gravis pœna reſpondit. Corpus nimirum, quod morte primum eximebatur, moriendi neceſſitati ſubjectum eſt; animus, qui æternam Divinitatis ſimilitudinem *inordinate* concupiverat, æternis mancipatus ſuppliciis; & gens hominum univerſa, (quæ in Adamo *radicaliter* continebatur, quæque in ipſo innocente innocentiam participaſſet), ab eodem propagatione (*b*) transfuſa, eamdem paterni ſceleris pœnam experta eſt (*c*). Si ea plus æquo gravior videtur Ruſſojo, ceteriſ-
que

(*a*) S. Th. *ibidem art. 3. in corp.*

(*b*) Ita Auguſtinus *lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 23. hæc concupiſcentia, quæ ſolo ſacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum regeneratione trajicit in poſteros.* Idem habet S. Th. 1. 2. *quæſt. LXXXI. art. 3. & ſeq.* Atque nonniſi eo pacto originale peccatum contrahitur, non quod ſcilicet animus traducatur ex carne, ſed quod vi generationis producatur humana natura, quæ infecta eſt in Adamo, & cui jam productæ, & diſpoſitæ, conjunctus mox animus vitiatur. Adpoſite Auguſtinus *lib. V. contra Julianum cap. 4. alterum in altero*, (anima ſcilicet in corpore), *tamquam in vaſe vitiato corrumpitur*. Hinc intelligitur, carnem Chriſti fuiſſe omnis peccati expertem, quod virtute Spiritus-ſancti, non ordinario humani ſeminis modo fuerit concepta, de qua re Auguſtinus *cit. lib. V. contra Jul. cap.* 13. & Hevam, ſi ex coſta Adami poſt peccatum formata eſſet, minime originali labe contaminatam futuram fuiſſe, quum non extitiſſet in Adamo ſecundum ſeminis rationem, ut fatentur Theologi; ac denique, ſi fieret, ut aliqui homines haud ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, tum eos neque injuſtos naſcituros, ut teſtatur Tridentinum *ſeſſ. VI. cap. 3. in Decret. de juſtif.*

(*b*) In crimine adfectandi Regni, ac gravioribus *læſæ
Ma-*

que hujuſce ſæculi mollioribus Sapientulis (*a*); confidentne ii, qui injuſtitiæ notam Deo adtribuunt, ſe juſte delicti gravitatem æſtimare potuiſſe?

§.III.

Majeſtatis delictis, ob paternum ſcelus, liberi etiam, licet innoxii, quoniam tamen unam cum patre familiam componunt, publicatione bonorum, exilio, carcere, aliiſque pœnis haud immerito multantur. Quidni idem dicendum de filiis Adæ, quorum voluntates in ejuſdem voluntate includebantur, & qui, (teſte S. Th. 1. 2. *cit. quæſt. LXXXI. art. 1. in corp.*), *poſſunt conſiderari ut unus homo, inquantum conveniunt in natura, quam a primo parente accipiunt, ſecundum quod in civibus omnes homines, qui ſunt unius communitatis, reputantur quaſi unum corpus, & tota communitas, quaſi unus homo?*

(*a*) Chriſtus ignem Inferni *Matth. III.* 12. vocat *inextinguibilem*, & apud eumdem *XVII.* 8. *æternum*. Tum ibidem *XXV.* 41. ait: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum*. Pariter Paulus *II.* ad *Theſſal. I.* 9. *qui pœnas dabunt in interitu æternas*. Ac Judas *Epiſt. Cathol. v.* 7. *ignis æterni pœnas ſuſtinentes*. Et tandem Joannes *Apoc. XX.* 10. *cruciabuntur die, ac nocte in ſæcula ſæculorum*. Eccleſia Græca, & Latina ab ſuis uſque primordiis *æternitatem* pœnarum confeſſa eſt. Hodie Genevenſes Doctores indignum Deo exiſtimant, ut æternis ipſe peccatum puniat ſuppliciis, atque hæc nonniſi temporaria admittunt. Adite *Deſcription abregée du gouvernement de Genève pag.* 382. apud *Mélanges de litterature d'Hiſtoire, & de Philoſophie* (*Tom. II. A Amſterdam* 1773.). Sic ibi: *l'enfer, un des points principaux de notre croyance, n'en eſt pas un aujourd'hui pour pluſieurs Miniſtres de Genève; ce ſeroit, ſelon eux, faire injure à la Divinité, d'imaginer que cet Etre plein de bonté, & de juſtice, fût capable de punir nos fautes par une éternité de tourmens*. Haud diverſa jactavit ſæculi monſtrum Volterius in *Poëme ſur la Loi naturelle*, (quod eſt compendium quoddam omnium ejus impietatum, ut optime optimus Nonnottus demonſtravit in *Erreurs de Voltaire Tom. II. cap. XXVII.*), ubi *in fine*:

Je vois, ſans m'alarmer, l'éternité paroître,
Et je ne puis penſer, qu'un Dieu qui m'a fait naître,
Qu'un Dieu qui ſur mes jours verſa tant de bienfaits,
Quand mes jours ſont éteints, me tourmente à jamais.

Qui quidem verſus ita a doctiſſimo, amiciſſimoque Canonico Florentino, Bonſo Pio Bonſi, (*Errori di Voltaire Tom. II.*

 cap.

§. III. *Martini Kemnitii, Theologi Lutherani, contra Tridentinos Patres, qui ex Decreto de peccato originali Immaculatam Virginem excipiendam voluere, accuſationes.*

Quum hæc de peccato originali ita ſint, noluerunt Tridentini Patres quæſtionem de immaculato Virginis conceptu expreſſe definire; ſed, poſtquam exiſtentiam, & tranſfuſionem primigeniæ culpæ in omne mortalium genus ſtatuerunt, hæc ſubjecere (*a*): *declarat tamen hæc ipſa S. Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem, ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones fel. record. Xyſti Papæ IV. ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, quas innovat*. Obmurmurat hinc more ſuo Martinus Kemnitius, Brandegburgenſis, vergente ſæc. XVI. Melancthonis diſcipulus, & Theologus Lutheranus, accuſatque Patres Tridentinos, quod Xyſtinam Conſtitutionem, quæ diſputationem ſub libera utrinque opinandi facultate reliquit, renovantes, re tamen vera Deiparam a peccato originali, nec Scripturis, nec Traditionibus, ſed miraculis, & revelationibus innixi, temere excluſerunt. Ita ipſe audaciſſimus (*b*): *quibus autem documentis*

cap. XXVII. art. XI. num. 13. pag. 249. Firenze 1773.) Italico ſcripti idiomate:

Senz' alterarmi ſovraſtar mi vedo
L' eternità; nè immaginarm' io poſſo,
Come quel Dio, che mi donò la vita,
Che a larga man ſopra i miei giorni ha ſparſe
Le ſue beneficenze, allor ch' io muora,
Mi voglia tormentare in ſempiterno.

Videant, qui hæc volunt, ne juſti Numinis æternas facto ſuo experiantur pœnas!

(*a*) *Seſſ. V. in Decret. de peccat. origin.*

(*b*) In *Examine Concilii Tridentini ad Appendicem Decret. Seſſ. V. Trid. Conc. pag.* 107. (*Genevæ* 1614.).

tis oſtendunt, ab expreſſis generalibus Scripturæ ſententiis de peccato originali, Mariam Virginem eſſe excipiendam? Num Sacra Scriptura ita docet? Non docet. Num forſan ſit mentio apud Veteres hujuſmodi alicujus traditionis, quaſi ab Apoſtolis acceptæ? Non ſit. Num forſan vetus Eccleſia ita ſenſit? Num Patres ita docuerunt? Neque hoc oſtendi poteſt. Sed allegantur revelationes, finguntur miracula . . . Nec Scripturam igitur, nec Traditiones curant Pontificii, quando volunt novos fidei articulos condere, ſed ſolum fundamentum eſt, quod Perſius inquit: quod volumus, ſanctum eſt. *Vel ſicut Canoniſtæ loquuntur:* voluntas Papæ eſt ipſi pro lege in his, quæ vult.

§. IV. *Diſpelluntur.*

QUANTA tamen furoris ſimul, & erroris vis! I. Incaleſcentibus ubique de Conceptione Virginis quæſtionibus, non ſine Chriſtianæ caritatis, ac pacis detrimento, neque iis adhuc per Romanam Sedem definitis, prohibuerat quidem Xyſtus IV. (*a*), ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, ſibique reſervata, ne utraque pars, piæ ſententiæ favens, aut adverſa, ſe invicem crimine hæreſeos, vel peccati mortalis notaret. Xyſtinam Conſtitutionem Tridentinum probavit (*b*). Quid autem hac in re ab eo peccatum eſt? Fortaſſe, quod in Decreto de peccato originali includendam eſſe noluit Deiparam? At id neque adfirmando præſtitit, neque negando, ſed liberam unicuique opinandi veniam relinquendo, ut Xyſtus conſtituerat. An vero, quod ſatis

(*a*) Conſtit. *grave nimis* an. 1483. Refertur in Extrav. Comm. tit. *de reliquiis, & venerat. Sanct. cap. II.*

(*b*) *Cit. Seſſ. V. in Decret. de peccat. origin.* Immo etiam plerique ſequentes Pontifices confirmarunt. Ita Pius V. Conſtit. *ſi ſcandala* an. 1560. & altera *ſuper ſpeculam* an. 1570. tum Paulus V. Conſtit. *Regis pacifici* an. 1616. & alia *Sanctiſſimus* an. 1617. atque inde etiam Alexander VII. Conſtit. *ſollicitudo* an. 1661.

ſatis ſignificavit, ſe a parte ſtare intemerati Conceptus (*a*)? At enim cui latet, ipſum præterea Xyſtum innoxio Virginis Conceptui adeo etiam inſigniter faviſſe, ut iis, qui Conceptionis Feſtivitatem celebrarent, aut Miſſæ, & officio, in ejuſdem Feſto, vel intra Octavam intereſſent, eaſdem, quas Urbanus IV. (*b*) in Sollemnitate Corporis Chriſti, indulgentias conceſſerit? Nihil itaque Tridentini Patres alienum quidpiam a Xyſto decreverunt. II. Pœne triumphum agens Kemnitius, ex ſilentio Scripturarum, Traditionis, veteriſque Eccleſiæ, intemeratam Virginis Conceptionem oppugnat. Sed tantam triumphandi fortaſſe cauſſam non habet. Mox enim videbimus (*c*), non obſcura eſſe ſacrarum litterarum, & antiquorum Patrum loca, quibus mirum hoc Deiparæ privilegium potiſſimum ſignificatur, & commendatur. III. Certe Tridentinum, ut veritatem fidei contra Novatores adſereret, nullo ſibi *ordine*, & *via*, niſi Scripturarum, & Traditionum teſtimoniis, ac præſidiis, progrediendum eſſe edixit (*d*). Et nos verbum Dei dumtaxat fidei regulam poſuimus (*e*), ſive illud traditum, ſive etiam ſcriptum ſit. Si aliud Bran-

(*a*) Propoſuerat Legatus Apoſtolicus, ut Decreto de peccato originali hujuſmodi exceptionis formula adponeretur: *quod ad B. Virginem attinet, Sacrum Concilium nihil definire intelligit, quamvis pie credatur eam ſine originis peccato conceptam fuiſſe*. Longe admodum major Patrum pars in illius ſententiam deſcendit, eamque propugnavit, licet plerique Dominicanæ familiæ Epiſcopi, ac Theologi adverſarentur, taciteque illa formula probatam clamarent ſententiam de immunitate Mariæ a peccato originis. Ne vero vel pauci ea in re offenderentur, illa, conſentientibus omnibus, adnexa deinde eſt clauſula, quam ſuperius *pag.* 54. adduximus, & in qua, obiter licet, Virgo nihilominus *immaculata* prædicatur.

(*b*) Conſtit. *tranſiturus*, quam Clemens V. in Concilio Viennenſi confirmavit, & inſerta habetur in Clement. *ſi Dominum* cap. unic. *de reliquiis, & venerat. Sanct.*

(*c*) In §. *ſeq.* quo Kemnitiana adſertio falſi arguetur.

(*d*) *Seſſ. IV. in Decret. de Canon. Script.*

(*e*) *Tom. I. pag.* 158. & *ſeqq.*

Digitized by Google

Brandegburgenſi videtur, doceat is, quæſo, aliquem ex definitis fidei articulis, qui neque ex Scriptura, neque ex Traditione, ſed mera tantum Pontificis voluntate definitus ſit (*a*)! IV. In eo præterea decipitur Kemnitius, quod myſterium immaculati Conceptus definitum hodie apud nos fidei articulum putet. Illud tamen intra piæ tantum ſententiæ fines continetur, cui & Apoſtolicæ Sedis auctoritas, & unanimis fere Fidelium conſenſus, plurimum præcipue roboris impertivit. Qualis hoc in negotio igitur *diſpotica* voluntas Pontificis? Certe, ſi ſequuturo tempore inter revelatæ fidei dogmata Deiparæ etiam Conceptus numerandus eſt; ſola Traditione duce, ac Scriptura, per legitimam Eccleſiæ poteſtatem, quam in fidei, & morum definitionibus *proponentem* eſſe regulam docuimus (*b*), erit procedendum.

§. V. *Sententia immaculati Deiparæ Conceptus confirmatur*.

Non abs re interea erit, ſi immaculatum Virginis Conceptum, contra effuſiorem Kemnitii rabiem, paullo fuſius vindicemus. I. Extat hanc in rem luculentiſſimum præcipue (*c*) Scripturarum teſtimonium. Quippe ita

(*a*) Credunt Heterodoxi ea, in quibus ipſi a nobis diſſentiunt, nova eſſe fidei dogmata, puta, divinam Rom. Pontificis auctoritatem, Traditiones, Indulgentias, præter Baptiſmum, & Cœnam, cetera etiam ſacramenta, Purgatorium, cultum Imaginum, aliaque, de quibus fuſe Theologi, & nos paſſim quædam vel dedimus, vel daturi deinceps ſumus. Non vident autem, nec innovationes, vel adjectiones, ſed declarationes iſtas eſſe fidei, quibus, ut ſuperius identidem dictum eſt, contra pullulantes novos errores, antiqua Evangelii veritas, novis formulis, & definitionibus, ad amuſſim ſemper tamen verbi Dei ſcripti, & traditi, magis expedita, & confirmata ea eſt.

(*b*) *Tom. I. pag.* 168.

(*c*) Plura Scripturæ loca huc ſolent adferri. Nos uno contenti ſumus, quo non ſenſu allegorico ſed vero, ac proprio innocuus Virginis Conceptus deſignatur.

ita ſcilicet ab Angelo, Incarnationis nuntio, Virgo ſalutatur (*a*): *χαιρε κεχαριτωμενη*, h. e. *ave in gratia*, aut *ex gratia formata*. Quæ quidem Græci nominis vis eſt, & poteſtas (*b*). Adprime Amphilochius, epiſcopus Iconienſis, qui laudatam vocem *κεχαριτωμενη* eadem ſub intellectione interpretans, parili vocabulo Deiparam *χωρις αμαρτιας τετυγμενην*, *ſine peccato fabricatam* prædicavit (*c*). Quæ igitur mire eſt *κεχαριτωμενη*, *in gratia* ſcilicet *formata*, aut *ſine peccato fabricata:* mirumne erit, ſi labis expers *originalis* in primæva ſui origine extiterit (*d*)? II. Primum omnium huc facit Apoſtolus Andreas, cujus hæc effertur ſententia (*e*) : *& quomodo*

(*a*) *Luc. I.* 28.

(*b*) Vox *κεχαριτωμενη* a verbo Χαριτοω, participium eſt præteriti temporis, & non quæ *ornatur* in præſentiarum *gratia*; ſed quæ jamtum, a primo ſcilicet ſuæ vitæ momento, *gratia prædita*, *ornata*, *in gratia effecta* fuerat, proprie ſignificat.

(*c*) Sic ipſe *Orat. IV. in S. Deiparam & Simonem* : *qui enim antiquam illam virginem ſine probro condidit*, *ipſe & ſecundam ſine nota*, *& crimine fabricatus eſt*. Nec abludit Origenes *Homil. IV. in Evang. S. Luc. id enim quod ait* ave gratia plena, *quod Græce dicitur κεχαριτωμενη*, *ubi in Scripturis alibi legerim*, *non recordor: ſed neque ad virum iſtiuſmodi ſermo eſt*, ſalve gratia plena : *ſoli Mariæ hæc ſalutatio ſervatur*.

(*d*) At ſi vox *κεχαριτωμενη*, ut dictum, participium eſt præteriti temporis, & *in gratia formatam* denotat; ecquid Latinus Lucæ Interpres in *gratia plena* convertit, tem quaſi præſentem ſignificans? Voluit nimirum non *intenſive* ſolum, ſed *extenſive* etiam gratiæ effectum exprimere, docens tali illam copia fuiſſe Virgini in prima ſui formatione infuſam, ut ad omnia inde vitæ momenta ſeſe facile extenderit. Quod ut innueret, verbis *gratia plena* uſus eſt, metaphorica expreſſione *plenitudinis*, gratioſam eam ſemper apud Deum deſignans, in ſui ſcilicet primordiis, tum cetero vitæ curſu, ipſa etiam hora, qua Incarnationis nuntium accipiebat, atque omni denique tempore conſequuturo. Præclare Fulgentius *Serm. de laudibus Mariæ: quum dixit* gratia plena, *oſtendit ex integro iram excluſam primæ ſententiæ*.

(*e*) Adite libellum *Paſſio S. Andreæ per presbyteros*, *& dia-*

do de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum prævaricationis mundo mortem intulerat; neceſſarium fuit, ut de immaculata Virgine natus Chriſtus, perfectus homo, qui eſt Dei filius, qui primum hominem fecerat, vitam æternam, quam perdiderant homines, repararet. In eumdem fere modum Patres ſive Græci, ſive Latini loquuti ſunt; & quidem paullo obſcurius, licet non ſemper, ante exortam hæreſim Pelagianam, qua Chriſti gratia, & originale peccatum impetebatur; aliquanto vero expreſſius poſt Auguſtini tempora, Pelagianorum expugnatoris. Quare ſic Chryſoſtomus (*a*): *αξιον εϛιν ως αληθως μακαριζειν σε την Θεοτοκον την αειμακαριϛον, κ παναμωμητον: laudare te æquum eſt revera te Deiparam, quæ ſemper beanda eſt, & omni ex parte inculpata.* Tum illius in Epiſcopatu ſucceſſor Proclus (*b*); *non meminerat*, (Joſephus), *potuiſſe eam effici templum Dei, quæ ex mundo erat formata luto.* Ac præcipue Damaſcenus (*c*): *επι ουν εμελλεν ἡ Θεοτοκος παρθενος εκ της Αννης τικτεσθαι, ουκ ετολμησεν ἡ φυσις προλαβειν το της Χαριτος βλαϛημα. αλλ᾽ εμεινεν ακαρπος, εως ἡ χαρις τον καρπον εβλαϛησεν: quoniam itaque futurum erat,*

---

diaconos Achajæ conſcripta. Extat apud Andream de Sauſſay, Epiſcopum, & Comitem Tullenſ. in calce lib. *De gloria S. Andreæ* (*Pariſ. an.* 1656. *pag.* 5.). Non negamus *Acta* S. Andreæ a Gelaſio *I.* & Innocentio *I.* atque ab Auguſtino lib. *de fide contra Manichæos*, *cap.* 38. inter apocrypha numerari. Sed diſtinguenda ſunt, quæ Hæretici, & Philoſophi quidam confinxerunt, de quibus memorati Pontifices, & Auguſtinus loquuntur, ab *Actis Paſſionis*, & *Martyrii* ejuſdem S. Andreæ, conſcriptis a presbyteris, & diaconis Achajæ, medio fere ſæc. *I.* qui præſentes Apoſtolum, in cruce ſuffixum, prædicantem audiverunt; & audita ad omnes Achajæ Eccleſias Epiſtola Encyclica tranſmiſerunt. Acta hujuſmodi Natalis Alexander *Hiſtor. Eccleſ. ſæc. I. cap. XII. art. X.* genuina eſſe propugnat.

(*a*) In *Liturgia ad Miſſam*. (*Biblioth. veterum Patr. Græc. Tom. II. pag.* 8. *Pariſ.* 1624.).

(*b*) *Orat. VI.* cui titulus: *Laudatio S. Genitricis Mariæ*.

(*c*) *Homil. I. in Nativit. B. Mariæ Virg.*

rat, *ut Dei Genitrix Virgo ex Anna naſceretur*, *natura gratiæ germen antevertere non auſa eſt: ſed manſit fructus expers*, *dum gratia fructum ederet*. Et iterum (*a*): *εν τυτω γαρ ὁ οφις ουκ εσχε παρεισδυσιν: ad hunc*, (paradiſum, h. e. Mariam), *ſerpens aditum non habuit* (*b*). Quod vero ad Latinos pertinet, etſi aliis diverſum videatur (*c*), agmen certe agit Auguſtinus (*d*): *excepta itaque S. Virgine Maria*, *de qua propter honorem Domini*, *nullam prorſus*, *quum de peccatis agitur*, *haberi volo quæſtionem: inde enim ſcimus*, *quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum*, *quæ concipere*, *& parere meruit*, *quem conſtat nullum*.

(*a*) *Homil. II. in Dormit. B. Mariæ Virg.*

(*b*) Longum eſt omnia Græcorum Patrum teſtimonia huc adferre. Paſſim *αμιαντον*, *ακηραντον*, *αφθαρτον*, *incontaminatam*, *impollutam*, *incorruptam* vocant. Adparet propterea, Græcam Eccleſiam a primis uſque jamtum ſæculis de Virginis Conceptione magnifice ſenſiſſe. Novi equidem, (ut id hoc loco addatur), quomodo hnjuſmodi Parrum loquutiones quidam effugere ſtuduerint: videlicet quod David, licet in iniquitatibus conceptus, nihilominus de ſe adfirmet *Pſal. XVII. & ero immaculatus cum eo*; tum *Pſal. CXVIII.* dicat: *beati immaculati in via*; necnon teſtetur Paulus *ad Epheſ. I. 4. ut eſſemus ſancti*, *& immaculati*. Verum ſi ideæ, ut præcepta Logices tradunt, ſunt *relativæ*, nonniſi *relativo* etiam ſenſu voces ſunt accipiendæ. Certe Pompejus Dux, Alexander Macedo, Carolus Imperator, Petrus Ruſſorum gentis Princeps, *Magni* adpellati. *Magnum* etiam dicimus oratorem, *magnum* litteratum, *magnum* hiſtrionem. Anne in communi emphaſi, communis, idemque omnibus honor *magnitudinis*? Sane pro diverſa perſonarum dignitate, diverſe, ac *relative*, h. e. dignius, aut minus digne, vox eadem tenenda erit. Cur non idem itaque de Virgine ſapias, quam, ob dignitatem Genitricis Dei, uni certe ſibi, nulli alteri mortalium collatam, Patres *immaculatam* unam, præter mortales omnes, ſalutarunt?

(*c*) Ob textum Auguſtini, quo carnem Virginis *carnem* dixit *peccati*. Dabimus *pag. ſeq.* 66. veram illius interpretationem.

(*d*) *Lib. de natura & grat. cap. 36.*

lum habuiſſe peccatum: hac ergo Virgine excepta &c. (*a*). Et rurſus contra Julianum (*b*): *non tranſcribimus Diabolo Mariam conditione naſcendi, ſed ideo, quia ipſa conditio ſolvitur gratia renaſcendi* (*c*). Pariter Hieronymus

---

(*a*) Tum verba illa *ad vincendum omni ex parte peccatum*, Auguſtinum adſtruunt de actuali tantum, ſed originali etiam peccato loquutum fuiſſe; tum finis præterea, quo ad ſcribendum ipſe acceſſit, id potiſſimum convincit. Opponebat quippe Pelagius exempla Abelis, Melchiſedechi, Abrahami, aliorumque hominum, qui apud Scripturas non ſolum numquam peccatores, ſed & juſti etiam nominantur, & quorum peccata inibi memorarentur, ſi vere iidem peccaſſent. Inde quemlibet, ſine gratiæ auxilio, ſi vellet, a peccatis alienum, juſte vivere poſſe concludebat. Auguſtinus contra in Adamo omnes peccaſſe, atque infirmari divini medici gratiam reponebat, ſi naturam humanam non adeo vitiatam eſſe diceretur. Quum autem ex hujuſmodi lege peccati Deiparam unam ſibi excipiendam eſſe ipſemet teſtetur, neque de ea quæſtionem ullam habendam velit, utpote cui *omni ex parte* peccatum vincere licuerit; ecquis non intelliget de peccato illum vel originali merito eſſe accipiendum? Accedit, quod ex mente Auguſtini peccatum actionis a priſca labe originem ducat. Ita enim ipſe *lib. V. contra Julianum cap. 15. illud ſane magnum, verumque dixiſti, quum poſuiſſes teſtimonium Apoſtoli Petri dicentis, qui peccatum non fecit; notandum eſſe, quod judicaverit Apoſtolus ſufficere ad oſtendendum in Chriſto nullum fuiſſe peccatum, quia dixit nullum eum feciſſe peccatum; ut doceret, inquis, quia qui non fecit, habere non potuit. Omnino veriſſimum eſt. Profecto enim peccatum etiam major feciſſet, ſi parvus habuiſſet. Nam propterea nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis acceſſu, quia nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis ex ortu*. Si itaque quodlibet actuale peccatum is a Virgine excludit; non excludet etiam originale, a quo illud, tamquam a morbo debilitas, deſcendit?

(*b*) *Lib. IV. operis imperfect. contra Julian. num. 122.*

(*c*) Homines tantum ex utero, non autem in utero, *tranſcribi Diabolo*, h. e. ejus imperio addici, vel mancipia naſci peccati, adfirmabat Julianus. Auguſtinus Catholicum dogma opponens, quemlibet ſcilicet, ſtatim ac ejus animus corpuſculo infunditur, in ipſo matris utero originali labe contaminari; im-

mus (*a*): *numquam fuit in tenebris, ſed ſemper in luce*. Ambroſius (*b*): *integra fuit ab omni labe peccati*. Idelphonſus Archiepiſcopus Toletanus (*c*): *conſtat eam ab omni originali peccato immunem fuiſſe, per quam non ſolum maledictio matris Hevæ ſoluta eſt, ſed etiam benedictio omnibus condonatur*. Ac tandem Fulbertus, epiſcopus Carnotenſis (*d*): *quanta putamus proviſio fuerit ſanctorum Angelorum circa tam Deo gratiſſimos parentes ab initio ſuæ procreationis, & excubatio ſuper tam ingentem ſobolem? Numquid abſuiſſe credendus eſt Spiritus-ſanctus ab iſta eximia Puella, quam ſua obumbrare diſponebat virtute?* III. Denique, quod caput eſt, hæc memoratorum Patrum traditio ab auctoritate Romanæ Eccleſiæ, conſenſuque totius Catholici populi, majorem inde certe auctoritatem mutuata eſt ſuam. Quippe, Feſtum Immaculatæ Conceptionis, jampridem in pluri-mis

---

impudenter ab eodem accuſabatur, tanquam qui a Joviniano hæretico ſtaret, ejuſque temeritatem longius etiam vinceret, eo quod ſicut ille virginitatem partus Deiparæ impugnavit, ipſemet præterea eamdem *Diabolo tranſcriberet conditione naſcendi*, ſeu in eodem Annæ utero mancipium illam faceret originalis peccati. Ab Auguſtino porro, ut dictum, illud redditum eſt, *conditionem* (naſcendi) *ſolvi gratia renaſcendi*. Quid vero hæc ſibi velint, niſi per Auguſtinum in ſola Virgine neceſſitatem illam, ex qua nata ſtatim in utero Diabolo mancipanda erat, ſolutam præmature fuiſſe gratia futuri Reparatoris?

(*a*) *In Pſal. LXXIII.*

(*b*) *In Pſal. CXVIII.*

(*c*) *Lib. de perpetua virginitate Mariæ*. Quem tamen Paſchaſio Rathberto quidam adtribuunt.

(*d*) In *Orat. de ortu Virginis*. Conſonat Fulberti encomium orationi, qua longe jamdiu, atque ubique utitur Eccleſia: *omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ Virginis Matris Mariæ corpus, & animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici meretur, Spiritu-ſancto cooperante, præparaſti* &c. Inde fuit *Virginis corpus, & animam ex Spiritu-ſancto præparare*, ut ea ſcilicet, quæ Dei *habitaculum* futura erat, ſedes primum omnium peccati extaret?

Digitized by Google

mis Chriſtiani Orbis partibus celebratum (*a*), ſub Xyſto IV. (*b*) probatum, & a Romana Eccleſia exceptum fuit. Tum ſub Clemente XI. (*c*) ad celebrandum illud, recolendumque, ſub gravi præcepto obſtricti Fideles. Ac, ne de Eccleſiaſtici cultus *objecto* dubitaretur, (plerique enim adfirmabant, Eccleſiam non primum, ſed ſecundum poſt Conceptionem inſtans, quo ii Deiparam vel ſanctitate ornatam admittebant, in probando, præcipiendove Feſto, ſemper intendiſſe); præſervationem Virginis a peccato originali in ipſo ſuæ creationis momento ſemper fuiſſe, atque etiam eſſe ſcopum feſtivi illius cultus, Alexander VII. declaravit (*d*). Nunc ſi Romanum Pontificem, ut verbis utamur Synodi Chalcedonenſis (*e*), *nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus providit*; ſi non in definiendis ſolum fidei

---

(*a*) Sollemne Conceptionis Feſtum jam fere ab ſæc. *VII.* in Eccleſia Græca celebratum. Apud Latinos vero tempore Bernardi Abbatis in Eccleſia Lugdunenſi mentio occurrit, de qua re mox. Videte Baronium in *Not. ad Martyrologium Rom. die* 8. *Decemb.* Ceterum hiſtoriam Feſtivitatis Conceptionis a Bernardi ævo uſque ad Tridentinum breviter deſcripſit Paulus Sarpi *Iſtoria del Concilio Tridentino lib. II. num.* 67. (*Tom. I. pag.* 318. *& ſeqq. Londra an.* 1757. *cum Not. Petri Franciſci le Courayer.*).

(*b*) In *cit. ſupr.* Conſt. *grave nimis*.

(*c*) Inſtante Philippo Hiſpaniarum Rege, Innocentius *X.* Conſtit. *in his* an. 1644. diem Conceptioni ſacrum feſtum de præcepto eſſe in Hiſpaniis ſancivit. Idem ſtatuerat Alexander *VII.* Conſtit. *in his* an. 1657. pro Galliis rogante Ludovico Rege. Denique Clemens *XI.* Conſtit. *commiſſi nobis* an. 1708. ubique locorum ſub gravi feſtum eum diem ſervandum eſſe præcepit.

(*d*) In *cit. ſupr.* Conſtit. *ſollicitudo*.

(*e*) In *Adloquutione S. Conc. Chalced. ad Imp. Marcianum:* οϑεν ατρωτον ὑμιν εκ πλανης ὁ Θεος επενοησε προμαχον, και τον της Ῥωμαιων προς νικην ευτρεπισε προεδρον: *unde nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus providit, & Romanæ Eccleſiæ Papam ad victoriam præparavit.* Labbeus *Tom. IV. Collect. Concil. pag.* 1758. *litt. D.* (*Venet.* 1728.)

fidei articulis, ſed in præſcribenda etiam morum regula, Eccleſia *columna* eſt, & *firmamentum veritatis* (*a*); ſi in Eccleſia, teſte Angelico (*b*), non celebratur Feſtum, niſi de Sancto; ſi denique cultus exterior explicatio quædam eſt interioris, & tamquam profeſſio habetur Chriſtianæ Religionis, ut idem S. Thomas advertit (*c*); credine poteſt, cultum Immaculatæ Conceptionis a Romana Eccleſia ſub præcepto propoſitum, & unanimi Fidelium conſenſu (*d*) Deiparæ delatum, errori eſſe obnoxium (*)?

§. VI.

(*a*) Paulus Timotheo formam vitæ, quam tum ipſe, tum eidem commiſſus grex teneret, tradiderat *I. ad Timoth. III.* Inde v. 15. ſubjungit: *hæc tibi ſcribo . . . ut ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis*. Certe το *converſari* ad mores, non fidem pertinet.

(*b*) 3. *Part. queſt. XXVII. art.* 1. *in corp.* ubi ex Feſto, quod celebratur Nativitatis B. Virginis, probat eam, antequam ex utero naſceretur, ſanctificatam fuiſſe. Idem ſupponit *art.* 2. *ſeq. ad* 3.

(*c*) 2. 2. *queſt. XCIII. art.* 2. *ad* 2.

(*d*) Ex concordi hoc Fidelium mentibus inſito ſenſu, quo nihil fuiſſe Virgine purius, atque innocentius credunt, argumentum pro immaculata Conceptione late perſequitur Petavius *Tom. VI. Theolog. dogm. lib. XIV. cap. II.* §. 10. & *ſeq.* Cui ſubſcribit doctiſſimus, amiciſſimuſque *de Blaſi*, Regius in Sicilia Hiſtoriographus, (de quo *Tom. I. pag.* 171. & *ſeq.*), *Inſtitut. Theolog. Tom. III. Diſput. VIII. Queſt.* 2. *pag.* 142.

(*) Ad hujuſce argumenti, quo de agimus, abſolutionem, quatuor ſupereſſe videntur. I. Si hæc ita ſint, eccur Bernardus, & Angelicus aperte privilegium innoxii Conceptus Virgini denegarunt? II. Quomodo Patres, & præſertim Auguſtinus intelligendus, qui carnem Virginis *carnem peccati* adpellavit? Aut cur Apoſtolus *omnes* in Adam peccaſſe adfirmavit? III. Cujuſmodi eſt concilium hoc, atque, in re ceteroqui graviſſima, Eccleſiæ πολιτεια, *adminiſtratio*, ut controverſiam hanc non definiat, cultum autem intemeratæ Deiparæ Conceptioni præſtandum jubeat? IV. Licebitne votum, ut inquiunt, *ſanguinarium* emittere, ſeu vitam ſui corporis, pro tuenda pia ſententia, vovere? At vero haud difficilis eſt ſua ſingulis Reſponſio. I. Quum Canonici Lugdunenſes feſtum diem Concep-

ptio-

Digitized by Google

ptioni ſacrum quotannis celebrandum ſuſcepiſſent, Bernardus data ad eos Epiſtola, (quæ eſt 144.), graviter reprehendit; tum quod illos credidit honorem libidinoſo Conceptui deferre: unde inquit: *an forte inter maritales amplexus ſanctitas ſe ipſi Conceptioni immiſcuit?* Tum quod cognovit, inconſulta Rom. Sede, eos Feſtivitatem illam inchoaſſe. Quamobrem paullo poſt ſubtexuit: *conſulenda erat prius Apoſtolicæ Sedis auctoritas*. Tandem concludit: *Romanæ Eccleſiæ auctoritati, atque examini, totum hoc, ſicut & cetera, quæ hujuſmodi ſunt, univerſa reſervo, ipſius, ſi quòd aliter ſapio, paratus judicio emendare*. Si hac itaque tempeſtate vivens Bernardus intelligeret, non parentum Virginis concupiſcentiæ, ſed unioni mentis illius cum corpore ſacrum hunc deferri honorem, non probante ſolum, ſed præcipiente illum Rom. Eccleſia, ejuſque exemplum ceteris per Orbem Eccleſiis alacriter ſequentibus; nonne illius *judicio emendaret* ſuum? Nec vero aliter judicandum de Aquinate. Is enim 3. *Part. quæſt.* XXVII. *art.* 2. *in corp.* duplici ex ratione Virginem non potuiſſe ſanctificari ante animationem, adeoque contraxiſſe putavit originale peccatum; tum quod culpæ *ſubjectum eſt ſola creatura rationalis*, *& ideo ante infuſionem animæ rationalis* ſanctificari quis non poteſt; tum quod ſi *ante animationem Beata Virgo ſanctificata fuiſſet, numquam incurriſſet maculam originalis culpæ, & ita non indiguiſſet redemtione, & ſalute, quæ eſt per Chriſtum... Hoc autem inconveniens eſt, quod Chriſtus non ſit Salvator omnium hominum*. Porro tertia alia cauſſa, ex qua in eam opinionem S. Doctor adductus fuit, facile deducitur ab ejus ibidem ad 3. Reſponſione; quod tum ſcilicet nec Eccleſia Romana feſtum Conceptionis celebraret, licet celebrandi conſuetudinem in aliis particularibus Eccleſiis toleraret, nec vero illa definierat, cui temporis inſtanti feſtivus ille cultus offerretur, ut propterea feſtum Conceptionis videretur potius Feſtivitas ſanctificationis, (h. e. quæ non primo, ſed ſecundo inſtante fieri potuit), quam propriæ ipſiuſmet Conceptionis. Ceterum nec tenue ea in re Aquinatis ingenium, quod certe maximum; nec parvum ejus in Virginem ſtudium, quod ſingulare extitit, accuſes velim. Potius infelicitati ſui temporis, quo nec dicta Patrum diligenter examinata, nec ſententia Eccleſiæ clarius manifeſtata, nec Theologorum, aut Fidelium conſenſus adeo uniformis videbatur, id erit adſcribendum. Et ſane, quod priora duo Angelici momenta ſpectat, poteſt quis a culpa liberari, non ſolum in quam jam incurrit, ſed in quam etiam certo incurriſſet, ni certius ſibi auxilium adfuiſſet; & vero Chriſtus dici etiam poteſt Redemtor alterius, non ob peccatum dumtaxat jam contractum, ſed præterea contrahendum. Adpoſite Augu-

 ſtinus

ſtinus in *Pſalm.* 85. *ſi medicus videat tibi imminentem ægritudinem forte ex aliquo labore, & dicat: parce tibi, ſic te tracta, requieſce, his cibis utere: nam ſi non feceris, ægrotabis: tu autem ſi feceris, & ſalvus fueris, recte dicis medico, liberaſti me ab ægritudine, non in qua jam eras, ſed in qua futurus eras. Neſcio quis habens cauſſam moleſtam, mittendus erat in carcerem. Venit alius, defendit eum. Gratias agens, quid dicit? Eruiſti animam meam de carcere. Suſpendendus erat debitor; ſolutum eſt pro eo: liberatus dicitur de ſuſpendio.* Liberata itaque fuit Virgo a peccato, licet non potuerit eſſe ejuſdem capax, niſi poſt animationem. Is enim gratiæ effectus fuit, ut ea ſcilicet naturam anteverteret, ſeu ut labem, qua contaminanda erat ex vi naturalis Conceptionis, præveniente Spiritus-ſancti virtute, effugeret. Qua quidem io re jure etiam redemta dicenda eſt Virgo, ob prævifa nempe Redemtoris merita, eique maturius adplicata. Tandem Objectio, quam ſibi 3. *loc.* propoſuit S. Thomas, ſtat adhuc, nec videtur poſſe eidem amplius reſponderi. Ejuſmodi ea erat: *non celebratur Feſtum, niſi de Sancto: quidam celebrant Feſtum Conceptionis B. Virginis: ergo ea in ſui Conceptione fuit ſancta.* Reſponſum dederat S. Doctor, Feſtum tolerari ab Eccleſia Romana, non præcipi; & præterea ignorari, cuinam temporis momento cultus ille Eccleſiaſticus præſtaretur, quum præſtari potuiſſet tempori ſanctificationis, non primæ Conceptionis. Atqui noſtra hac tempeſtate Feſtum hujuſcemodi non in particularibus quibuſdam Eccleſiis celebratur, & toleratur a Romana; ſed ubique Chriſtianitatis ſub præcepto obſervatur, præeunte eadem Romana Eccleſia: immo & conſtat ex *cit.* Conſtit. *ſollicitudo* Alexandri VII. nonniſi priori Conceptionis inſtanti, quo Virgo a peccato præſervata fuit, tribui religioſum illum cultum, tributumque antea fuiſſe. His poſitis ita contra ipſum Thomam ſtat Thomæ ipſius argumentum: *non celebratur Feſtum, niſi de Sancto: Eccleſia Romana cum ceteris Chriſtiani Orbis Eccleſiis celebrat ſub præcepto Feſtum Conceptionis, ſeu primæ animationis B. Virginis: ergo ea in ſui Conceptione, ſeu prima animatione, fuit ſancta.* Alterutrum igitur reſtabit, vel alteram Reſponſionem *cit.* Objectioni adferendam eſſe, quam a nemine umquam Catholico credo conſonam poſſe adferri, vel Thomam ipſum, ſi in vivis ageret, a ſua certe ſententia receſſurum. II. Actu quidem Virgo peccatum minime contraxit: ſed debito illud contrahendi obnoxia fuit. Quippe in lumbis Adæ continebatur ſecundum ſeminalem rationem, & nonniſi per eamdem fuerat generata. Hoc certe ſenſu accipiendus eſt Auguſtinus *lib. X. de Geneſ. ad litteram*, ubi inquit: *proinde corpus Chriſti, quamvis ex carne feminæ adſumtum eſt, quæ de illa carnis peccati*

pro-

propagine concepta fuerat; *tamen quia non ſic in ea conceptum eſt*, *quomodo fuerat illa concepta*, *nec ipſa erat caro peccati*, *ſed ſimilitudo carnis peccati*. Diſtinguit nimirum inter carnem Chriſti, opera Spiritus-ſancti genitam, & carnem Virginis, uſitato hominum modo ſeminatam. Quam quidem *carnem peccati* adpellat, quod hæc a concupiſcentia ortum ducens, contrahendo peccato obſtrictam illam, tamquam Adami filiam, faciebat. Nullo contra pacto adfirmavit Auguſtinus, ubi poſtmodum nempe animus corpuſculo infuſus fuit, peccati ſordibus fuiſſe Virginem temeratam. Porro merito Paulus, ut evinceret per Chriſtum unum homines ſalvari, adſeruit *ad Rom.* V. 13. *omnes* in uno parente peccaſſe. Id autem noſtræ ſententiæ minime repugnat. Inde enim illud ſolum concluditur, Virginem etiam & peccaſſe, & redemtam fuiſſe, quod ſecundum Catholicam doctrinam fatemur. Sed de modo quo peccavit, & quo redemta fuit, quæſtio eſt. Dicimus quippe id unius Matris Dei fuiſſe privilegium, ut quoad *habitum*, ſeu naturæ conditionem, non quoad *actum*, ſeu actualem peccati maculam, peccaverit, ideoque a peccato, in quod caſura erat, non in quod ceciderat, miro prævenientis gratiæ beneficio fuiſſe præſervatam. III. Haud ſibi ipſa adverſari Eccleſia videtur, ſollemnem Conceptioni cultum præcipiens, & nolens interea controverſiam decretoria fidei definitione declarare. Studioſa enim veritatis, mentem ſuam Fidelibus aperuit, eoſque ſub præcepto obligavit, ut tantam Virginis præcellentiam religioſe venerarentur. Studioſa autem pacis, cunctatione ea ſibi in re opus eſſe judicavit, confiſa poſſe ſuos filios, propoſito illis communi Eccleſiæ ſenſu, ac conſuetudine, leniore via conſentire Matri, ac Magiſtræ ſuæ, & ad ſanitatem venire. Ita negantibus Pelagianis ad initium fidei, & bonorum operum, gratiam requiri, ipſa contrarium Fideles edocebat, ac praxim, qua illi publice divinum a Deo auxilium expoſcebant, non ad boni operis tantum exequutionem, ſed inchoationem etiam, & cogitationem, tenebat, probabatque. Ut vero vidit, illos nihilominus in ſuo ipſorum errore pertinaciter perſeverare, ad definitionem in Arauſicano II. Can. 3. 5. & 7. an. 529. devenit. Eodem prorſus conſilio in negotio immaculati Conceptus uti illa videtur. Sui nobis ſententiam ſatis propoſuit, communicavitque: licet importunis uſque precibus Principum, & Rerumpublicarum fatigata paſſim fuerit, ut exagitatam diu quæſtionem definiret; cunctata tamen ſemper eſt, exploratura quodammodo, an filii omnes ſui, cunctando ſaniores facti, acquieſcerent tandem, ac ſponte parerent. In tanta luce iis porro cœcutientibus, atque aliter præfracte ſentientibus, haud dubium eſt, quin opportuno poſthac tempore litem expreſſe ſit

deciſura. IV. Atque hinc luculenter adparet, quam dignum Deo, glorioſum Virgini, turpe Inferis, Religioni auguſtum, nobis denique ſalutare ſit, ac gratum, innocentis Deiparæ Conceptus privilegium. Si itaque intrinſecum eſt voto, ut ſit de re meliori; vitane hominis corporea magis erit æſtimanda, quam divina illius creatio, in qua univerſæ mortalium genti ad bene de ſe ſperandum divina Omnipotentia ſignum aliquod ſuſtuliſſe viſa eſt, ex qua maxima gloriæ acceſſio Deo ipſi redundavit, & quam Unigenito Dei dignam ſane Matrem mirifice adeo Gratia præparabat? Noſtra jam ætate an. ſcilicet 1747. auctore Antonio Lampridio, h. e. Ludovico Antonio Muratorio, libellus editus eſt *de ſuperſtitione vitanda*, ſeu *Cenſura voti ſanguinarii*, in quo adverſam ille ſententiam tueri conatus eſt, eo quod præclaram, ac certam vitam hominis, pro re nec certa adeo, ſed ſolummodo probabili, profundere non liceat. Inſignes tum excitæ turbæ, aliique contra exarati libri, ut hiſtoria vitæ ipſius, (*Cap.* IX. §. v. *Controverſia ſopra il voto ſanguinario pag.* 89. *& ſeqq.* Napoli 1773.), teſtatur. Sed hoc uno fortaſſe argumento, Cl. viri ratiocinatio refelletur: *licet bonum vitæ pro majori bono, ut dictum eſt, voveri: ita miles pro Principe, civis pro patria, magiſtratus pro adminiſtranda juſtitia rite vitam donabit. Atqui majus bonum eſt, immunitatem Virginis a peccato originali, quam propriam vitam tueri: inde enim major Deo gloria accedit, adeo ut Eccleſia, veritatis cuſtos, & divini honoris ſtudioſiſſima, publicas Deo exolvendas gratias, publicumque Conceptæ Virgini deferendum cultum ſtatuerit. Ne itaque dicamus errare* practice *Eccleſiam, tamquam in re incerta, & nullius apud Deum momenti, ac gloriæ; dicendum eſt mortalem corporis vitam, tamquam inferius bonum,* licite *voveri poſſe pro pia ſententia tuenda, tamquam pro ſuperioris, ac majoris ordinis bono.*

§. VI. *In lege Naturali, fides in venturum Mediatorem, libero ſigno ſenſibili manifeſtata; in Moſaica, eadem fides, per circumciſionem expreſſa; in Evangelica, ipſe per ſe Baptiſmus, a peccato eximit originali.*

STATUTA veritate peccati originalis contra Ruſſojum, vindicata immunitate Deiparæ ab eadem peccati labe adverſus Kemnitium, quonam remedio Deus tanto huic malo occurrerit, videamus. Ac I. ſane ſi de tempore

pore agitur legis Naturæ, ita diſerte Auguſtinus (*a*): *nec ideo tamen credendum eſt & ante datam circumciſionem famulos Dei, (quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi), nullo ſacramento ejus opitulatos fuiſſe parvulis ſuis, quamvis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſſa Scriptura latere voluerit*. Conſonat Innocentius III. (*b*): *abſit enim, ut univerſi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipſis miſericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad ſalutem*. Remedium autem hujuſmodi nonniſi fidem fuiſſe in Chriſtum venturum, idem docuit Auguſtinus (*c*): *ſuperioribus temporibus omnimodo latuit ſacramentum juſtificationis ex fide: eadem tamen fides Mediatoris ſalvos juſtos faciebat antiquos, puſillos cum magnis*. Ceterum, quum parvuli per illam fidem ad verum Dei cultum initiarentur, & in nomen quoddam Religionis, tamquam Fideles, licet non adhuc ſeorſum ab Infidelibus, coadunarentur; idcirco profeſſio iſthæc fidei ſigno aliquo externo *ſenſibili* omnino exprimenda erat (*d*). Adprime S. Thomas (*e*): *probabile tamen eſt, quod parentes fideles pro parvulis natis, & maxime in periculo exiſtentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, (quod erat quoddam ſignaculum fidei); ſicut adulti pro ſeipſis preces, & ſacrificia offerebant*. II. In lege

(*a*) *Lib.* V. *contra Julianum cap.* II. *num.* 45.
(*b*) In Cap. *majores* III. *de Baptiſm.*
(*c*) *Lib.* II. *de nupt. & concup. cap.* II. *num.* 24.
(*d*) Exprimebatur autem non ex præſcripto legis, ſed hominis arbitrio. Quare S. Thomas 3. *Part. Quæſt.* LX. *art.* V. ad 3. *ſicut in ſtatu legis Naturæ, homines nulla lege exterius data, ſed ſolo interiori inſtinctu movebantur ad Deum colendum; ita etiam ex interiori inſtinctu determinabatur eis, quibus rebus ſenſibilibus ad Dei cultum uterentur*. Si qui Patres interea *nudæ fidei* adſcribere ſalutem tum hominum videantur; excluſiſſe eos dicendum eſt ſignum fidei *proteſtativum*, quod a lata exterius lege manaret, non illud, ad quod per ſeſe homines determinabantur.
(*e*) 3. *Part. quæſt.* LXX. *art.* IV. ad 2.

lege Moſaica circumciſio adhibita eſt (*a*): quæ quidem Abrahamo primum præcepta (*b*), non ſignum dumtaxat poli-

---

(*a*) Ex Auguſtino *Tract.* XXX. *in Joan.* circumciſio ſignificabat *expoliationem a corde omnium voluptatum carnalium*. Unde ſubdit: *non ergo ſine cauſſa data eſt, & in eo membro juſſa fieri, quoniam per illud procreatur creatura mortalium*.

(*b*) Non Abrahamum primum omnium circumciſum, & ab eo ad ceteras paſſim gentes uſum circumciſionis dimanaſſe, ſed ab Ægyptiis primum inſtitutam illam, & ab iis ad Arabes, Colchos, ac Judæos veniſſe, quidam intemperantiores Critici voluere. Ita præ ceteris Joannes Marshamus, præterito ſæc. Eques, & Scriptor Anglus, in *Canone Chronic.* qui refutatur a Berti in *Synopſi de Theolog. diſcipl. Tom.* III. *lib.* XXX. *Diſſert.* I. *cap.* 3. tum nuperus fabulatur Volterius in *Dictionnaire* verb. *Circoncifion*, cujus in hanc rem mendacia a Cl. Nonnottio in *Dictionnaire de la Religion* verb. *Circonciſion* liquido deteguntur. Placet tamen quædam breviter adnotare. I. Tam Marshamus, quam Volterius, Herodoti teſtimonio innituntur, utpote illius, qui multas urbes peragravit, & populorum mores cognovit. Non vident autem, eum quingentis circiter annis poſt Abrahamum vixiſſe, & vero Græcæ plerumque ſidei fuiſſe, quum *innumerabiles fabulæ* ab eodem narrari ſoleant, teſte Tullio *lib.* I. *de legibus*. II. Ægyptii nonniſi ab Arabis, (quorum pater fuerat Iſmael, filius Agar, quæ erat ancilla Saræ, uxoris Abrahami), eum didiciſſe morem videntur. Suadet tum vicinitas, quum pars Arabiæ contermina ſit Ægypto; tum quod inter Ægyptios anno ætatis XIII., vel adpropinquante XIV. fit circumciſio, ut advertit Ambroſius *lib. II. de Abraham cap.* 11. Quod obtinet etiam apud Arabes, eo quod ea ætate Iſmael circumciſus fuit, ut tradidit Joſephus *Antiquit. lib.* I. *cap.* 12. III. Origenes *lib.* II. *Commentar. in epiſt. ad Rom.* iis tantum, qui litteris, aut ſacris operam navabant, uſum circumciſionis adſcripſit. Quo ſane pertinet illud Clementis Alexandrini *lib.* I. *Stromat.* quod ſcilicet Pythagoras circumciſus fuit, ut adyta ingrediens myſticam Ægyptiorum diſceret Philoſophiam. Falſus itaque Herodotus, qui univerſæ Ægyptiacæ communem fecit circumciſionem. Videſis Natalem Alex. *Hiſtor. Eccleſ. veter. Teſt. Diſſert.* VI. *de divina circumciſ. inſtit. & antiq.* IV. Qua ratione induci potuerint Philoſophi, & ſacerdotes Ægypti, ut circumciſionem adoptarent, plerique quæſivere. Non longe a ve-

io

politicum fuit, quo ſtirps Hebræorum a cetera Infidelium gente ſecerneretur, ſed & medium quoddam religioſum, quo uno originis macula elueretur. Ita enim Deus ad illum (*a*): *maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit* (*b*). Quare Auguſtinus

ro eorum abhorret opinio, qui putarunt eo illos ritu, tamquam divino cultui deſtinatos, magnam ſibi apud populum comparare conſueviſſe exiſtimationem.

(*a*) *Geneſ.* XVII. 14.

(*b*) Qui circumciſionem datam volunt in ſignum tantum diſtinctionis Judæorum a gentibus, non autem in remedium originalis peccati, (ut Habert, Tournely, Bellarminus, aliique), *pactum* hujuſmodi adultos tantum ſpectare docuerunt, ut ſi ii ſcilicet ſe, vel ſuos cicumcidi neglexerint, tamquam tranſgreſſores fœderis, quod cum Abrahamo Deus pepigerat, delerentur de populo, ſeu pœna capitis multarentur. Verum Auguſtinus *cit.* textum pro eo ſemper *pacto* accepit, quod cum Adamo initum fuit, de transfundenda nempe in ejus poſteros juſtitia originali, & quod quicumque *irritum* fecerit, contrahendo originis peccatum, nec circumciſionis remedium adhibuerit, delendus ille eſſet e populo Dei, ſeu vita Sanctorum privandus. Duo eo Hipponenſem adduxiſſe videntur, tum ut contra Pelagianos exiſtentiam adſereret originalis peccati, quum ad tollendum illud circumciſio fuerit inſtituta; tum quod in Codice, qui ex Verſione Septuaginta ejus ætate obtinebat, hæc erat lectio: *maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit octavo die* &c. Unde ita Auguſtinus ratiocinabatur: infans octavo die non circumciſus propter irritum pactum damnandus erit: non eſt autem pactum cum Abrahamo: incapax enim præcepti parvulus eſt: eſt igitur pactum initum cum Adamo, in quo unuſquiſque prævaricatus fuit, adeoque damnandus, ni remedio adjuvetur, cujuſmodi ante Chriſtum erat circumciſio, poſt ejus adventum Baptiſmus. Nec vero dicendum cadere adlatam ratiocinationem, eo quod *το octavo die* in Hebraico Codice, Arabico, Syriaco, & in Vulgata etiam deſideretur. Nam, præterquam quod non deſideratur in Pentateucho Samaritano, qui Hebraicis litteris ſcriptus fuit; extat quoque in Verſione Septuaginta, qui nec malitia, nec ignorantia, adjectis verbis illis *octavo die* textum corrumpere, ſed potius ſenſum ipſius ita magis exprimere crediderunt.

nus (*a*): *ex quo enim inſtituta eſt circumciſio in populo Dei, quod erat tunc ſignaculum juſtitiæ fidei, ita ad ſignificationem purgationis valebat, & in parvulis originalis, veteriſque peccati, ſicut & Baptiſmus valere cœpit ad innovationem hominis*. Ambroſius (*b*): *in primis vagitibus circumcidi mares lex jubet, etiam vernaculos, quia ſicut ab infantia morbus, ita ab infantia circumciſio*. Bernardus (*c*): *hujus gratiæ* (baptiſmalis) *ſacramentum prius erat circumciſio, ut originalis rubiginem culpæ, quæ manaverat a parentibus primis, cultellus evaderet* (*d*). Idem alii, qui ſive ante, ſive poſt Auguſtinum floruerunt, præſertim Scholaſtici, tradidere (*e*). Ceterum virtutem hujuſmodi non ex vi ipſa externi ritus, ſed ex fide in venturum Meſſiam, circumciſioni acceſſiſſe probabilius judicandum (*f*), quemad-

runt. Et ſane, licet *Geneſ.* XVII. 14. dicitur *maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit*, non addicto *octavo die*; intelligenda tamen hæc additio erit, quum paullo ante *v.* 12. (qui cum duobus *ſeqq.* unicum facit orationis contextum), expreſſe dicatur: *infans octo dierum circumcidetur in vobis* &c.

(*a*) *Cit. Lib.* II. *de nupt. & concup. cap.* II. *num.* 24. Idem adfirmat *lib.* XIII. *de pecc. origin. cap.* XXX. *num.* 35.

(*b*) *Lib.* II. *de Abraham cap.* 11.

(*c*) *Serm.* I. *de Cœna Domini*.

(*d*) In lege Veteri præcepta fuit circumciſio: proprie autem non fuit ſacramentum Moſaicum, eo quod *non ex Moyſe eſt, ſed ex Patribus*, ut dicitur *Joan.* VII. 22. Revocanda igitur potius erit ad ſacramentum legis Naturæ, quod a Tridentino *Seſſ.* VII. *Can.* 2. 6. 8. ubi de differentia agitur inter ſacramenta Veteris, & Novæ legis, comprehenſum non fuit, ut Theologis libera relinqueretur facultas de virtute circumciſionis libere ſentiendi, quum multi, Auguſtino duce, inſtitutam eam fuiſſe opinarentur in remedium maculæ originalis.

(*e*) Adite *cit.* Berti *in Synopſi de Theolog. diſcipl. Tom.* III. *lib.* XXX. *Diſſert.* I. *cap.* 3. *Propoſ.* 4. ubi contra Tournely, & Hermenier probat ſententiam, quod circumciſio inſtituta ſit ad delendum originale peccatum, non ab Auguſtino excogitatam eſſe, ſed eodem multo ante fuiſſe antiquiorem.

(*f*) Hoc pacto utraque oppoſita ſententia conciliari poſſet, ſi dicatur deletam fuiſſe labem originalem in circumciſione, non

madmodum diſerte adfirmavit S. Thomas (*a*): *in Baptiſmo confertur gratia ex virtute ipſius Baptiſmi... In circumciſione autem conferebatur gratia non ex virtute circumciſionis, ſed ex virtute fidei Paſſionis Chriſti*. III. Tandem in lege Evangelica eum ipſum in finem a Chriſto Baptiſmus inſtitutus eſt (*b*), adeo ut ſine illo nemo ſalutem obtinere poſſit. Ita enim ait (*c*): *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu-ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Et Petrus (*d*): *baptizetur unuſquiſque veſtrum... in remiſſionem peccatorum*. Quin Ananias ad Paulum (*e*): *exurge, & baptizare, & ablue peccata tua*. Hinc Tertullianus de eo, qui periclitantem non baptizavit (*f*): *reus erit perditi hominis, ſi ſuperſederit præſtare, quod libere poterit*. Merito itaque Tridentinum (*g*): *ſi quis dixerit Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit*.

§. VII. *Definitio Baptiſmi. Plura circa illius materiam, & formam explanantur.*

Antequam ad alia veniamus, ſedulo Baptiſmi natura eſt attendenda. I. Recte ille definiri poteſt: *ſacramen-*

---

non quidem vi ritus externi, qui ad eum proprie finem inſtitutus non fuit, ſed virtute profeſſionis fidei, quæ circumciſioni ipſi ſolebat accedere.

(*a*) 3. *Part. quæſt.* LXX. *art.* 4. *in corp.*

(*b*) Chriſtus neceſſitatem Baptiſmi commendavit, quum dixit Nicodemo: *niſi quis renatus fuerit* &c. eum inſtituit, quum ipſe a Joanne baptizatus vim mundandi aquis tribuit; legem denique de illo ſuſcipiendo ſancivit, ubi poſt Reſurrectionem Apoſtolis inquit *Matth.* XXVIII. 19. *euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti*.

(*c*) *Joan.* III. 5.

(*d*) *Act.* II. 38.

(*e*) *Act.* XXII. 16.

(*f*) *Lib. de Baptiſmo adverſ. Quintillam cap.* XVII.

(*g*) *Seſſ.* VII. *de Baptiſmo Can.* 5.

mentum regenerationis per aquam in verbo. Dicitur *ſacramentum*, a Chriſto ſcilicet *immediate* inſtitutum, ut tradidimus (*a*): *regenerationis*, ad diſcrimen Pœnitentiæ, in qua per modum ſuſcitationis a mortuis, vita ſpiritualis confertur, quum contra in Baptiſmo ea per modum generationis habeatur (*b*): *per aquam*: hæc enim eſt materia ſacramenti, de quo hic loquimur (*c*): *in verbo*, h. e. ex propria verborum forma, de qua mox. II. Aqua nonniſi naturalis eſſe debet, puta, fluminis, pluviæ, putei (*d*), non quæ ex roſis, aut herbis forte expreſſa ſit (*e*). Unde Tridentinum

(*a*) *Supr. pag.* 33. & *pag.* 72. & *ſeq.*

(*b*) Aliis quoque nominibus paſſim Baptiſmus donatus eſt. Notiſſima ea ſunt *ſacramentum fidei*, *ſepultura*, *illuminatio*, *circumciſio non manufacta*, *unctio*, *ſignaculum Redemtoris*, &c.

(*c*) Pleraſque convenientiæ rationes adfert *S. Th.* 3. *Part. quæſt.* LXVI. *art.* 3. *in corp.* ob quas Chriſtus aquam inſtituerit materiam hujus ſacramenti. Præcipuæ ſunt, quod per exteriorem ablutionem proprius Baptiſmi effectus, h. e. interior animæ ablutio denotetur; & quod ea ubique inveniatur. Ceterum Baptiſmus aquæ, ſeu *fluminis* ſuppleri poteſt I. per martyrium, ſeu a Baptiſmo ſanguinis, ſecundum illud *Matth.* X. 32. *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*. Nec refert, an adulti ſint, vel infantes. Unde Eccleſia Ss. Innocentes ſemper venerata eſt, quod ii fidem, non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt. II. A voto Baptiſmi, ſeu Baptiſmo *flaminis*, ex illo *Joan.* XIV. 21. *qui autem diligit me, diligetur a Patre meo*. Quare Ambroſius *Orat.* funebri de obitu Valentiniani Imperatoris adhuc catechumeni: *quod ſi* (martyres) *ſuo abluuntur ſanguine, & hunc ſua pietas abluit, & voluntas*. Notandum tamen, quod Baptiſmus ſanguinis non ſolum omnem reatum culpæ, ſed etiam pœnæ temporalis tollit ex *opere operato*; Baptiſmus vero *flaminis* culpam utique ſemper, pœnam vero, nonniſi *extraordinarie*, remittit, ubi ſcilicet votum Baptiſmi perfectiſſimæ conjungitur caritati.

(*d*) Ut decentius tamen Baptiſmus conferatur, extra neceſſitatis caſum, non licet alia uti aqua, quam quæ in Sabbato S. Paſchatis, aut Pentecoſtes ſit conſecrata.

(*e*) Quæ *accidentaliter* elementi naturam mutant, invalidum

Digitized by Google

num (*a*): *ſi quis dixerit, aquam veram, & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque ideo verba illa Domini noſtri Jeſu Chriſti* niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu-ſancto, *ad metaphoram aliquam detorſerit, anathema ſit.* III. Ablutio aquæ naturalis in conferendo Baptiſmo fieri poteſt per immerſionem, adſperſionem, & infuſionem: quo quidem triplici modo, valor Baptiſmi ſemper conſtabit (*b*). Immerſio ab ævo ipſo Apoſtolico adhibita eſt, ſive ut triduana Domini ſepultura, ſive ut Trinitas divinarum Perſonarum ſignificaretur (*c*). Et quidem trina illa ſemper in Eccleſia Græca ad hanc etiam ætatem; in Latina vero, trina ad ſæc. uſque VI. (quo tempore in Hiſpania ab triplici ea immerſione diſtinctionem naturarum in tribus Perſonis divinis male Ariani arguebant) (*d*); unica ad ſæc. circiter XIII. perduravit. Exinde enim non natura Baptiſmi, ad cujus validitatem *trina* immerſio minime erat *eſſentialis* (*e*), ſed modus ipſius immerſionis paullatim mutatus

tatus

---

dum haud reddunt Baptiſmum, ut calor, frigiditas, odor *&c.* Secus, quæ *eſſentialiter*, ut aqua roſacea, florea, vi ignis expreſſa, hujuſmodi eſt ea, qua utuntur ſchiſmatici Rutheni per Moſcoviam, Valachiam, aut Tartariam diſperſi, quorum errores recenſet Leo X. in Conſtit. *Rutheni* an. 1514.

(*a*) *Seſſ.* VII. *de Baptiſ. Can.* 2.

(*b*) Ita paſſim Theologi, & S. Th. 3. *Part. quæſt.* LXVI. *art.* 7. *in corp.*

(*c*) Juenin *in Comment. de Sacram. Diſſert.* II. *de Bapt. quæſt.* III. *Cap.* II. *art.* II. §. 3.

(*d*) Hiſpani epiſcopi, ne inde Arianis ad ſuum errorem conſtabiliendum occaſio daretur, non trina, ſed unica uti immerſione cœperunt, ut unitatem ſcilicet divinæ naturæ certius deſignarent. Qua de re Leander, epiſcopus Hiſpalenſis, Gregorium M. conſuluit, qui *lib.* I. *epiſt.* 43. eorum ſequutus conſilium, ita reſpondit: *de trina vero merſione Baptiſmatis nihil reſponderi melius poteſt, quam ipſi ſenſiſtis: quia in una fide nihil officit S. Eccleſiæ conſuetudo diverſa.*

(*e*) Hæretici, qui primis Eccleſiæ ſæculis Trinitatem Perſonarum negarunt, tum formam, tum trinam immerſionem immutare, vel omittere conſueverunt. Acriter reſtitere Patres, & ad

& ad

Digitized by Google

tatus (*a*), & Baptiſmus per infuſionem, quo nunc utimur, celebratus (*b*). III. Legitima forma Baptiſmi eſt: *ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen.* Apud Græcos vero eſt hujuſmodi: *baptizatur ſervus*, vel *ſerva Dei* N. *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen* (*c*). Quam Eu-

---

& ad traditionem Apoſtolicam proclamarunt, nihil ſolliciti, an trium Perſonarum expreſſio, & trina ſimul immerſio, æque omnino requirerentur. Nimirum ea tum diſtinctio eorum ſcopo minime faciebat. Quæ quidem nonniſi ex uſu Eccleſiæ potius repetenda eſt. Quum ii itaque trinam immerſionem contra ſui temporis Hæreticos, tamquam divinitus ſtatutam, urgere videantur, de ea non *ſtricte* quod ſe, ſed quoad rationem ſignificationis neceſſaria, loquutos fuiſſe dicendum eſt.

(*a*) Mutandæ diſciplinæ variæ paſſim rationes. I. ut infantibus, qui quidem majorem baptizandorum numerum deinde conſtituerunt, occurreretur, quum vel e miniſtri manibus quandoque delapſi, in Baptiſterii fundum demergerentur; vel aquis toto corpore abluti, ob tenellam ætatem, periculo mortis ſubjicerentur. II. Ut mulierum pudicitiæ, & miniſtrorum honeſtati tutius caveretur, aut abolito, aut paullatim ceſſante Diaconiſſarum miniſterio. III. Ut baptizantium infirmitati proſpiceretur, qui, deficiente Diaconorum numero, ac ſubſidio, adultis præſertim mergendis, ſuſtinendiſque, impares habebantur.

(*b*) A mutatione diſciplinæ, mutatam Romanæ Eccleſiæ fidem, plenis ſemper buccis occlamant Reformatores. Baptiſmum ipſi *per infuſionem* nihilominus miniſtrant. Nonne ii lingua audaces, ingenio leves?

(*c*) Græcorum formula non deprecativa eſt *baptizetur*, ut antiquiores Scholaſtici tenuere, ſed enunciativa *baptizatur*, ut recentiores Theologi propugnant, eo quod Græca Euchologia habent *βαπτίζεται*. Utroque modo collatum Baptiſmum valere definivit Eugenius IV. in *Decret.* ſeu *Inſtruct. Armen.* Porro Græci, ne quis inde putaret baptizantem virtute ſua, non Chriſti, baptizare, eum verborum modum adhibuerunt. Nota ſunt ſchiſmata illa inter Corinthios, de quibus Apoſtolus I. *ad Corinth.* I. 12. *ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo*, perinde ac non Chriſti, ſed nomine Pauli, aut alterius diſcipuli, Baptiſmus conferretur.

Eugenius IV. adprobavit (*a*). Hinc ſequitur, ob *accidentalem* illius mutationem (*b*), vim ſacramenti non vitiari, bene vero ob *eſſentialem* (*c*). IV. Numquam valebit Baptiſmus, ſi *in nomine Chriſti* conferatur, ut falſo nonnulli putarunt, adducti Scripturarum teſtimoniis (*d*), in quibus multos *in nomine Jeſu* baptizatos fuiſſe habetur. Ibi enim *το in nomine Jeſu*, pro Baptiſmo, auctoritate Chriſti inſtituto, intelligendum eſt, cum expreſſa ſcilicet Trinitatis invocatione; & quidem ad differentiam Baptiſmi Joannis (*e*). Suadet id Apo-

ſto-

(*a*) In *Decret.* ſeu *Inſtruct. Armen.* de quo *pag.* 20.

(*b*) Mutatio *accidentalis* erit, ſi prætermittatur *ego*, vel *amen*; ſi loco *baptizo* dicatur *aqua abluo*; ſi *το in nomine*, aut *το baptizo* ter repetantur, aut ſi pro *ego te baptizo* poneretur *nos baptizamus vos*. Ceterum ſi qui data opera hoc pacto baptizaret, minime a gravi peccato excuſari videretur. Quid, ſi non Latina formula, ſed *per linguam*, puta, *gentilitatis*, quidam baptizentur, quod a Gregorio III. quæſiverat Bonifacius, per Germaniam legatus, & epiſcopus? Valere Baptiſmum reſpondit Gregorius Conſtit. *Doctoris* an. 739. *modo*, ut ibi dicitur, *Baptiſma ſit in nomine SS. Trinitatis*.

(*c*) *Eſſentialis* reputanda mutatio erit, ſi *baptizo*, vel *in nomine*, vel aliqua Perſona Trinitatis, vel ſubjectum *te* omitteretur; ſi diceretur *in nominibus*, eo quod ſubſtantiæ divinæ unitas non exprimeretur; ſi tacito nomine divinarum Perſonarum, *in nomine SS. Trinitatis* baptizaretur.

(*d*) *Act.* VIII. 12. X. 48. XIX. 5.

(*e*) Joannis Baptiſmus multipliciter a Baptiſmo Chriſti diſtabat. I. Quod *non erat per ſe ſacramentum*, *ſed quaſi quoddam ſacramentale*, *diſponens ad Baptiſmum Chriſti*, ut inquit S. Th. 3. *Part. quæſt.* XXXVIII. *art.* I. ad 1. II. Quod fuerit quidem ut e *cælo*, eſt apud *Matth.* XXI. 25. ſeu a Joanne ipſo, divinitus inſpirato, ſed non tamen a Chriſto. III. Quod aut nullam fortaſſe verborum formam habuerit, aut certe nullam Perſonarum Trinitatis expreſſionem. IV. Quod ad ſolos adultos pertinebat, in quos cadere poterat pœnitentia. V. Quod denique in aqua tantum, non autem in Spiritu-ſancto fuerit, excitando ſcilicet ad pœnitentiam, non per ſe ad vitam regenerando.

Digitized by Google

ſtolus (*a*). Is enim quum noviſſet Epheſios ignorare Spiritum-ſanctum, eo quod baptizati fuiſſent Baptiſmate Joannis, ſtatim illos baptizari juſſit *in nomine Domini Jeſu*. Quod non congrueret, niſi Epheſios, inſtructos primum de fide Trinitatis, tum Baptiſmo a Chriſto inſtituto, in quo nomen Trinitatis exprimitur, baptizatos eſſe dicamus. Unde Auguſtinus (*b*): *in nomine Jeſu Chriſti juſſi ſunt baptizari, & tamen intelliguntur non baptizati, niſi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti*.

§. VIII. *Philippi a Limborch, inter Hæreticos* Remonſtrantes *Theologiæ Profeſſoris, contra neceſſitatem Baptiſmi argumenta*.

Necessitatem Baptiſmi, quæ ex laudatis Chriſti verbis, & ex ſenſu Eccleſiæ diſerte adeo evincitur, oppugnat Philippus Limborchius, apud Gaudam an. 1657. Miniſter primum, tum Amſtelædami inter *Remonſtrantes* Theologiæ Profeſſor (*c*). Contendit itaque parvulos ſaltem, abſque ſalutis jactura, Baptiſmo carere poſſe. Hæc ille (*d*): I. *Quæres. Si ergo Baptiſmus ſit præceptum, etiam hodie quemvis Chriſtianum obligans, an ergo nemo Baptiſmo, abſque ſalutis jactura, carere poteſt? Reſpondeo præceptum Baptiſmi eſſe præceptum externum, & rituale: ſuſceptio itaque Baptiſmi non eſt proprie actus ſanctitatis, ſed externa ſanctitatis profeſſio. Non ergo Baptiſmus eſt recipiendus, quaſi per ſe ad ſalutem ducat, ſed reverentia divini præcepti*.

(*a*) *Act.* XIX. 1. & *ſeqq.*

(*b*) *Lib.* II. *cont. Maximinum Arianum cap.* 17.

(*c*) Obiit an. 1712. annos natus 79. integrum pœne corpus Theologiæ ex ſententia *Remonſtrantium* relinquens, pronepos maternus Cl. Epiſcopii, qui Roterodami Theologus pariter, ac Miniſter an. 1643. deceſſerat, varioſque Theologiæ Tractatus in lucem ediderat.

(*d*) *Theologiæ Chriſtian. lib.* V. *cap.*LXVIII. *num.*7. *pag.* 612. (*Amſtelæd.* 1735.).

Digitized by Google

pti. Fieri ergo poſſet, ut quis Baptiſmo careat abſque ulla ſua culpa, ac proinde abſque ſalutis ſuæ jactura; veluti infantes; aut fidelis, inter Infideles verſans, omni Baptiſmum recipiendi occaſione deſtitutus. Non enim nuda Baptiſmi carentia, ſed ejus contemtus nos peccati reos facit. Tum vero paullo inferius tribus aliis argumentis rem magis urgere videtur. Sic ipſe (*a*): *inquiramus, utrum infantium Baptiſmus neceſſarius ſit. Nos quod attinet, eum neceſſarium neutiquam credimus.* I. *Quia nullum illius extat in Scriptura mandatum. Immo omnia loca, quibus baptizandi mandatum continetur, directe adultos reſpiciunt: quoniam prius doceri jubentur, fideſque tamquam conditio neceſſaria in iis prærequiritur: quæ ſolorum adultorum propria ſunt.* II. (*b*): *nullum exemplum, unde indubitato conſtet ab Apoſtolis infantem ullum fuiſſe baptizatum, ex Scriptura produci poteſt.* III. (*c*): *nullum extitit Concilium ante ſæc. IV. in quo Pædobaptiſmi neceſſitas adſerta legitur. Conſtat quidem antiquum hunc fuiſſe ritum, & multis ſæculis in Eccleſia Chriſti, præſertim in Africa, uſitatum: ſed receptus tantum fuit, ut ritus, qui legitime, & cum ædificatione in Eccleſia adminiſtrari poterat, abſque neceſſitatis opinione.*

§. IX. *Rejiciuntur.*

Sed quantum Amſtelædami cælum a Meridie, tantum Amſtelædamenſis oratio abeſt a veritate! I. Baptiſmus non eſt tantum *externa* quædam *profeſſio*, per quam quis, tamquam per januam quamdam, in *viſibilem* Chriſti Eccleſiam ingreditur; ſed *proprie* etiam eſt *actus ſanctitatis*, quo poſito ſolvitur baptizatus a peccato originali, & heres fit regni cælorum. Quippe ſacra-

(*a*) *Ibidem num.* 15. *pag.* 614.
(*b*) *Ibidem num.* 16. *pag.* 614.
(*c*) *Ibidem num.* 17. *pag.* 614.

cramenta ex *opere operato* agere, ſuperius traditum (*a*). Nec vero *præceptum rituale* erit, ut quibuſdam in cauſſis omitti queat, ſed adeo *eſſentiale*, ac neceſſarium, quo pacto ad ſalutem hominis cibus *neceſſitate medii*, h. e. omnino requiritur. Sive igitur quis ob ſui contemtum, quod proprium eſſet furioſi, ſivè caſu quodam, minimę cibo veſceretur, nihilominus pereat neceſſe eſt; ita ſive quia adultus noluit, ſive quia infans non potuit baptizari, æterna ſemper vita privabitur. Expreſſe enim, ac indefinite inquit Chriſtus (*b*): *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu-ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Pariter futilia ſunt tria alia, quæ Limborchius objecerat. I. Verbis Chriſti (*c*): *docete omnes gentes, baptizantes* &c. præceptum continetur infantes etiam baptizandi; tum quod ſi capaces ii ſunt regni cælorum, juxta illud (*d*): *ſinite pueros venire ad me..... talium eſt enim regnum Dei* (*e*), capaces inde erunt Baptiſmi, ſine quo nullus (*f*) *poteſt introire in regnum Dei*: tum quo *το omnes gentes* ad di-

---

(*a*) *Pag.* 16. *& ſeqq.*

(*b*) *Supr. cit. loc.* & *pag.* 72. ubi de neceſſitate Baptiſmi dictum eſt.

(*c*) *Matth.* XXVIII. 19.

(*d*) *Luc.* XVIII. 16.

(*e*) Græcus textus apud *Lucam* XVIII. 15. eſt hujuſmodi: *προσεφερον δε αυτω και τα βρεφη*: *adferebant autem ad illum & infantes*. Tum *v.* 16. dicitur: *αφετε τα παιδια ερχεσθαι προς με*: *ſinite pueros venire ad me*. Promiſcua itaquè ſunt *βρεφη*, & *παιδια*. Verum *το βρεφος* eſt *fœtus recens editus* a *φερβω paſco*, eo quod in utero alatur, ut videre eſt apud Scapulam verb. *βρεφος*. Et in Scripturis ea vox ſemper pro infante uſurpatur. Ita *Luc.* I. 41. *ὡς ηκουσεν ἡ* Ελισαβετ *τον ασπασμον της* Μαριας, *εσκιρτησε το βρεφος εν τη κοιλια αυτης*: *ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus*. Et I. *Petr.* II. 11. *ὡς αρτιγεννητα βρεφη, το λογικον αδολον γαλα επιποθησατε*: *ſicut modo geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite*. Adparet propterea *pueros cit. loc.* pro *ætate infantes* venire.

(*f*) *Joan.* III. 5.

diſcrimen legis Hebræorum poſitum eſt, apud quos unos circumciſio obtinebat, ut propterea ſicuti ea in Veteri Teſtamento infantibus, & adultis, ita Baptiſmus in Novo utriſque etiam concedendus ſit. Porro, ſiquidem adulti baptizandi ſint, doceri eos prius oportet. Nec enim, niſi ad eos, ſpectavit Chriſtus, ubi, poſtquam ait (*a*) *docete omnes gentes*, *baptizantes* &c. ſtatim ſubjecit: *docentes eos ſervare omnia*, *quæcumque præcepi vobis* (*b*). Cujuſmodi certe ſervandis præceptis infantes pares non ſunt. Sed ſi de infantibus ipſis ſermo eſt, vel ſatis erit, ſi poſtea doceantur, vel fides Eccleſiæ ſufficiet. Quippe *decet*, teſte Auguſtino (*c*), *ut ad aliena verba ſanentur*, *qui ad factum alienum vulnerantur*. II. Pleraque etiam in hanc rem exempla *indubitato* a Scripturis peti poſſunt. Ita quippe dicitur de Lydia (*d*): *quum autem baptizata eſſet*, *& domus eius*. Ac paullo poſt (*e*) de cuſtode carceris Macedoniæ: *baptizatus eſt ipſe*, *& omnis domus ejus continuo*. Immo Apoſtolus (*f*), *domum Stephanæ*, *& Fortunati*, *& Achaici*, *primitias* eſſe Achajæ adfirmavit, non alia certe ratione, niſi quod integræ eorum familiæ per Ba-

---

(*a*) *Supr. cit. Matth. loc.*

(*b*) Illa *docete omnes gentes*, Græce ſe habent μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη. Porro μαθητεύω, ut obſervare licet apud Scapulam ſub ea voce, non ſolum eſt *diſcipulus ſum*, ſed etiam *diſcipulos facio*. Illud namque potiſſimum Chriſtus Apoſtolis præcepit, ut diſcipulos facerent, ſeu ſocietatem, aut Chriſtianam Rempublicam inſtituerent; quod *Tom.* I. *pag.* 25. dictum eſt. Quocirca idem fuit *docete omnes gentes*, ac dixiſſe *diſcipulos ex omnibus gentibus ſub meo nomine facite*, *ex iiſque ſocietatem*, *ac Rempublicam conſtituite*. Docens præterea, quo pacto in eam ſocietatem deveniretur, ſubjecit *baptizantes* &c. Si hæc itaque τῦ *docete* intellectio, nonne ridicula inde contra infantium Baptiſmum argumentatio?

(*c*) *Serm.* XIV. *de verb. Apoſtol. cap.* 7.

(*d*) *Act.* XVI. 15.

(*e*) *Ibidem v.* 33.

(*f*) I. *ad. Corinth. XVI.* 15.

Baptiſmum ad fidem venerant. Sane τὸ *domus*, aut τὸ *familia*, infantes etiam comprehendit (*a*); nec vero putandum, in univerſa illorum *domo*, ſive liberorum, ſive ſervorum, nullum tum fuiſſe puerulum, qui baptizaretur (*b*). Quapropter merito Patres morem recens natos baptizandi ab Apoſtolis deduxere. Ita Irenæus (*c*): *omnes enim venit per ſemetipſum ſalvare, omnes, inquam, qui per eum renaſcuntur in Deum, infantes, & parvulos, juvenes, & ſeniores*. Origenes (*d*): *Eccleſia ab Apoſtolis traditionem accepit etiam parvulis dare Baptiſmum*. Et Auguſtinus contra Pelagianos (*e*): *quia parvulos baptizandos eſſe concedunt, qui contra auctoritatem univerſæ Eccleſiæ, procul dubio per Dominum, & Apoſtolos traditam, venire non poſſunt, concedant oportet* &c. (*f*). III. Extat Carthaginenſe I. an. 254. ſub Cypriano celebratum, in quo contra Fidum epiſcopum, qui nonniſi poſt octavum a nativitate diem infantulis Baptiſmum conferendum eſſe jactabat, poſſe eos ſtatim baptizari definitum fuit (*g*). In eo autem non novum

(*a*) Quod *domus* idem ſit ac *familia*, habes apud Calvinum in *Lexic.* verb. *domus*. Quod autem utriuſque vocis adpellatione *infantes* etiam veniant, haud difficile colligitur ex *L. ſuggeſtioni* 5. *C. de verb. & rerum ſign.* & ex *L. pronunciatio* 195. §. 3. *D. de verb. ſign.* in quibus omnes, nullo excluſo, ſive liberos, ſive ſervos, iis vocabulis denotari ſtatuitur.

(*b*) Mulieres Cœna Domini interdicendas eſſe non putat Limborchius, licet eas ad illam admiſſas fuiſſe numquam memoret Scriptura. Baptiſmum infantium, Scripturarum veritati innixum, uſu, & traditione Eccleſiæ comprobatum, jurene idem ipſe rejiciet?

(*c*) *Lib.* II. *contra hæreſes cap.* 22.

(*d*) In *cap.* VI. *Epiſt. ad Rom. lib.* 5.

(*e*) *Lib.* I. *de peccat. merit. cap.* 34.

(*f*) Advertendum, conſtantem adeo, ac univerſalem Auguſtini tempore conſuetudinem fuiſſe parvulos Baptiſmo abluendi, ut Pelagiani, qui originale peccatum negabant, ea quidem convincerentur, nec interea rejicere ipſam auderent.

(*g*) De eo agit Cyprianus *epiſt.* LIX. *ad Fidum*.

vum cudiſſe dogma Africanos Patres credendum eſt (*a*), ſed ipſos doctrinam Scripturis, & Traditione comprehenſam confirmaſſe teſtis eſt Auguſtinus (*b*): *Beatus quidem Cyprianus non aliquod decretum condens novum, ſed Eccleſiæ fidem firmiſſimam ſervans, ad corrigendum eos, qui putabant ante octavum diem nativitatis non eſſe parvulum baptizandum . . . mox natum rite baptizari poſſe cum ſuis quibuſdam Coepiſcopis cenſuit*. Atque hinc etiam vides, non ritum ſolummodo eum fuiſſe, qui in Africa præſertim uſitatus, *ædificationem*, ut commentus eſt Limborchius, ſpectaret, ſed qui univerſæ *Eccleſiæ fidem*, ut docuit Auguſtinus, conſervaret.

§. X. *Calvini, Pelbarti de Themeſwar, & Æthiopum circa eamdem Baptiſmi neceſſitatem errores.*

Triplex præterea, quoad hanc rem pertinet, error eſt. Alter Calvini, qui Fidelium liberis Baptiſmum neceſſarium eſſe negavit (*c*): *quamobrem & Judæorum liberi, quod ejus fœderis heredes facti ab impiorum liberis diſcernerentur, ſemen ſanctum vocabantur* (*d*): *eadem etiamnum ratione ſancti cenſentur Chriſtianorum liberi, vel altero dumtaxat parente geniti: & Apoſtoli teſtimonio* (*e*), *differunt ab immundo idololatrarum ſemine.*

(*a*) Si Limborchianum valeret argumentum, petitum a ſilentio in prioribus ſæculis conciliorum contra Pædobaptiſmi neceſſitatem; ecquis vel ſummo jure impugnare non poſſet veritatem, ac neceſſitatem fidei tribus primis Eccleſiæ ſæculis de Chriſti, vel Spiritus-ſancti Divinitate, ea potiſſimum ratione, quod ante ſæc. IV. ſive ante Nicænum I. & CPolitanum I. nulla alia extiterint concilia, quibus dogmata illa fuerint definita? Quam lepidum Limborchii caput!

(*b*) *Epiſt.* XXVIII. *ad Hieronymum*.

(*c*) *Inſtit. Chriſt. Relig. lib.* IV. *cap.* XVI. *num.* 6.

(*d*) Adludit ad pactum, quod Deus iniit cum Abrahamo, & ejus progenie, de quo *Geneſ.* XVII. 10. & *ſeqq.*

(*e*) Spectat ad illud I. *ad Corinth.* VII. 14. *ſanctificatus eſt*

ne. II. Alter eſt Pelbarti *de Themeſwar*, e familia S. Franciſci, medio circiter ſæc. XV. Theologi, qui quidem (*a*) in tribus rerum cauſſis infantem, quamvis nondum Baptiſmo luſtratum, ſalutem tamen habere poſſe contendit: I. *ſi puer baptizandus intra manus baptizantis decederet*. II. *vel etiam in via moriens*, *quando ad Baptiſmum portatur*, *&* *diligentia adponitur*, *ut puer baptizetur*. III. *vel ubi parentes precibus obtinuiſſent abortivo*, *ut divina clementia suppleret*, *quod natura negavit*. III. Tertius denique eſt Æthiopum, putantium pueros ex iis prognatos feminis, quæ, dum uterum gererent, Euchariſtiam acceperunt, ſanctificatos omnino eſſe, nec Baptiſmo indigere. Ita Thierſius (*b*): *les Ethiopiens ſont dans cette créance*, *comme je l' apprends de l' Evêque Zaga-Zabo Ambaſſadeur du Roi d' Ethiopie en Portugal*, *dans la profeſſion de foi de ces peuples*, *qu' il a publiée*, *&* *qui eſt rapportée par Damiens de Goës*, *Gentilhomme Portugais*, *dans ſon livre intitulé* Fides, Religio, moreſque Æthiopum ſub Imperio Precioſi Joannis, (quem vulgo Presbyterum Joannem vocant), degentium: *infantes Chriſtianarum mulierum ſunt electi*, *&* *conſecrati ex corporis*, *&* *ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti communicatione*. *Nam feminæ gravidæ quum adſumunt venerabile corpus Domini noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti*, *infans capiens inde nutrimentum*, *fit ſacratus*. *Quoniam ſicut infans exiſtens in utero*, *ex ejus matris adſectibus contriſtatnr*, *ac lætatur*, *ſic etiam*

ex

---

eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, *&* *ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem*: *alioquin filii veſtri immundi eſſent*, *nunc autem ſancti ſunt*.

(*a*) *Stellar*. *Coron*. *B*. *Virg*. *lib*. V. *Part*. II. *art*. I. *num*. 2. Videte *Mr*. *Jean-Baptiſte Thiers*, *Docteur en Théologie*, *&* *Curé de Vibraie* in lib. *Traité des ſuperſtitions*, *qui regardent les Sacramens*, *Tom*. II. *cap*. I. *num*. 4. *pag*. 12. (*A Avignon* 1777.).

(*b*) *Cit*. *Traité des ſuperſtitions Tom*. II. *cap*. I. *num*. 3. *pag*. 10. *&* *ſeq*.

ex matris nutrimento nutritur. Et, ut ipſe Dominus ait in ſuo Sancto Evangelio: ſi quis comederit corpus meum, & biberit ſanguinem meum, non guſtabit mortem in æternum. *Rurſus*: ſi quis guſtaverit meum corpus, & biberit meum ſanguinem, erit mecum. *Ad hæc Paulus Doctor Gentium ait*: vir infidelis juſtificatus eſt per mulierem fidelem, & mulier infidelis ſanctificata eſt per virum fidelem, alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt. *Quod ſi ita eſt, ut filii matris infidelis ſanctificantur in patris fidelitate, multo ſacratiores eſſe debent illi, qui ex patre, & matre fidelibus nati ſunt.*

§. XI. *Profligantur.*

At magna eſt errandi facilitas, ubi mira eſt interpretandi voluntas! I. Fœdus Dei cum Abrahamo in eo certe verſabatur, quod ſcilicet iſtius poſteri in populum illi eſſent peculiarem. Nihil autem ad ordinem gratiæ ſpectabat. Alias, id unum ad ſanctitatem ſatis fuiſſet, ut quis nempe ex Abrahami genere oriretur; quum contra adfirmet Apoſtolus (*a*): *non qui filii carnis, hi filii Dei; ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine*. Quomodo itaque inde arguetur, in hujuſmodi pacto filios Chriſtianorum contineri, & tamquam ſanctos minime egere Baptiſmo (*b*)? Apoſtolus vero de ſanctificatione *diſpoſitive*, non *proprie* dicta, intelligendus eſt, quatenus fidelis conjux cum infideli converſans, *candidatus fidei*, ut adnotavit Hieronymus (*c*), efficiatur. Quod de liberis quoque adfirmandum, quum voluntate alterutrius fidelis parentis baptizari infans poſſit, ideoque ſanctificari, de qua re inferius. Præclare

(*a*) *Ad Rom.* IX. 8.

(*b*) Immo contrarium eruetur, ut nimirum, quemadmodum Hebræorum filii, non obſtante eo fœdere, circumcidebantur, ita & Fidelium liberi Baptiſmo nihilominus initiandi ſint.

(*c*) *Lib.* I. *contra Jovinian.* (*in princ.*)

clare Tertullianus (*a*): *hinc enim & Apoſtolus ex ſanctificato alterutro ſexu ſanctos procreari ait, tam ex ſeminis prærogativa, quam ex inſtitutionis diſciplina. Ceterum, inquit, immundi naſcerentur, quaſi deſignatos tamen ſanctitatis, ac per hoc etiam ſalutis, intelligi volens Fidelium filios: ut hujus ſpei pignora matrimoniis, quæ retinenda cenſuerat, patrocinarentur. Alioquin meminerat Dominicæ definitionis, niſi quis naſcatur ex aqua, & ſpiritu, non introibit in regnum Dei, id eſt non erit ſanctus*. II. Ex iis, quæ ante dicta ſunt de Baptiſmo, neceſſitate *medii* ad ſalutem requiſito, facile refellitur Pelbartus, ut propterea nihil hic amplius immorandum ſit. Satis unus Ambroſius (*b*): *nullum excipit, non infantem, non aliqua neceſſitate præventum*. III. Pueri in matris utero incluſi nutrimentum a matre ipſa accipiunt, in eo tamen, quod ad eorum *animalem* vitam ſpectat, non autem *ſpiritualem*. Certe macula peccati originalis proprie animo adhæret, licet per generationem corporis contrahatur. Quid ſibi enim cibus, & alimentum parentis, cum *ſpirituali* infantis deformitate? Porro proprius Euchariſtiæ effectus, eſt animam vita gratiæ *ſpiritualiter* nutrire: quo pacto cibus, & potus, *materialiter* vitam reſtaurant corporalem (*c*). Subjectum autem gratiæ *directe* eſt anima (*d*), non corpus (*e*). Anima igitur matris, ſumentis Euchariſtiam, vitam vivet *ſpiritualem*: infans in illius utero, tamquam ſubjectum alterum a matre diſtinctum, quo-

(*a*) *Lib. de anima adverſus Philoſoph. & Hæret. cap.* XXXIX. Videte etiam Auguſtinum *lib.* III. *de peccat. merit. & remiſſ cap.* XII. *num.* 21.

(*b*) *Lib.* II. *de Abraham cap. ult.* in ea Chriſti verba *niſi quis renatus* &c.

(*c*) S. Th. 3. *Part. quæſt.* LXXIX. *art.* 1. *in corp.*

(*d*) Idem 1. 2. *quæſt.* CX. *art.* 4.

(*e*) Ex anima tamen effectus gratiæ Euchariſticæ poteſt in corpus derivare, quatenus & concupiſcentia minuitur, & immortalitas reparatur.

quomodo ejus gratiam participabit (*a*). Videntur ſane Æthiopes ſub fervente cælo, ferventiore abrepti ingenio, talia comminiſci!

§. XII. *Andreæ Pit, Londinenſis, e ſecta Quakerorum, ridiculæ contra veritatem Baptiſmi illuſiones.*

PLACET huc adferre, quæ noſtra hac tempeſtate Andreas Pit, Londinenſis, ſectæ Quakerorum (*b*) ſuorum ſavens, in Collatione quadam, quam cum Volterio habuit (*c*), eidem contra Baptiſmum propoſuit. Ad hæc

(*a*) Adde, qui in ventre adhuc matris continetur, capax non eſt Baptiſmi. Nondum enim in mundum natus, fieri non poteſt, ut ad gratiam ſit renatus. Impar igitur Baptiſmo, par erit Euchariſtiæ, quæ ei gratiam conferat Baptiſmi?

(*b*) Circa an. 1650. Londini, inter civiles Reipublicæ motus, ortum habuit ſecta *Quakerorum*, (quæ vox apud Anglos idem eſt, ac *tremanti*), duce ſutore quodam, tetrique ingenii viro, h. e. Georgio *Fox*, qui tum vocis, tum quadam totius corporis commotione, tamquam a Deo correptus, prædicare ſolebat. An. 1680. a Guilielmo *Penn* nova iſthæc religio in Americæ regionem, quæ ab ejus nomine *Penſilvania* dicitur, invecta eſt. Quakeri tamen Americani ab Europeis diſcrepare videntur, quum ii nec etiam Chriſtum extitiſſe credant, niſi *ſpiritualiter* in cordibus Fidelium. In Hollandia aliquod etiam ipſorum extat veſtigium. Tenent nec Scripturam, nec Sacramenta neceſſaria eſſe, ſed Chriſtum omnibus, ac ſingulis indiſcriminatim uniri, ex cujus unione, atque illapſu, juſtus quiſque conſtituitur, ſive Chriſtianus is ſit, ſive Paganus. Quare hodiedum, quum promeridiano tempore, pranſi poti, ſolemnibus diebus ad Eccleſiam conveniunt, confuſis mulierem, ac virorum turbis, ſummo cum ſilentio deſcendentem divini œſtri virtutem expectant, qua ſi qui, rudis quamvis, aut ignobilis, aut quoque mulier, ſe motum ſentit, libere ſurget, prædicabitque. Factum aliquando eſt, ut nuda mulier in publicum prodiret; & altera, ferrum manu tenens necem obviis moliretur, ratæ ſe a divino Spiritu tum temporis adflari. Quæ amentiæ monſtra! Mosheimus *Hiſtor. Eccleſ. Vol.* II. *Tom.* IV. *cap.* 4.

(*c*) Volterius quum doctrinam, & ritus Quakerorum doceri

hæc autem rediguntur. I. Chriſtum baptizatum quidem fuiſſe a Joanne, ſed neminem ipſum baptizaſſe (*a*). II. A Judaica hujuſmodi cæremonia, cuicumque, qui ſanctam, ac ſpiritualem colunt Religionem, eſſe abſtinendum (*b*). III. Praxim purificationum, quæ antea inter Hebræos invaluerat, a Joanne renovatam, & a ſpirituali Chriſti Baptiſmo fuiſſe abolitam, ſecundum illud (*c*) : *ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt ... ipſe vos baptizabit in Spiritu-ſancto, & igni* (*d*). IV. Apoſtolum præ-

ceri amaviſſet, Andream Pit, inter Quakeros percelebrem, qui apud ſuburbanam quamdam domum prope Londinum ſeſe receperat, convenit. Benigne exceptus, & ad menſam diſcubuit, & longiſſimum cum eo ſermonem de Religione habuit. Primum omnium de Baptiſmo mentio incidit, contra cujus neceſſitatem Quakerus ſenex, ſuæ ſectæ ſtudioſus, multa, de quibus nos hic, effutiit. Rem narrat Volterius in *Mélanges de littérature Tom.* I. ubi *de la Religion des Quakers*.

(*a*) Ibidem: *le Chriſt reçut le Baptême de Jean; mais il ne baptiſa jamais perſonne; nous ne ſommes pas les diſciples de Jean, mais du Chriſt.*

(*b*) Ibidem: *nous croyon que ceux qui profeſſent une religion toute ſainte, & toute ſpirituelle, doivent s' abſtenir, autant qu' ils le peuvent, des cérémonies judaïques.*

(*c*) Ibidem: *conſulte l' antiquité, elle t' appendra, que Jean ne fit que renouveller cette pratique, la quelle était en uſage long-temps avant lui parmi les Hébreux ... Jeſus voulut bien recevoir le Baptême de Jean, de même qu' il était ſoumis a la circonciſion, mais & la circonciſion, & le lavement d' eau doivent être tous deux abolis par le Baptême du Chriſt, ce Baptême de l' eſprit, cette ablution de l' ame qui ſauve les hommes. Auſſi le précurſeur Jean diſait:* je vous baptiſe à la vérité avec de l' eau, mais un autre viendra après moi . . . celui-la vous baptiſera avec le feu, & le S. Eſprit (*Matth.* III. 11.).

(*d*) Quakerus *cit. loc.* apud *Mêlanges*, Catholicorum Baptiſmum rejiciebat, eo quod Baptiſmus *aquæ* Joannis per *ſpiritualem* Baptiſmum Chriſti ceſſaverat. Volterius tum ſe Chriſtianum ſimulans, ne in Quakerum offenderet, nihil contra repoſuit, ut ipſemet ibidem teſtatur. Nunc idem tractans argumentum *in Piéces Détachées Tom.* I. verb. *Baptême*, omnem pror-

præterea dixiſſe (*a*): *non enim miſit me Chriſtus baptizare*, *ſed evangelizare* (*b*). Sed digna hæc ſunt irriſione potius, quam reſponſione. I. Scripſit Evodius, Petri ſucceſſor in Epiſcopatu Antiocheno (*c*): *Chriſtus manibus ipſe ſuis Petrum tantummodo baptizavit*. *Petrus porro Andream*, *& filios Zebedæi*. *Ii deinceps reliquos Apoſtolos*. *Septuaginta autem illos Petrus*, *& Joannes*, *Theologus dictus*, *baptizarunt*. At eſto, nemini per ſe Chriſtum Baptiſmum contuliſſe! Idne contra Baptiſmum faciet? Certe illius neceſſitas non a Chriſti obſervatione (*d*), ſed ab ejus præceptione repetenda eſt, quod ſuperius evicimus. II. Chriſtiana Religio ſancta, & ſpiritualis, ſeu, ut ait ipſe Chriſtus (*e*), *in ſpiritu*, *& veritate* conſiſtit: *in ſpiritu*, ut ſecerneretur a Phariſaica ſuperſtitione, quæ ludicro, atque exteriore quodam cultu

---

prorſus Chriſtianum exuens, ita Baptiſmi veritatem impugnat: *les hommes qui ſe conduiſſent toujours par le ſens*, *imaginérent aiſément que ce qui lavait le corps*, *lavait auſſi l'ame*. *Il y avoit de grandes cuves dans les ſouterrains des temples d'Egypte pour les prêtres*, *& pour les initiés*. *Les Indiens de tems immémorial ſe ſont purifiés dans l'eau du Gange*, *& cette cérémonie eſt encore fort en vogue*. *Elle paſſa chez les Hébreux*, *on y baptiſait tous les étrangers qui ambraſſaient la loi judaïque* ... *Jean baptiſa dans le Jourdain*, *& même il baptiſa Jeſus*, *qui pourtant ne baptiſa jamais perſonne*, *mais qui daigna conſacrer cette ancienne cérémonie*. Quale cucurbitæ caput! Vetuſtiſſimus ſane ſit aquæ uſus a profanis ipſis gentibus in eorum ſacris adhibitus! Quid enim? Nonne potuit Chriſtus naturæ auctor, & gratiæ largitor, ſimplicem aquæ lotionem ad ſacramenti dignitatem evehere, eique communicationem S. Spiritus conferre?

(*a*) I. *ad Corinth*. I. 17.

(*b*) Ibidem: *auſſi le grand Apôtre des gentils*, *Paul*, *écrit aux Corinthiens*: le Chriſt ne m'a pas envoye pour baptiſer, mais pour prêcher l'évangile.

(*c*) *Epiſt*. quæ dicitur *το φως*, ut refert Nicephorus *Hiſtor. Eccleſ. lib*. II. *cap*. 3.

(*d*) Chriſtus circumcidi, ac Baptiſmo Joannis in Jordane baptizari voluit. Numquid circumciſio, & Joannis Baptiſmus vobis etiam obſervandus.

(*e*) *Joan*. IV. 23.

cultu contenta, de interiore animi innocentia minime erat ſollicita: in *veritate* vero, ut nihil commune haberet cum gentibus, quibus turba Deorum, non verus Deus, colebatur. Porro quum iſto ea pacto *ſancta*, *ac ſpiritualis* ſit, externamne Baptiſmi reſpuet adminiſtrationem? Enimvero ſi ita eſſet, non Baptiſmum dumtaxat, ſed quemlibet etiam exteriorem Religionis cultum, (contra quam alibi (*a*) probatum eſt), eliminari oporteret. III. Joannes Baptiſmum Chriſti a ſuo differre confeſſus eſt, non quoad materiam, ſeu aquam, ſed quoad effectum, ſeu gratiam, eo quod ille per ſe ad vitam regenerabat (*b*). Et ſane, ſi in ſpiritu ſolum, non etiam in aqua Chriſtus baptizaſſet, eccur diſcipuli Joannis, videntes diſcipulos quoque Chriſti baptizare, multoſque ad eum properare, fere dolentes (*c*), *venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tum teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum?* Aut quid, Eunuchus Candacis reginæ Æthiopum, quum perveniſſet ad quamdam aquam, dixit Philippo, qui ei Jeſum evangelizarat (*d*): *ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Præclare Auguſtinus (*e*): *vis noſſe, quia ipſe baptizat non ſolum ſpiritu, ſed etiam aqua? Audi Apoſtolum . . . mundans eam. Unde? lavacro aquæ in verbo . . . Tolle aquam, non eſt Baptiſmus: tolle verbum, non eſt Baptiſmus.* Quum hæc ita ſint, non elementari Baptiſmo Joannis ſucceſſit ſpiritualis Chriſti Baptiſmum, ſed elemento aquæ addita eſt gratia regenerandi. IV. Schiſmata inter Corinthios ſuborta fuerant, eo quod quidam ſe a Paulo, alii a Cepha, aut ab aliis ſe baptizatos gloriarentur. Ea in occaſione ſe non ad baptizandum, ſed ad prædicandum miſſum fuiſſe adfir-

(*a*) *Tom.* I. *pag.* 141. *& ſeq.*
(*b*) *Supr. pag.* 78.
(*c*) *Joan.* III. 26.
(*d*) *Act.* VIII. 37.
(*e*) *Tract.* XV. *in Joan. cap.* IV. *num.* 4.

firmavit Apoſtolus. Id autem *comparate* dixit, ut nempe oſtenderet ſibi potius promulgationi Evangelii, quam miniſtrando Baptiſmo eſſe incumbendum; non *abſolute*, perinde ac haud prorſus fuiſſet Baptiſmus, qui conferri potuiſſet. Evincit id ſatis ipſemet Paulus, qui (*a*) ſe *Criſpum*, & *Cajum*, ac *Stephana domum* nihilominus baptizaſſe fatetur.

§. XIII. *Multa de filiis Hæreticorum, & Infidelium inquiruntur. Duplex Benedicti XIV. Conſtitutio laudatur.*

Insuper quæri ſolet, poſſintne filii Hæreticorum, infidelium, captivorum, & Hebræorum, invitis eorum parentibus, jure baptizari. I. Hæretici, utpote qui ob acceptum Baptiſmum Eccleſiæ ſubjecti, ad ſervandas ipſius leges adigi poſſunt. Notum eſt, Chriſtianos Imperatores eorum temeritatem ſuis ſæpe legibus coercuiſſe (*b*). Quare Auguſtinus, ut alibi notatum (*c*): *cur ergo non cogeret Eccleſia perditos filios, ut redirent, ſi perditi filii coegerunt alios, ut perirent?* Poſſunt itaque horum liberi, vel invitis Hæreticis parentibus, baptizari. II. Non licebit tamen infidelium filios, ſi contradicerent eorum parentes, baptizare. Vel enim in eorum cura relinquuntur, & periculum adeſt ſubverſionis: vel ab iis ſubtrahuntur, & id *repugnat juſtitiæ naturali* (*d*). Excipe autem, ſi infantes ipſi fuerint morti proximi; ſi vel ſola mater (*e*), vel ſolus pater conſentiat (*f*); ſi vel parentes, vel eorum nati, captivi facti

(*a*) I. *ad Corinth.* I. 14. & *ſeqq.*
(*b*) Proſtat in C. tit. *de Heret. & Manich.* tum tit. *de Apoſt.*
(*c*) *Tom.* I. *pag.* 139. & *ſeq.*
(*d*) *S. Th.* 2. 2. *quæſt.* X. *art.* 12. *in corp.*
(*e*) Toletanum IV. *an.* 633. *cap.* 62. ubi ſtatuitur, ut filii *fidem, atque conditionem matris ſequantur*. Refertur in Can. *judæi* X. *Cauſ.* XXVIII. *quæſt.* 1.
(*f*) Greg. IX. in Cap. *ex litteris* II. Extr. *de conv. Infid.*

Digitized by Google

facti ſint Principum Chriſtianorum (*a*) ; ſi demum, ubi ii rationis uſum habuerint, Baptiſmum quærant. III. Præter dicta, peculiaria quædam in hanc rem reſolvuntur a Benedicto XIV. (*b*), quæ huc adferemus. Scilicet baptizari etiam poſſunt filii projecti, derelicti, expoſiti; infans de conſenſu tutoris, etiamſi mater diſſentiat, dummodo pater jam catholicus ad baptizandum obtulerit; ſi, renuentibus licet genitoribus, avus paternus conſenſerit; ſi pater conſenſum antea præſtiterit, filioſque ſuos inſtruendos tradiderit, tum vero facti pœnitens conſilium mutaverit; ſi qui denique Baptiſmum ſanus petierit, & deinde inſanus evaſerit (*c*). IV. Quid ſi avia Judæa, Chriſti fidem amplexata, nepotem offerat ad Baptiſmum, præmortuo filio, matre autem ſuperſtite, & tutoribus diſſentientibus? Quæſivit id pariter Benedictus IV. (*d*). Et multis contra propoſitis, juri

(*a*) Excuſari ſolent Mathatias, ejuſque amici, quod (I. *Machab.* II. 46.) *circumciderunt pueros incircumciſos, quotquot invenerunt in finibus Iſrael*, eos nimirum, qui de genere erant Iſraelitico. Non abs re autem diceres, quod alienigenæ ii omnes eſſent, jure belli Mathatiæ ſubjecti.

(*b*) In Conſtit. *poſtremo menſe* an. 1747. quæ edita fuit occaſione cujuſdam de plebe, qui Romæ domum Hebræi ingreſſus, tenellos tres ejus filios, inter quos puer erat annorum decem, inſciis omnibus baptizavit.

(*c*) Examinat etiam in poſtrema *cit.* Conſtit. parte Pontifex, quid agendum ſit, ſi ſponſus Chriſtianus ſponſam Hebræam offerat ad Baptiſmum. Et adfirmat, modo conſtet ſponſalia inita fuiſſe per ſcripturam, a parentibus utriuſque partis confectam, cui etiam conſenſus acceſſerit ipſorum ſponſorum, vel coram Rabbino præſtitus, vel ex epiſtolis, quas ad ſe mutuo fortaſſe ſcripſerint, comprobatus, (qui mos eſt inter Hebræos contrahendi ſponſalia), poſſe tum ſponſum, juxta Eccleſiæ ritum, ſponſam ita ſibi deſponſatam evocare, ut apud domum catechumenorum per quadraginta dies retineatur, & inſtruatur.

(*d*) In Conſtit. *probe te* an. 1751. Occaſionem dederat Judæus quidam, qui decedens duos filios, & uxorem gravidam reliquerat, quam una cum nonnullis Judæis illorum tutricem ſcri-

ri naturali, quo potitur mater in educatione filii, jus Religionis, quod erat in avia, prævalere concluſit: quo pacto prævalet in avo, cujus ſolo conſenſu, ut ſuperius dictum eſt, infans baptizari poteſt, etiamſi uterque parens refragetur. Nec vero id alienum eſſe ſubjecit. Si enim naturale jus a jure gentium ſuperatur, eo quod invitis parentibus infidelibus captivis, eorum filii Baptiſmo initiantur; quidni illud ipſum a jure Religionis ſuperetur.

§. XIV. *Nonnulla de Baptiſmi miniſtris adferuntur.*

INQUIRENDUM modo, quibuſnam baptizare liceat. Ac I. ſane, miniſter Baptiſmi ordinarius proprie eſt epiſcopus. Nonniſi enim Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Chriſtus dixerat (*a*): *docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. Et Tertullianus (*b*): *dandi quidem* (Baptiſmi) *habet jus ſummus ſacerdos, qui eſt epiſcopus*. Quare diu in veteri Eccleſia obſervatum fuit, ut unum in qualibet civitate prope Cathedralem Baptiſterium extaret (*c*): quo adparet ſolos tum epiſcopos baptizaſſe. Et porro hujuſce rei veſtigium manſit in Sabbato S. & Sabbato Pentecoſtes (*d*), quibus diebus ſollemnem mini-

---

ſcripſerat. Superſtes avia paterna, neophyta Chriſtiana, nepotes ad Baptiſmum offerre cupiebat, mater autem, & tutores repugnabant.

(*a*) *Matth.* XXVIII. 19.

(*b*) *Lib. de Baptiſmo adverſus Quintil. cap.* XVII.

(*c*) Circa ſæc. IX. Baptiſteria multiplicata videntur. Eo facit Synodus Triburienſis prope Moguntiam an. 895. celebrata Can. 12. quo ſtatuitur eos, qui ad Eccleſiam Epiſcopalem accedere non poſſunt, poſſe alio in loco per presbyteros baptizari. Immo etiam hodie Bononiæ, Piſis, Florentiæ, aliiſque in urbibus, unum eſt Baptiſterium.

(*d*) Ritus, qui olim in miniſtrando catechumenis per trinam immerſionem Baptiſmo obſervari conſueverunt, multi tradide-

miniſtrare Baptiſmum ſolent epiſcopi (*a*). II. Epiſcopis presbyteri etiam accenſendi. Quare Tertullianus, quod primum de illis, ſecundo loco de iſtis adfirmavit (*b*): *debinc presbyteri, & diaconi, non tamen ſine epiſcopi auctoritate propter Eccleſiæ honorem. Quo ſalvo, ſalva pax eſt* (*c*). III. Contra inter extraordinarios miniſtros eſt diaconus, ad quem, ut ait S. Thomas (*d*), *non pertinet aliquod ſacramentum principaliter, & quaſi ex proprio officio præbere, ſed adhibere miniſterium aliis majoribus, in ſacramentorum exhibitione*; tum & laicus quilibet (*e*), immo etiam mulier (*f*), pater, ac mater

---

didere. Eos concinne, eruditeque propoſuit Tournely de *ſacram. Baptiſ. art.* III. *concluſ.* 2. *in fin.*

(*a*) Leo I. Conſtit. *divinis* an. 447. ad epiſcopos Siciliæ ſcripſit, ut non in die Epiphaniæ, ſed Paſchatis, & Pentecoſtes, quemadmodum Apoſtolica obtinuerat traditio, Baptiſmum conferrent. Idem Conſtit. *magna* an. 459. pro epiſcopis Campaniæ, & Samnii ſancivit.

(*b*) *Ibidem cit. cap.* XVII.

(*c*) Presbyteris ex jure divino competit baptizare. Nonniſi autem ex Eccleſiaſtica diſciplina id eis minime licuit ſine epiſcopi conſenſu, ſive, ut inquit Tertullianus, *propter Eccleſiæ honorem*; ut ſcilicet adpareret, epiſcopos divinitus preæſſe populis, eiſque principari debere. Et ſane circa ſæc. VI. indiſcriminatim presbyteri etiam paſſim baptizarunt, ut patet ex Sacramentario S. Gregorii, ubi epiſcopus, & presbyter promiſcue *miniſter* Baptiſmi adpellatur.

(*d*) 3. *Part. quæſt.* LXVIII. *art.* 1. *in corp.*

(*e*) Innoc. III. in Cap. *firmiter* Extr. *de ſum. Trinit.* Et S. Th. *cit. loc. art.* 3. Quare falſus eſt Calvinus *Inſtit. Chriſt. Relig. lib.* IV. *cap.* XV. *n.* 20. ubi inquit: *quod autem multis abhinc ſæculis, adeoque ab ipſo fere Eccleſiæ exordio uſu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, ſi miniſter in tempore non adeſſet, non video, quam firma ratione defendi queat.*

(*f*) S. Th. *ibidem art.* 4. At enim vel in neceſſitatis caſu ordo quidam ſervandus eſt. Ita Rituale Romanum, ubi de miniſtro Baptiſmi: *ſi adſit ſacerdos diacono præferatur, diaconus ſubdiacono, clericus laico, niſi pudoris gratia deceat feminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum,*

ter (a), & qui non eſt baptizatus (*b*), in caſu tamen neceſſitatis (*c*). IV. Hæretici præterea, excommunicati, improbique viri, valide Baptiſmum miniſtrabunt (*d*). Non

---

tum, vel niſi melius femina ſciret formam, & modum baptizandi.

(*a*) Cognatio ſpiritualis, quam Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *in Decret. de reform. matrim.* ſtatuit contrahi *inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem*, in caſu etiam obtinet neceſſitatis, adeo ut matrimonium impediat contrahendum, & dirimat contractum, quemadmodum obſervat Fagnanus in Cap. *ſi vir* II. Extr. *de cognat. ſpirit.* Ceterum ſi legitimus pater eſt, aut mater, quæ periclitantem puerum baptizet, nulla tum contrahitur cognatio ſpiritualis, aut, ſi ea habetur, nihil adferet detrimenti contracto matrimonio, nec aliquam inducit tori ſeparationem, ut deciditur in Can. *ad limina* VII. *Cauſ.* XXX. *quæſt.* 1. Dixi *legitimus*. Qui enim concubinæ filium, urgente etiam neceſſitate, baptizaverit, prohibetur inde eamdem in uxorem ducere.

(*b*) *S. Th. ibidem art.* 5.

(*c*) At vero diaconus ordinarius Baptiſmi miniſter eſſe videtur, utpote cui in Ordinatione dicitur: *diaconum oportet miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare*. Si enim eſſet extraordinarius, in quo differat a laicis, quibus etiam convenit baptizare? Certe tam in presbytero, quam in diacono venia epiſcopi, aut etiam Parochi, requiritur, ut baptizent: (pro diacono autem *neceſſitas extrema* eſſe deberet, ut habetur in Can. *diaconos* XIII. *Diſtinct.* XCIII.). Verum ille baptizaret tamen ex proprio officio, ſuo ordini conveniente; hic vero ex delegatione, & ut miniſter epiſcopi, quam extraordinariæ delegationis dignitatem, & facultatem in Ordinatione ſortitur. Porro laicus, urgente neceſſitate, privatum quidem numquam ſollemnem miniſtrare poterit Baptiſmum; alias graviter peccaret, & irregularis fieret, quemadmodum ex Cap. *ſi quis baptizaverit* I. Extr. *de Cler. non ordin. miniſt.* tenent Suarez, aliique. Diaconus vero ſollemniter baptizabit.

(*d*) Id tamen intelligas, ubi materiam, & formam rite adhibeant, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia. At quid dicendum, ſi quis non quidem mimica, & joculari irriſione, (quod Tridentinum contra Lutherum condemnavit, definiens *Seſſ.* XIV. *cap.* 6. ſacerdoti Pœnitentiam miniſtranti, animum *ſerio agendi, & vere abſolvendi* deeſſe non debere); ſed

Non enim illius virtus a miniſtri ſanctitate, vel im- pietate dependet, ſed propria conſtat veritate, ac fir- mitate, ex divina ſcilicet inſtitutione. Ad rem Apo- ſtolus (*a*): *itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus*. Et Augu- ſtinus (*b*): *Baptiſmus vero Chriſti verbis Evangelicis conſecratus, & per adulteros, & in adulteris ſanctus eſt, quamvis illi ſint impudici, & immundi, quia ipſa ejus ſanctitas pollui non poteſt, & ſacramento ſuo di- vina virtus adſiſtit, ſive ad ſalutem bene utentium, ſi- ve ad perniciem male utentium*. Quare merito Stepha- nus Papa, Cypriano baptizatos ab Hæreticis iterum baptizanti, traditionem Eccleſiæ opponebat (*c*): *ſi quis a quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, ni- ſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœni- tentiam* (*d*).

§. XV.

ſed ſimulata fictione Baptiſmum miniſtret, cum intentione ſe- rio adhibendi externum ritum, interius autem non faciendi, quod facit Eccleſia? Quæſivit id Ambroſius Catharinus, e Do- minicanorum familia, epiſcopus Minorenſis, ac deinde Archie- piſcopus Compſanus in *Opuſc. de intentione miniſtri*, & valide conferri Baptiſmum exiſtimavit. Contrarium tamen tenent ſa- niores Theologi, quorum ſententiam nuperus Scriptor Jo. Lau- rentius Berti graviter propugnat in *Synopſi de Theolog. diſcipl. Lib.* XXX. *Diſſert.* II. *cap.* IV. *propoſ.* 2. cui conſentit Bene- dictus XIV. *de Syn. Diœceſ. lib.* VII. *cap.* IV. *num.* 6. *& ſeqq.*, ubi (*num.* 9.) addit, quod hæc ſententia, *veluti tu- tior, ſit omnino ſervanda in praxi*.

(*a*) I. *ad Corinth.* III. 7.

(*b*) *Lib.* III. *de Bapt. contra Donatiſtas cap.* X. *num.* 15.

(*c*) Referuntur ea verba ab ipſo Cypriano *epiſt.* 74. *ad Pompejum*.

(*d*) At poſſuntne ſacramenta licite ab Hæreticis, impro- biſque viris peti? Utique, modo adſit neceſſitas. Si ea autem extrema eſt, nihil refert, an ii ſint Hæretici, Schiſmatici, aut excommunicati non tolerati. Licebit enim ſacramenta medii ad ſalutem, puta, Baptiſmum, aut Pœnitentiam, ab iis tum petere. Si vero gravis tantum illa eſt, tum numquam ab Hæ- reticis, aut excommunicatis non toleratis, bene tamen a tole- tis petuntur. Habert *de Sacr. in gen. cap.* 16.

§. XV. *Triplex Baptiſmi effectus exponitur.*

Triplex denique Baptiſmi effectus numerari poteſt. I. Quod in eo imprimitur character, ſeu *ſignaculum quoddam* (*a*), animæ *indelebiliter* (*b*) adhærens. Diſerte illum innuit Apoſtolus (*c*): *in quo &c. credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto*. Et Auguſtinus (*d*): *character eſt Regis mei*, *non ero ſacrilegus*; *corrigo deſertorem*, *non immuto characterem*. Eo autem, utpote ſigno quodam, ac certa conſecratione, tamquam Chriſti miles, non ſolum quis illuſtratur, & ab infidelibus diſtinguitur, ſed etiam dignus efficitur, qui alia ſacramenta ſuſcipere valeat. II. Quod iterari Baptiſmus numquam poſſit. Quemadmodum enim homo ſemel tantum natura generatur, ac naſcitur; ita Chriſtianus, nonniſi etiam ſemel ſpiritu per lavacrum aquæ regeneratur. Unde Apoſtolus (*e*): *unus Dominus*, *una fides*, *unum Baptiſma*. Provenit id etiam ex virtute ipſa, & natura characteris, qui, ut dictum eſt, numquam deleri poteſt. Ea quippe ſolummodo ſacramenta, ut Baptiſmum, de quo hic, Confirmationem, & Ordinem, de quibus poſtea, reiterare non licet, in quibus character nullo modo delendus conſignatur (*f*). Accedit, quod Ba-

(*a*) *S. Th.* 3. *Part. quæſt. LXIII. art.* 3. *in corp.*

(*b*) Apoſtolus quibus in locis de *obſignatione*, ſeu ſigno aut charactere loquitur, voce utitur σφραγίζω. Sic II. *ad Corinth.* I. 22. ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς; *qui & ſignavit nos*. Et *ad Epheſ.* I. 13. ἐν ῷ καὶ πιστεύσαντες ἐσφραγίσθητε, *in quo & credentes ſignati eſtis*. Tum iterum IV. 30. ἐν ῷ ἐσφραγίσθητε, *in quo ſignati eſtis*. Porro ea vox apud profanos etiam Scriptores *impreſſo ſigillo inſignire* ſignificat. Adparet propterea per illam, ſignum vere permanens, & *indelebile* denotari. *S. Th. ibidem art.* 5.

(*c*) *Ad Epheſ.* I. 13.

(*d*) *Tract.* VI. *in Joan. cap.* I. *num.* 16.

(*e*) Ad *Epheſ.* IV. 5.

(*f*) *S. Th. ibidem art.* 6. *in corp.*

Digitized by Google

Baptiſmus mortem, & ſepulturam Chriſti ſignificet. Hic autem ſemel mortuus, & ſepultus eſt; nec ille propterea denuo erit ſuſcipiendus (*a*). III. Quod talis per Baptiſmum gratia conferatur, qua omnis peccati labes, ſive originalis, ſive etiam actualis penitus tollatur. Satis declarat ipſe Apoſtolus (*b*): *nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*. Et alibi (*c*): *ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri*. Quapropter Hieronymus (*d*): *omnia*, *inquit*, *nobis in Baptiſmate condonata ſunt crimina*; *nec poſt indulgentiam judicis eſt metuenda ſeveritas*, *dicente Apoſtolo*: *& hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis* &c.

§. XVI. *Volterius reprehenditur*.

Quæ tamen de Baptiſmi gratia diximus, non placent Volterio, Vulcano (*e*) Reipublicæ litterariæ. Is enim,

---

(*a*) *S. Th.* 3. *Part. quæſt.* LXVI. *art.* 9. *in corp.* Sed quid dicemus, quod Alexander III. in Cap. *de quibus* II. *de Baptiſ.* permittit ſub conditione, *ſi nondum baptizatus es, ego baptizo te*, aliquando poſſe rebaptizari? Id iis tantum caſibus licebit, in quibus non conſtat aliquem rite antea ablutum fuiſſe. Ea vero non Baptiſmi iteratio, ſed cauta ipſius adminiſtratio eſt.

(*b*) *Ad Rom.* VIII. 1.

(*c*) I. *ad Corinth.* VI. 11.

(*d*) *Epiſt.* 83. *ad Oceanum*.

(*e*) Hoc ſe nimirum nomine ipſe adpellare gaudet in lib. *Teſtament politique de M. de Voltaire pag.* 36. (A *Geneve* 1771.), ubi liberam, quam tenuit, ſcribendi rationem quodammodo purgare his verbis ſatagit: *la rapidité du torrent ne me laſſait pas toujours la liberté de la réflexion. Ma tête était un* Volcan *perpétuel, qui exhâlait la flamme, & la cendre*. Novi equidem ſubdubitare nonnullos, verumne opus illud ipſius ſit, aut ſtudioſorum affeclarum. Eſto, aliorum ſit! liquet tamen, quam de Volterii ingenio ipſiuſmet diſcipuli ſententiam colant.

enim, ut virtutem Baptiſmi e medio tolleret, & deſpicatui haberet, inde illud fieri argumentatur, quemlibet, (exemplo primorum Chriſtianorum, qui, ut liberius viverent, tardius baptizabantur, & Conſtantini, qui uxorem, filium, propinquoſque peremit), quævis improba facinora impune patrare poſſe, certa inductum ſpe, quod ea Baptiſmo deinde ſuſcepto diluantur. Ita ipſe (a): *on abuſa de ce ſacrament dans les premiers ſiècles du Chriſtianiſme: rien n' était plus commun que d'attendre l'agonie pour recevoir le Baptême. L' exemple de l' Empereur Conſtantin en eſt une aſſez bonne preuve. Voici comme il raiſonnait: le Baptême purifie tout: je peux donc tuer ma femme, mon fils, & tous mes parens; après quoi je me ferai baptiſer, & j'irai au Ciel. Comme de fait, il n'y manqua pas.* Sed plura hic non reticenda. I. Undenam didicit Volterius *nihil fuiſſe communius* prioribus ſæculis, quam ut extrema dies ad baptizandum expectaretur? Certe frequentiſſimum fuiſſe numerum Chriſtianorum vel in prima ipſa Eccleſiæ tempeſtate, non docuere ſolum Lucas in Actibus, & Paulus in Epiſtolis, ſed Plinius, qui, quum Bithyniam Proconſul regeret, & ingentem Chriſtianorum ſocietatem in diem magis augeri videret, ad Trajanum Imp. ea de re ſcribendum duxit (b); Tertullianus, qui pro uniuſcujuſque conditione, ac diſpoſitione, cunctationem Baptiſmi utiliorem eſſe adſeverans, communem in Africa fuiſſe morem baptizandi parvulos docet (c); & Cy-

---

(a) *Piéces Détachées Tom. I.* verb. *Baptême*.

(b) *Lib. X. Epiſtolarum*, Epiſt. *ſollemne eſt* ad Trajanum de Chriſtianis, ubi *in fin.* hæc habet: *viſa eſt enim mihi res digna conſultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriuſque ſexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim civitates tantum, ſed vicos etiam, atque agros ſuperſtitionis iſtius contagio pervagata eſt: certe ſatis conſtat, prope jam deſolata templa ....*

(c) Ita *lib. de Baptiſmo adverſ. Quintillam cap.* 18. *quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?*

Cyprianus, qui, ut ex hiſtoria patet, Confeſſoribus, h. e. Chriſtianis ob confeſſionem fidei in carcere detentis, ſacram deferri Euchariſtiam ſtudioſe curabat. Quod ſi ita eſt, erantne ii omnes baptizati, aut ipſi etiam ad mortem uſque Baptiſmum diſtulerant? II. Quod per Conſtantinum mortem oppetierint ſocer Maximianus Hercules, adfinis Licinius, ac Licinianus nepos, Criſpus filius ex priore uxore Minervina, & ipſa ſecunda uxor Fauſta; hæc quidem omnia Hiſtorici teſtantur: quod vero ad patranda iſthæc deſcenderit, ſpe inductus, fore ut Baptiſmo deinde mundaretur, Volterius imaginatur. Fortaſſe, ut verum fateamur, aut nimis juſtus ille, aut incautus potius dicendus erit (*a*), non autem Baptiſmalis ſpe veniæ in crudelitatem proclivior. III. Ut in adultis conſenſus omnino requiritur ad veritatem Baptiſmi percipiendam, ita neceſſariæ diſpoſitiones quædam ſunt ad illius effectum conſequendum. Eas enumerat Tridentinum (*b*), ubi de præparatione agit adultorum ad juſtificationem, quæque ad hæc reducuntur, fidem

(*a*) Ita res geſtæ. I. Maximianus filiam Fauſtam uxorem dederat Conſtantino. Tum huic per eam exitium machinabatur. A Fauſta iſte monitus, ut mancipium loco ſui in lecto lateret, curavit. Maximianus, Conſtantinum credens, ſervum pro Imperatore occidit. II. Licinius bello victus a Conſtantino, pacem obtinuerat: tum paullo poſt comparata iterum manu, bellum movit, & victus, quin & a Senatu hoſtis declaratus, peremptus eſt. Filius Licinianus, quod patris partibus ſtare deinceps poſſet, pariter necatus. III. Fauſta privignum Criſpum accuſavit, quod ſibi inceſtum, Reipublicæ vero turbas moliretur. Nimis credulus Conſtantinus, uxorique indulgens, morte filium multavit. IV. Helena, Conſtantini mater, & avia Criſpi, dolorem ob iſtius mortem lenire non poterat. Cognita tum Criſpi innocentia, & patefacta Fauſtæ calumnia, eademque adulterii convicta. Tantus jam mœror Conſtantinum inceſſit, ut Fauſtam ipſam morti dandam juſſerit. Juſtitiæ igitur, doloris, aut ad ſummum parum conſiderati conſili characteres hic potius elucent. Quid facta hujuſmodi cum Baptiſmo?

(*b*) *Seſſ. VI. in Decret. de juſtif. cap. 6.*

dem in Chriſtum, ſpem veniæ, odium peccati, amorem Dei inchoatum, & divinorum mandatorum ſervandorum promiſſionem. Quare Eccleſia eos, qui ad Baptiſmum adſpirabant, tum catecheſibus ante informare, tum per varios catechumenatus gradus (*a*), diuturnis pœnitentiæ exercitationibus, ad gratiam præparare conſuevit. Tantum propterea abeſt, ut quis inde ante Baptiſmum occaſionem duceret male vivendi, ut potius ad bene vivendum, ac pœnitendum teneretur. IV. Eſto denique, quod plerique paſſim ad ultimam ægritudinem Baptiſmum differre ſolerent, ut liberiori vitæ vacarent! Sane vitium id eſt hominum, ſacramento abutentium, non Baptiſmi, ad regenerandum inſtituti: quo pacto non damnanda medicina, ad ſanandum adcommodata, ſed reprobanda illius temeritas eſt, qui infirmitatem amaret, ut ſanetur. Ad hæc, ſemper Eccleſia procraſtinationes hujuſmodi eo fine inſtitutas averſata eſt. Unde Clinicos, qui in lecto decumbentes baptizabantur, a ſacris Ordinibus abſterrebat, & pro iis, ſi in Catechumenatu decederent, ipſum aliquando ſa-

(*a*) Notum eſt ex Eccleſiaſticis monumentis tres in claſſes, *Audientium* ſcilicet, *Competentium*, & *Electorum*, catechumenos dividi conſueviſſe. *Audientes* ſacris concionibus, & Miſſæ ab Introitu uſque ad Offertorium *excluſive* intererant, tum per diaconum dimittebantur: *catechumeni diſcedite*. In ea autem ſtatione ad Occidentem verſi, detractis calceis, & extenſis manibus exſufflantes, Satanæ renuntiabant. Inde pallio induti, & Orientem verſus, fidem profitebantur, hinc ſaliva nares, lingua, aureſque ipſorum tingebantur, tum impoſitione manus; & exſufflatione exorcizabantur, ſignabantur, inungebantur. *Competentes*, quaſi *ſimul petentes*, humi proſtrati, Baptiſmum efflagitare ſolebant. Symbolum iis, & Oratio Dominica recitanda tradebatur. De duris eorum pœnitentiæ laboribus agit Tertullianus *lib. de Bapt. adverſ. Quintill. cap. XX.* Demum *Electi* ex *Competentibus*, præmiſſis ſcrutiniis, quæ vario tempore ſeptem plerumque fiebant, per ſponſores, quos *patrinos* dicimus, epiſcopo offerebantur, & in pervigilio Paſchæ, ac Pentecoſtes, ad Baptiſmum admittebantur.

ſacrum offerre recuſavit (*a*). V. Omnis culpa, ac pœna æterna per Baptiſmum remittitur, & in adulto, apte tamen præparato, pœna etiam temporalis actualium peccatorum. Id autem non impedit, quominus iſthæc per magiſtratus puniantur; quorum intereſt cives in officio metuenda legum vi continere. Certe hac etiam ratione haud impune ante Baptiſmi ſuſceptionem peccare licebit.

CAPUT III.

De Confirmatione.

§. I. *Confirmationem eſſe verum novæ Legis ſacramentum, contra Calvinum, & Dallæum demonſtratur.*

INter Novatores Calvinus primus omnium apertiore bello contra Confirmationem exarſiſſe videtur (*b*). Ducis ſui partes ſequutus ex Recentioribus Joannes Dallæus, pugnam acerrimus redintegravit (*c*). Sed vani utriuſque conatus! Satis enim ex ſacris litteris, ac Traditione, iſtius veritas ſacramenti evincitur. I. Ita ſane habetur apud Lucam (*d*): *quum autem audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem. Qui quum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spi-*

(*a*) *Conc. Bracarenſe I. an.* 563. *Can.* 17.

(*b*) *Inſtit. Chriſt. Relig. lib. IV. cap. XIX. n.* 4. *& ſeqq.*

(*c*) *Diſput. de Confirmatione*. Tribus ea Libris comprehenditur, in quorum *I.* is nititur probare ſacramentum Confirmationis nullo pacto ex Scriptura inferri poſſe, in *II.* teſtimonia Patrum oppugnat, in *III.* Romanorum Pontificum dicta, & uſum Eccleſiæ ad ſui ſententiam detorquet. Contra ipſum pari ordine, ac majori gravitate decertavit Tournely in *Prælect. Theolog.* ubi *de ſacramento Confirmationis*.

(*d*) *Act. VIII.* 14.

Spiritum-ſanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum-ſanctum. Hinc ſic licet arguere. Tria ad ſacramenti naturam, ex confeſſione ipſorum Proteſtantium, requiruntur, *ſignum externum*, *gratiæ collatio*, & *divina inſtitutio*. *Signum externum* in forma, & materia conſiſtit: *oraverunt*, en formam: *imponebat manus*, en materiam. *Gratiæ collatio* liquido deducitur ex verbis iis *accipiebant Spiritum-ſanctum*. Habetur denique *inſtitutio divina*, quum nec Apoſtoli tanta uti potuiſſent poteſtate, niſi ea a Chriſto donarentur; nec vero tantam ſibi injeciſſent curam dandi Spiritum-ſanctum per manuum impoſitionem (*a*), niſi expreſſum a Chriſto mandatum accepiſſent. II. Acceduut Patres, quorum agmen ducunt Irenæus, qui præceptorem habuit Polycarpum, auditorem S. Joannis Evangeliſtæ (*b*): *quemadmodum igitur Apoſtolus poterat dare eſcam: (quibuſcumque enim imponebant Apoſtoli manus, accipiebant Spiritum-ſanctum, qui eſt eſca vitæ); illi autem* &c. Cyprianus (*c*), ubi de impoſitione manuum loquitur, quæ a Petro, & Joanne ſuper recens baptizatos facta eſt: *quod nunc quoque apud nos geritur, qui in Eccleſia baptizantur, præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem, Spiritum-ſanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſu-* men-

(*a*) Refertur etiam *Act. XIX.* 1. *& ſeqq.* quod Paulus Epheſum ingreſſus, quum comperiſſet quoſdam diſcipulos Joannis non fuiſſe Baptiſmo Chriſti baptizatos, & baptizaverit, & iis manus impoſitione Spiritum-ſanctum contulerit. Pariter ad *Hebr. VI.* 2. morem innuit baptizandi, & confirmandi: *non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ . . . baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum*. Quæ ultima verba Chryſoſtomus *Homil. IX. cap.* 6. de ſacramento Confirmationis interpretatur.

(*b*) *Lib. IV. adverſ. hæreſ. cap. XXXVIII. num.* 2.

(*c*) *Epiſt. LXXIII. ad Jubajanum num.* 37.

mentur. Cyrillus Hieroſolymitanus (*a*): *vobis quoque ſimiliter, poſtquam ex ſacrorum laticum piſcina adſcendiſtis, datum eſt Chriſma, illius antitypum, quo unctus eſt Chriſtus: quod eſt nimirum Spiritus-ſanctus*. Idem antiquiora concilia teſtantur, ut Eliberitanum in Hiſpania an. 305. Can. XXXVIII. *peregre navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum catechumenum; ita ut ſi ſupervixerit, ad epiſcopum eum perducat, ut per manus impoſitionem perfici poſſit*. Et Laodicenum an. 320. Can. XLVIII. *oportet baptizatos poſt Baptiſmum ſacratiſſimum Chriſma percipere, & regni Chriſti participes fieri*.

§. II. *Contra adlatum Lucæ textum VII. Joannis Dallæi argumenta*.

PROPOSITUM Scripturæ teſtimonium de gratia miraculorum interpretatus olim fuerat Calvinus (*b*). Eidem nunc conſonat Joannes Dallæus, illiuſque ſententiam pluribus præterea confirmare conatur (*c*). I. *Quum adverſarius ipſe* (Bellarminus) *ſtatuat, datum ab Apoſtolis Spiritum ejuſdem generis, atque ordinis cum eo fuiſſe, quem ipſi feſto Pentecoſtes die acceperant, evidenter*

(*a*) *Catech. XXI. Myſtagogica III. de ſacro Chriſmate n.* 1.

(*b*) Ita enim ipſe *Inſtit. Chriſt. Relig. lib. IV. cap. XIX. num. 6. viſibiles illas, & admirabiles Spiritus-ſancti gratias, quas tunc in populum ſuum effundebat, voluit Dominus a ſuis Apoſtolis per manuum impoſitionem adminiſtrari, & diſtribui. Huic autem impoſitioni manuum non altius ſubeſſe myſterium cogito: ſed hujuſmodi cæremoniam adhibitam ab illis interpretor, ut ipſo geſtu ſignificarent, ſe Deo commendare, & velut offerre eum, cui manus imponebant. Hoc miniſterium, quo tunc Apoſtoli fungebantur, ſi adhuc in Eccleſia maneret, manuum quoque impoſitionem oporteret ſervari: ſed ubi gratia illa conferri deſiit, quorſum pertinet manuum impoſitio?*

(*c*) In *cit. Diſput. de Confirm. lib. 1. cap.* 10.

Digitized by Google

ter hinc confici, Spiritum illum, prophetiæ, & linguarum donum fuiſſe. II. *Quum Spiritum, quem a Meſſia vulgo dandum Iſraelis ſpes erat, prophetiæ Spiritum & Judæi intelligerent, & non obſcure Scripturæ ſignificaverint, omnino eſſe conſentaneum de eo accipi dona, quæ ſacri Scriptores a noſtro Jeſu paſſim effuſa in illis naſcentis Regni ſui initiis narrant.* III. *Samaritani illi a Philippo tincti jam ante Petri adventum Spiritum-ſanctum habebant, adeoque acceperant. Lucas autem quemquam eorum accepiſſe negat. Ergo neceſſe eſt, ut hæc inter ſe concilientur, fateri, habuiſſe eos jam unius generis Spiritum,* (h. e. *Spiritus dona*), *nondum habuiſſe alterius; habuiſſe ſcilicet* gratiam gratum facientem, *quæ in Baptiſmo, quem acceperant, datur; nondum habuiſſe* gratiam gratis datam; *eamque adeo ab Apoſtolis per manuum impoſitionem accepiſſe.* IV. Adfert præterea auctoritatem Chryſoſtomi, quæ ita eſt (*a*): *quomodo, inquit, Spiritum-ſanctum illi non receperant? Spiritum acceperant remiſſionis, Spiritum autem ſignorum nondum receperant.* V. *Quæcumque ordinaria eſt, & perpetua, & neceſſaria Fidelibus gratia, eam abſurdiſſimum eſt ab ordinarie miniſtro dari non poſſe. Et quæ adverſarii garriunt de epiſcopi, & presbyteri diſcrimine, ea neque vera ſunt, neque ad hanc rem adpoſita ... At non potuiſſe Philippum Spiritum illum, quem dederunt advenientes Apoſtoli, Samaritanis dare, & res ipſa loquitur, & pœne omnes confitentur. Ergo neceſſe eſt Spiritum illum alterius omnino ordinis fuiſſe... ſcilicet miraculorum Spiritum..... Extraordinarium, & ſingulare chariſma extraordinariorum, & ſingularium miniſtrorum eſſe, ut fuit, plane erat conſentaneum.* VI. *Ab Apoſtolis datus Spiritus Simonem vehementer commovit, ut potiundæ mirabilis hujus facultatis deſiderio inflammatus pecuniam, qua eam redimeret, Apoſtolis obtulerit. At ſi nihil aliud factum eſſet, quam quod in iſto adverſariorum ſacramento fieri vulgo videmus, non ita adfectus eſſet*

(*a*) *Homil. XVIII. in cap.* 8. *Act. Apoſt.*

ſet Simon... Is enim Spiritus, quem iſti ſe tradere putant, ita placidus eſt, ac taciturnus, ut vocem nullam mittat, nullum ſonum edat &c. VII. *Poſtremo rem totam ſic illuſtrat alter Lucæ hujus parallelus in hoc ipſo Actuum libro locus... Narrat de duodecim quibuſdam diſcipulis Epheſi a Paulo conventis* (*a*): his auditis (*inquit*) baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu. Et quum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus-ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant... *Hic autem Spiritum venire* prophetiæ, *&* linguarum, *apertiſſimum eſt, & apud omnes confeſſum. Ergo & illic acceptum a Samaritanis Spiritum*, prophetiæ *quoque*, *&* linguarum *fuiſſe neceſſe eſt*.

§. III. *Eadem refutantur*.

VERUM hominis, ad fallendum compoſiti, fallaciſſima hæc ſunt argumenta! I. Duplex Spiritus-ſancti effectus diſtinguendus eſt, alter interior, permanens, & ſacramento Confirmationis, rite ſuſcepto, ſemper adnexus, ſeu gratia *ſanctificans*, aut *gratum faciens*; temporarius alter, exterior, ac tempori adcommodatus, ſeu gratia *gratis data*. Uterque diſerte ſignificat Auguſtinus (*b*): *neque enim temporalibus, & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus, per manus impoſitionem modo datur Spiritus-ſanctus, ſicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Eccleſiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum-ſanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed inviſibiliter, & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina caritas inſpirari*. Apoſtoli autem, in quos Pentecoſtes die venit Spiritus-ſanctus, cum dono miraculorum, & linguarum, effectum ii etiam Confirmationis, ſeu permanentem gratiam acceperunt. Ille enim ipſe Spiritus in eos deſcendit, de quo

(*a*) *Act. XIX. 5. 6.*
(*b*) *Lib. III. de Baptiſ. contra Donatiſt. cap. XVI. n.* 21.

quo Chriſtus (*a*) : *ego rogabo Patrem*, *& alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum*. Et poſt pauca : *apud vos manebit*, *& in vobis erit*. Quum igitur Dallæus a ſacramento Confirmationis, quod Fidelibus miniſtratur, gratiam ſanctificantem excludit, eo quod per Spiritum, qui Apoſtolis communicatus fuit, gratia dumtaxat facta ſit prophetiæ, & ſignorum; aperte ille mentiri dicendus eſt. Quin potius contra ipſum ita retorquetur argumentum : Spiritus-ſanctus, qui aliis datur in Confirmatione, eſt *ejuſdem generis*, *atque ordinis*, *cum eo*, quem Apoſtoli *feſto Pentecoſtes die acceperant* : non ſolum autem ille miraculorum donum, quod primis Eccleſiæ incunabulis opportunum videbatur, ſed gratiam etiam ſanctificantem attulit Apoſtolis : ergo, ſublata gratia miraculorum, (quæ, corroborata Eccleſiæ fide, poſterioribus ætatibus non adeo neceſſaria eſt) remanere debuit effectus ſacramenti, ſeu gratia ſanctificans, quæ ſemper Confirmationi adhæret. II. Prænuntiarat olim Joel (*b*) : *effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem*, *& prophetabunt filii veſtri*, *& filiæ veſtræ* &c. Confirmandam eam expectabant Judæi, confirmatam eam jam eſſe docuit Petrus (*c*), quum Pentecoſtes die impleti omnes Spiritus-ſancto variis linguis Chriſtum annuntiabant. Spectavit præcipue igitur Joelis prophetia externorum gratiam ſignorum : non excluſit vero interiorem vim gratiæ, in corda etiam diffundendæ, immo eam ſuppoſuit. Præclare S. Thomas (*d*) : *operatio miraculorum eſt manifeſtativà gratiæ gratum facientis*, *ſicut & donum prophetiæ*, *& quælibet gratia gratis data*. *Undè (e) gratia gratis data nominatur* manifeſtatio Spiritus. *Sic igitur Apoſtolis dicitur datus Spiritus-ſanctus ad operationem miraculorum*, *quia data eſt eis*

(*a*) *Joan. XIV.* 16.
(*b*) *Joel. II.* 28.
(*c*) *Act.* II. 16.
(*d*) *I. Part. quæſt. XLIII. art.* 3. *ad* 4.
(*e*) *I. Ad Corinth. XII.* 7.

eis gratia gratum faciens cum ſigno manifeſtante. Et Gregorius (*a*): *foris adparentibus linguis igneis*, *intus facta ſunt corda flammantia*. III. Non quod gratia, quam baptizati a Philippo acceperant, fuerit *gratum faciens*, neceſſe ideo fuit, ut iidem, ab Apoſtolis impoſitione manuum confirmati, non alteram, niſi externum prophetiæ donum, ſeu gratiam *gratis datam* acciperent; perinde ac interior gratia unius ſacramenti interiori gratiæ alterius prorſus opponeretur. Enimvero eadem illa eſt in omnibus ſacramentis quoad ſui naturam, utpote quæ nobis a Deo *ſenſibilibus* ſignis communicatur, ejuſque amicitiam miſericorditer conciliat. Sed diverſa eſt quoad diverſos ſui effectus. Puta, in Baptiſmo regenerat, mundatque animam a peccato: in Confirmatione vero roborat, confirmatque ad fidem ſtrenue profitendam. Nihil propterea mirum, ſi quibus Philippus priorem gratiam dederat per Baptiſmum, poſteriorem largirentur Apoſtoli per Confirmationem. IV. Id unum propoſuerat ſibi Chryſoſtomus, rationem ſcilicet reddere, cur baptizati a Philippo, remiſſionem quidem peccatorum non autem Spiritum ſignorum obtinerent. Et deducit ab eo, quod ille diaconus erat, Apoſtoli autem majori, h. e. Epiſcopali adaucti poteſtate. Unde ipſe (*b*): *& quare non acceperunt Spiritum-ſanctum ii, qui baptizarentur? Vel forſan quia Philippus in hoc Apoſtolos brevi venturos honorabat, vel quod hoc donum non habebat. Erat enim ex ſeptem illis; id quod magis videtur dicendum. Unde mea ſententia hic Philippus unus ex ſeptem erat, ſecundus a Stephano. Ideo & baptizans Spiritum-ſanctum non dabat. Neque enim facultatem habebat. Hoc enim donum ſolorum Apoſtolorum erat*. Nunc quid hæc faciunt Dallæo (*c*)? V. Atqui

(*a*) *Lib. II. Homil. 30. in Evang.*
(*b*) *Cit. Homil. XVIII. in cap. 8. Act. Apoſt.*
(*c*) Paullo poſt *cit. loc.* Chryſoſtomus ſubjecit: *virtutem* (ſeptem diaconi) *acceperant faciendi ſigna, non autem dandi aliis Spiritum-ſanctum*. Alterum igitur alteri opponit. Notum eſt

qui id quidem falſum eſt, diaconum nempe ordinarium miniſtrum eſſe Confirmationis! Quod patet exemplo Philippi, qui baptizare potuit, confirmare non potuit. Rationem jam adſignavit Chryſoſtomus (*a*), quod Philippus unus ex ſeptem eſſet diaconis, cui Apoſtolica, aut Epiſcopalis deerat poteſtas. Atque hinc liquet, epiſcopos, Apoſtolorum ſucceſſores, jure divino presbyteris, cæteroque Clero anteire. De qua re porro. VI. Hactenus probatum eſt, cum gratia *gratum faciente*, gratiam etiam *gratis datam* in Confirmatione, in prima illa Apoſtolorum tempeſtate, conferri ſolere, *ad commendationem rudis fidei*, *&* *Eccleſiæ primordia dilatanda*, ut inquiebat Auguſtinus (*b*). Simon magus, ubi per manuum impoſitionem mira adeo prodigia fieri animadvertit, donum Dei pecunia quæſivit, ratus nullam ſibi poſſe amplioris lucri opportuniorem offerri occaſionem. Exteriorem igitur hanc gratiam, Confirmationi per ea tempora *extraordinarie* accedentem, & qua ſe ille diteſcere putabat, turpiter concupiſcere potuit: interiorem alteram, ſacramenti propriam, & ordinariam, quæ nec ſenſibus obvia, nec pravo ipſius conſiliò erat adcommodata, quomodo illam aut videre poterat, aut adamare? VII. Ultro fatemur, alterum Lucæ textum (*c*), de Spiritu etiam prophetiæ, & linguarum eſſe intelligendum. Sed quod *viſibilis* hæc, atque *extraordinaria* virtus, *inviſibili*; & *ordinariæ* accederet virtuti ſacramenti, eamque ſupponeret, & manifeſtaret, id præterea tuemur, atque evicimus. Probet nunc, ſi poteſt, Dallæus, ab externa ea gratia internam excludi (*d*)?

§. IV.

---

eſt propterea, nomine *Spiritus ſancti* non intelligere *ſolam* virtutem ſignorum.

(*a*) *Supr. cit. loc.*

(*b*) *Supr. pag.* 106.

(*c*) *Supr. cit. loc.*

(*d*) Lucas in re eadem merito varia voce uſus eſt. *Act. XIX.* 6. *ηλϑε το πνευμα το ἁγιον επ᾽ αυτυς*, *venit Spiritus-ſanctus*

§. IV. *De tempore inſtitutæ Confirmationis, ac de materia, & forma ejuſdem, aliqua enucleantur.*

Quum hæc ita ſint, plura hinc diſpicienda. I. Quo tempore Confirmatio inſtituta ſit, multi quæſiverunt. Placet opinio Angelici (*a*), ita ſcribentis (*b*): *dicendum eſt, quod Chriſtus* (ante Paſſionem) *inſtituit hoc ſacramentum, non exhibendo, ſed promittendo, ſecundum illud* (*c*): ſi non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos. *Et hoc ideo, quia in hoc ſacramento datur plenitudo Spiritus-ſancti, quæ non erat danda ante Chriſti Reſurrectionem, & Adſcenſionem, ſecundum illud* (*d*): nondum erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus. Hæc ille. Probabilius itaque Confirmatio inſtituta fuit in tem-

---

ctus ſuper eos, *Act. XI.* 15. *επεπεσε το πνευμα το ἁγιον επ' αυτους, ὥσπερ και εφ' ἡμας εν αρχῃ, cecidit Spiritus-ſanctus ſuper eos, ſicut & in nos in initio.* Et *Act. VIII.* 16. *ουπω γαρ ην επ' ουδενι αυτων επιπεπτωκος, nondum enim in quemquam illorum venerat* (h. e. ſupervenerat). Vocabula ηλθε, επεπεσε, ην επιπεπτωκος, ſeu *το venire*, *cadere*, *ſupervenire*, utrumque genus gratiæ luculenter ſignificant, ſive internam, quæ leniter illapſa in Apoſtolos, novoſque confirmatos deſcendit, ſive externam, quæ per modum venti vehementis, ac cum ſtrepitu, in eorum corda irruebat. Dallæo, Græca ſapienti, ſapietne a Græco textu petita hæc animadverſio.

(*a*) Volterius in *Mélanges de littérature* &c. *Tom. II. des Théologiens*, tum Theologicam ſcientiam, & Sorbonicorum Theologorum honores deridet, tum Aquinati, eo quod omnia ejus ſcripta inutilibus, (cujuſmodi aliquas numerat), ſcatent quæſtionibus, *Angelici* titulum invidet: *l'Ange de l'ecole a écrit environ quatre mille belles pages dans ce goût.* Nimirum Philoſopho, ſupra omnes magiſterium adſectanti, nihil gratum, niſi *philoſophice*, h. e. impie ſapere?

(*b*) 3. *Part. quæſt. LXXII. art.* 1. *in corp.*

(*c*) *Joan. XVI.* 7.

(*d*) *Joan. VII.* 39.

tempore illo, quod a Reſurrectione uſque ad Adſcenſionem intercurrit. Ad rem S. Leo (a): *non ergo ii dies, Dilectiſſimi, qui inter Reſurrectionem Domini, Adſcenſionemque fluxerunt, otioſo tranſiere decurſu: ſed magna in eis confirmata ſacramenta, magna ſunt revelata myſteria*. II. Materia *eſſentialis* Confirmationis eſt manuum impoſitio. Quod certe ſatis ex iis, quæ hactenus contra Dallæum diſputavimus, manifeſtum eſt, ſive Scripturæ conſulantur, quæ de impoſitione manuum meminerunt, ſive Traditio, qua conſtat, eam ab ipſo Apoſtolorum ævo perpetuo in Eccleſia fuiſſe conſervatam. Diſputant vero, an idem dicendum ſit de chriſmate. Ac, licet varia eſt de hac re Theologorum ſententia (*), ſanius certe putaſſe videntur Tourne-

---

(e) *Serm. I. de Adſcenſ.*

(*) Quum certum ſit ex fide Catholica Confirmationem eſſe novæ Legis ſacramentum; tum latente expreſſa Eccleſiæ definitione circa illius materiam, & formam, Theologis diverſe opinandi occaſio facta eſt. *I.* Putarunt nonnulli ſolum impoſitionem manuum, de qua mentio eſt in Scripturis, materiam eſſe iſtius ſacramenti. Sed contrarium adſtrui videtur ex Tridentino *Seſſ. VII. Can.* 2. ubi ipſi tantum C*hriſmati virtutem* ſacramenti adtribuit; & ex Patribus & conciliis, quæ paſſim una cum chriſmate ſuperinfundi etiam Spiritum-ſanctum docuerunt, in quorum claſſem, ut de aliis taceamus, Cyrillum, & Synodum Laodicenam *pag.* 103. adnumeravimus. *II.* Porro alii unctionem ſolam pro materia *eſſentiali* conſtituerunt, eo quod in locum ſucceſſerit impoſitionis manuum, quam credunt in meram abiiſſe cæremoniam. Eo detorquent illud Innocentii *III.* in Cap. *quum veniſſet* unic. *de ſacr. unct.* ubi ait: *per frontis chriſmationem manus impoſitio deſignatur*. Sed falſum id eſſe conſtat, quum in ſubſtantia ſacramentorum, quæ a Chriſto inſtituta, & determinata fuit, nihil ab Eccleſia poſſit commutari. Innocentius autem in *cit.* Cap. haud quidem ſignificavit ritum, quo antiquitus Confirmatio perficiebatur, diverſum ab eo eſſe, qui deinde in Eccleſia adhibitus eſt. Sed illud tantum innuere voluit, modum antiquitus loquendi, diſſidere jam a modo recenter loquendi, ſeu impoſitionem manuum, quæ ita primum dicta eſt, *chriſmationem* poſtmodum adpellatam fuiſſe. Demonſtrant id verba, quæ idem Pontifex ſtatim

nelius (*a*), ac Bertius (*b*), qui ex impoſitione ma-
nuum

(*a*) In *Prælect. Theol. de ſacr. Confir. quæſt.* 1. *art.*3.
(*b*) *De Theolog. diſcipl. lib.* XXXII. *cap.* 4.

ſtatim ſubjecit: *quæ alio nomine dicitur Confirmatio*. Unde liquet non de titus, ſed nominis mutatione eumdem loquutum eſſe. *III.* Opinantur nonnulli, tum impoſitionem manuum, tum unctionem a Chriſto pro materia *eſſentiali* inſtitutam fuiſſe; facta tamen Eccleſiæ facultate, ut hæc, pro temporum vice, aut utraque ſimul, aut alterutra uteretur. Verum hac in re Scripturis, & Traditione duce procedendum eſt, non conjecturis, quibus tantum hæc opinio innititur. *IV.* Diſtinguunt plerique duplicem *impoſitionem* manuum, unam, quæ præcedit unctionem, quum ſcilicet epiſcopus, extendens manus verſus confirmandos, orationem *Omnipotens* fundit ad invocandum Spiritum S.; & alteram, cum ipſa ungendi actione conjunctam, quamque propterea impoſitionem etiam dicunt, eo quod nonniſi manu unctio ipſa perficiatur. Atque hac de impoſitione manuum, quæ ab ipſa unctione haud diſtinguitur, intelligendas eſſe Scripturas volunt. Attamen, ſi verum amamus, ſpecialem plane, ac diſtinctam ab unctione unctionem, ſub nomine impoſitionis manuum, Veteres ſignificarunt: unde *capitis obumbrationem*, *manus extenſionem*, *expanſionem*, aut *elevationem* dixerunt. Satis jam aperte Tertullianus *lib. de Bapt. adverſ. Quintil. cap. VII.* de duabus certe diſtinctis actionibus loqui videtur, ubi ait: *exinde egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione*. Et paullo poſt: *dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans, & invitans Spiritum-ſanctum*. Hinc & Cyprianus, qui *Epiſt.* 73. inquit: *per noſtram orationem, & manus impoſitionem Spiritum-ſanctum conſequuntur*. Ad hæc, quidni etiam unctionem, quæ in vertice capitis baptizandi, & extremam unctionem in infirmis, manus etiam impoſitionem dicamus, quum manu eæ quoque perficiantur? *V.* Plures præterea *eſſentialem* Confirmationis materiam manus impoſitionem, partem vero *integrantem* unctionem eſſe exiſtimaverunt: quo pacto in Pœnitentia dolor ad *eſſentiam*, confeſſio, vel ſatisfactio ad *integritatem* pertinent ſacramenti. Sed quoniam, ut ſupra notatum eſt, *chriſmatis* actione Tridentinum, ac Patres collationem tribuunt Spiritus-ſancti, ipſa hinc unctio non *integralis*, ſed *eſſentialis* pars ſacramenti eſſe videtur. *VI.* Quid igitur ſilente Eccleſia, diſcrepantibus Theologis, ea in re ſtatuendum? Tutius erit, impoſitionem ſimul, & unctionem,

par-

nuum, & ex chriſmate ipſo (a), tamquam ex binis *eſſentialibus*, ac partialibus, *totalem* unam materiam; at-

---

partiales quidem, ſed *eſſentiales* Confirmationis partes ita conſtituere, ut ex binis iis, *totalis* exurgat ratio ſacramenti. Quod quidem ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, facile ſuadetur. *VII. Eſſentiali* impoſitioni manuum opponi videntur recentiora Græcorum Euchólogia, quæ nullam illius mentionem interſerunt, quum chriſmandi ritum deſcribunt. Ex quo ſic licebit arguere: Græci confirmant ſine prævia impoſitione manus, quæ ab unctione diſtinguatur: Eccleſia Latina in Lugdunenſi *II.* aut Florentino, redeuntibus in ſuam communionem numquam objecit apud hodiernos Græcos haud ritè conferri Confirmationem: ſola itaque unctione, excluſa ſpeciali impoſitione manus, perfici hoc ſacramentum dicendum erit. Enimvero *graviſſimam* eſſe hujuſmodi Objectionem confeſſus eſt Tournelyus *ſupr. cit. loc.* nec ipſe viſus parem adtuliſſe Reſponſionem. Illa vero facile diluetur, ſi advertamus nullam *ſacramentalem* orationem a Græcis fundi ſolere, niſi extenſa, aut impoſita manu. Quo modo dixit Auguſtinus *lib. III. de Bapt. contra Donat. cap. XVI. num. 21. quid eſt enim aliud*, (manus impoſitio), *niſi oratio ſuper hominem?* Præſcribitur itaque in Græcorum Euchologiis, quibus hodiedum ii utuntur, ut ſuper recens baptizatis recitetur oratio; qua Spiritus-ſanctus invocatur. Quamvis vero expreſſa manus impoſitio non memoretur, ea tamen, una cum oratione ex antiqua conſuetudine uſurpatur. Viderat id Sambovius, Doctor Sorbonicus, apud Juenin in *Comment. de ſacram. Diſſert. III. de Confirm. quæſt. II. de mater. Confirmationis cap. III. art. 1. concl. 2. object. 1.* Videte etiam Cl. Selvaggium *Antiquitat. Chriſtian. lib. III. cap. VI. §. II. num. 6. VIII.* Unctioni porro, utpote quam *eſſentialem* Confirmationis partem ſtatuimus, ſilentium Scripturarum refragatur, quæ ſolam commemorant impoſitionem. At vero, ſi ſapimus, aliquod etiam unctionis veſtigium in Apoſtolo deprehendemus, ubi *II.* ad *Corinth. I. 22.* ſic ait: *qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos*, quem textum communiter Patres de Confirmatione interpretantur. Nec dicas, non de externa, ſed interna ibi Paulum loqui unctione, ob diffuſam Fidelium animis caritatem. Saltem enim *ad eam fit adluſio*, (inquit Natalis Alexander *Hiſtor. Eccleſ. ſæc. II. Diſſert. X. de ſacr. Confir. §. 1.*), *quatenus unctio externa infuſam Fidelium cordibus Spiritus-ſancti gratiam ſignificat, quæ per metaphoram unctio nominatur*,

atque *adæquatam* conſtare voluerunt. III. Miſſis præterea, quæ de forma a diverſis diverſe dici ſolent, cum eodem Tournelyo (*b*) adſerimus, tum orationem *Omnipotens*, quæ impoſitioni manuum reſpondet, tum verba

ob quamdam cum externa illa ſimilitudinem. Præterea, quomodocumque hæc ſint, conſtans Eccleſiæ traditio, (quam alteram fidei regulam eſſe evicimus *Tom. I. cap. VI.*), unctioni, qua de agimus, ſuffragatur. Satis enim Theologi, ac præſertim Juenin *ſupr. cit. Diſſert. III. de Confirm. q. II. cap. III. art.* 2. demonſtrarunt, quovis ſæculo ab ætate ipſa Apoſtolorum in Eccleſia tum Orientali, tum Occidentali unctione obtinuiſſe. Immo S. Th. 3. *p. q. LXXII. art.* 2. *in corp.* Apoſtolos *communiter chriſmate in exhibitione ſacramenti* Confirmationis uſos fuiſſe teſtatur, ut proinde ab iis iſthæc Eccleſiarum conſuetudo merito ſit arceſſenda. *IX.* Ex dictis denique adparet, quanta diligentia cavendum ſit epiſcopis, ut neminem ungant, niſi adfuerit orationi, quæ antea in manus impoſitione recitatur. Jam vero id obtinebunt, ſi confirmandos in diſtinctos ordines, aut in certa veluti clauſtra diſtingui juſſerint, ita ut primis recedentibus, ſuper aliis, poſtmodum introeuntibus, denuo cum impoſitione manus conſuetam repetant orationem.

(*a*) Chriſma conficitur *ex oleo*, *quod* (ut ait Eugenius IV. in *Decret.* ſeu *inſtruct. Armen.*) *nitorem ſignificat conſcientiæ*, & *balſamo*, *quod odorem ſignificat bonæ famæ*. Græci 35. alia aromatum genera admiſcent; quæ tamen ſi deſint, modo oleum & balſamum adſint, rite confici chriſma Benedictus *XIV.* decidit Conſt. *ex quo* an. 1756. Porro oleum neceſſitate ſacramenti, balſamum ex uſu tantum Eccleſiæ requiri videtur, cujus ante Gregorii M. tempora haud certum extat monumentum. Pius V. Conſtit. *digna* an. 1571. epiſcopis Indiarum pro balſamo, quod ibi non reperitur, ſuccum quemdam miri odoris, qui pro vero balſamo communiter habetur, adhibendum conceſſit. Et Xyſtus *V.* Conſtit. *cum balſamum* an. 1590. epiſcopis Portugalliæ, & Algarbiorum permiſit, ut pro balſamo vallis Hierico, quo Romana Eccleſia ſemper conſuevit chriſma conficere, balſamo Orientali uterentur.

(*b*) *Ibid. art.* 4. Miror tamen Bertium, qui impoſitionem, & unctionem *adæquatam* materiam Confirmationis facit, poſthabita nunc oratione, præcedente impoſitionem, adfirmare, ſola verba *Signo te* &c. quæ unctioni conjunguntur, *adæquatam* eſſe formam hujus ſacramenti.

ba illa *Signo te ſigno crucis* &c. quæ unctionem comitantur, *totalem* ſimul eſſe, & *adæquatam* formam ſacramenti. Nimirum non ſolum, ut dictum eſt, apud Scripturas, & Patres, cum impoſitione ſemper etiam oratio commemoratur; ſed etiam forma *Signo te* &c. in antiquiſſimis Sacramentariis, & ab ipſo Eugenio IV. refertur (*a*): *forma autem eſt: Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris* &c. (*b*).

§. V.

(*a*) *In Decret.* ſeu *Inſtruct. Armen.*

(*b*) Tria hic ſolent opponere. *I.* Forma hujuſmodi ſæc. *XII.* ubique uſurpata eſt, nec ante ſæc. *VIII.* ullum illius adhuc extat monumentum. *II.* Eugenius *IV.* de ritibus, quos Romana Eccleſia ſervat in miniſtrandis ſacramentis, Armenos edocere voluit, quod certe ad ſolam pertinet diſciplinam. *III.* Mira extitit varietas quoad verba, quæ chriſmationem comitantur, ut ex antiquis patet Ritualibus. Forma igitur *Signo te* &c. non ad *eſſentiam* pertinet Confirmationis. Sed ad *I.* reſpondetur, ex diſciplina *arcani*, quæ ſumma religioni primum obſervabatur, ne Religionis myſteria Gentilium, & Judæorum deriſioni paterent, fieri potuiſſe, ut de forma hac Confirmationis altum haberetur ſilentium. Adpoſite Innocentius *I.* qui initio ſæc. *V.* floruit, *Epiſt. XXV. ad Decret. epiſcop. Eugub. cap. 3. num. 6.* poſtquam de unctione, quæ per Confirmationem datur, diſſeruerat: *verba autem dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere.* Si ea ſecreti religio per illam tempeſtatem: quæ, rogo, prioribus ipſis Eccleſiæ ſæculis? Quoad vero *II.* ſpectat, Eugenius in *cit. Decret.* ſatis diſerte inquit, ſe *ſub quodam brevi compendio orthodoxæ fidei veritatem*, quam Romana Eccleſia profitetur, per illud Decretum tradere. Immo, ubi ſacramenta omnia perfici ait ex materia, forma, & intentione miniſtri, hæc ſubdit: *quorum ſi aliquod deſit, non perficitur ſacramentum.* Manifeſtum eſt itaque, ſe non de *accidentalibus* ſolum, ſed *eſſentialibus* præſertim ritibus ſacramentorum loqui. Ad *III.* denique dicimus, quod mutatio iſthæc quoad verba fuerit, non autem quoad ſenſum. Semper enim is verborum contextus adhibitus eſt, quibus effectus ſacramenti [illegible]. Quare ſuperius *pag. 33. & ſeq.* tradidimus, formas ſacramentorum non *ſtricte* ſub certa verborum clauſula, ſed potius quoad aliquem illarum ſenſum fuiſſe præſcriptas.

H 2

§. V. *De miniſtro, ſubjecto, & effectu Confirmationis pauca traduntur.*

Inquiramus modo, quinam miniſter Confirmationis, cui eadem adminiſtranda, ac qualis proprius ejuſdem effectus ſit. Et quoad I. ſatis ex iis, quæ dicta ſunt, colligitur, ſolum epiſcopum miniſtrum eſſe ordinarium hujus ſacramenti. Non enim alia de ratione Petrus, & Joannes Samariam perrexerunt, ut iis, quos Philippus baptizaverat, manus imponerent, niſi quod, ut Chryſoſtomus obſervavit (*a*), Philippus haud erat Apoſtolus. Idem Cyprianus adfirmavit, *præpoſitis Eccleſiæ* confirmandos offerri oportere (*b*), & eoſdem *ad epiſcopum* perducendos Eliberitanum ſanxerat (*c*). Ac Hieronymus (*d*): *non quidem abnuo hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros, & diaconos baptizati ſunt, epiſcopus ad invocationem Spiritus-ſancti manus impoſiturus excurrat*. Et deinde: *ſi Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus, inſtar præcepti, obtineret*. Quare Tridentinum (*e*): *ſi quis dixerit, ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem ſacerdotem, anathema ſit* (*f*). Quod vero II. ſpectat, non eſt capax

(*a*) *Supr. pag.* 108.
(*b*) *Supr. pag.* 103.
(*c*) *Cit. pag.* 103.
(*d*) *Dialog. contra Luciferianos.*
(*e*) *Seſſ. VII. de Confirm. Can.* 3.
(*f*) Ante Chryſoſtomi tempora numquam legitur Græcos presbyteros Confirmationem adminiſtraſſe. A ſæc. *V.* aut multo ante Photii ſchiſma, ſeu ante ſæc. *IX.* mos iſtiuſmodi obtinuiſſe videtur. Placuit nonnullis Theologis, & ex recentioribus etiam Eſtio, ac Sambovio, haud valide eo modo Confirmationem conferri. Sed obſtat tum praxis Rom. Eccleſiæ, quæ confirmatos a Græcis presbyteris, atque ad ipſius communionem revertentes, numquam iterum confirmari permiſit; tum

pax Confirmationis, niſi baptizatus. Quemadmodum enim oportet hominem primum naſci, ut poſtmodum adoleſcat; ita non poteſt quis in gratia corroborari, niſi prius ſit per Baptiſmum ad eam regeneratus. Quamobrem prioribus XII. Eccleſiæ ſæculis, (quod & apud Græcos etiam obſervatur), Baptiſmus, una cum Confirmatione, & Euchariſtia, ipſis etiam infantibus miniſtrari conſuevit (*a*). Atque etiam hodie, tametſi juſtis de cauſſis a priſca ea diſciplina diſceſſum ſit (*b*), li-

---

tum Gregorium M. qui, quum *Epiſt. IX. lib.* 3. Calaritanis id presbyteris primum prohibuiſſet, tum *Epiſt. XXVI.* denuo reſcripſit: *ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi epiſcopi deſunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate tangere debeant, concedimus*. Adde Eugenium *IV.* in *Decret. Armen. legitur tamen aliquando, per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili, & urgente admodum cauſſa, ſimplicem ſacerdotem chriſmate per epiſcopum confecto, hoc adminiſtraſſe Confirmationis ſacramentum*. Immo ipſum Tridentinum, ubi *Seſſ. VII. de Confirm. Can.* 3. ſolum epiſcopum definivit eſſe Confirmationis *ordinarium miniſtrum*, non obſcure innuit hujuſmodi miniſterium poſſe etiam presbyteris ſpecialiter delegari. Quippe accepimus Tridentinos Patres fere tum omnes in S. Thomæ ſententiam inclinaſſe, qui 3. *Part. quæſt. LXXII. art. XI.* ad *I.* adfirmavit, Gregorium Papam *ex plenitudine poteſtatis* privilegium hoc meris ſacerdotibus concedere potuiſſe. Ex quo adparet, conſuetudinem in Eccleſia Orientali, ut preſbyteri quoque confirment, tacito ſaltem conſenſu a Rom. Sede probatam, probarique, in Occidentali vero nullum presbyterum chriſmare poſſe, niſi ex expreſſa delegatione. Quod etiam de Italo-Græcis presbyteris intelliges, a quibus baptizatos per epiſcopum Latinum, ſi non adſit Græcus, confirmari præcepit Benedictus *XIV.* Conſt. *etſi paſtoralis* an. 1742. Ceterum de miniſtrando chriſmate hactenus dicta accipienda ſunt, non de conficiendo. Diſerte enim Eugenius *ſupr. cit. Decret. chriſmate per epiſcopum confecto*. Unde S. Th. *ibid. art.* 3. cenſet de neceſſitate eſſe hujus ſacramenti, ut chriſma prius per epiſcopum conſecretur.

(*a*) Juenin in *Comment. de ſacr. Diſſert. IV. de Euchariſt. quæſt. VI. cap.* 1.

(*b*) Nimirum in Eccleſia Latina, non autem Græca, apud

 quam,

licebit, ut adfirmat Angelicus (*a*), parvulis in extremo vitæ periculo conſtitutis Confirmationem miniſtrare. III. Duplex denique effectus eſt Confirmationis. Alter, ut plenitudinem conferat Spiritus-ſancti, qua Chriſtianus ad ſpiritualem pugnam contra *viſibiles* etiam fidei hoſtes communitur. Unde Auguſtinus (*b*): *non ſine cauſſa ſignum ſuum Chriſtus in fronte nobis figi voluit, tamquam in ſede pudoris, ne Chriſti opprobria Chriſtianus erubeſcat*. Alter eſt, ut imprimat characterem, qui eſt, ut ait S. Thomas (*c*), *ſignum diſtinctivum* fidelis a ceteris fidelibus. Eum autem non Paulus ſolum deſignat (*d*), *unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*; ſed

---

quam, ut omnia Græcorum Euchologia teſtantur, hoc etiam tempore antiqua conſuetudo ſervatur. Cauſſæ vero mutationis diſciplinæ quoad Confirmationem eæ ſunt. I. Quum ſollemnis Baptiſmus obſoleſcere cœpiſſet, neceſſe fuit, ut ille a presbyteris, Confirmatio ab epiſcopis, & quidem diverſo tempore, ac ritu conferretur. II. Quum puerilis ætas incapax ſit tentationum, ſatius viſum in rationis tempus ſacramentum illud differre, quo ad bene pugnandum robur donaretur. III. Ita etiam iterandi Confirmationem facilius periculum evitatur. IV. Debita ſacramento reverentia præſtatur, quum iis, qui ratione utuntur, conferatur. Quod porro ad Euchariſtiam pertinet, mutata diſciplina eſt, tum ut majori ſacramenti honori proſpiceretur, tum ne infantibus occaſio daretur una cum lacte Euchariſticas ſpecies evomendi.

(*a*) Ita S.Th. 3. *Part. quæſt. LXXII. art. VIII. ad* 4. *etiam morituris hoc ſacramentum dandum eſt, ut in reſurrectione perfecti adpareant . . . unde etiam pueri confirmati decedentes, majorem gloriam conſequuntur, ſicut & hic majorem obtinent gratiam*. Idem cum pluribus aliis fatetur Bened. XIV. *de Syn. Diœceſ. lib. VII. cap. X. num.* 5. Et noſtro hoc tempore Carolus Pergamus, epiſcopus Cajetanus, doctrina, ac pietate præclariſſimus, quacumque adeatur hora, infantibus morti proximis Confirmationem miniſtrat.

(*b*) *Enarrat. IV. in Pſalm.* 30. *Serm. III. num.* 7.

(*c*) 3. *Part. quæſt. LXXII. art.* 5. *ad* 1.

(*d*) *II. ad Corinth. I.* 22.

ſed Cyprianus (*a*), ceterique antiquiores Patres. Quare merito Tridentinum (*b*): *ſi quis dixerit, in tribus ſacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima*, h. e. *ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.*

CAPUT IV.

De Euchariſtia.

§. I. *In ſecunda veſpera Lunæ XIV. menſis Niſan, pridie mortis, Paſchali cœna celebrata, Chriſtus Euchariſtiam inſtituit. Quædam quoad materiam, formam, & veritatem ipſius, breviter obſervantur.*

Voluerat Deus, ut quotannis eo ipſo tempore, ad verſperam ſcilicet diei XIV. menſis Niſan, *h. e.* Martii, quo populus Judaicus ab Angelo, percuſſore Ægypti, ſervatus fuerat, Paſcha, ſeu Phaſe, aut tranſitus, in accepti gratiam beneficii celebraretur (*c*). In memoriam inſuper egreſſionis ab Ægypto, ſollemnitati Paſchatis ſollemnitatem alteram azymorum conjungendam juſſit (*d*). Accedente interea prima die azymorum, ſeu Luna XIV. (*e*), Servator, qui non *ſolvere*, ſed

(*a*) *Supr. pag.* 103.

(*b*) *Seſſ. VII. de ſacram. in gen. Can.* 9.

(*c*) *Exod.* XII. 14.

(*d*) *Ibid. v.* 15. Duæ itaque erant Feſtivitates, quæ etſi ſimul incipiebant, diſtinguebantur tamen non ſolum ob diverſum præceptum, & ſignificationem, ſed etiam ob durationem, ac ritum. Altera enim a veſpera diei 14. ad veſperam diei 15. extendebatur, ita tamen, ut in nocte inter utramque media agnus Paſchalis comederetur; altera diebus ſeptem perdurabat, quibus panes tantum azymos veſci licebat.

(*e*) At enim Lucas *XXII. 7. venit autem prima dies azymorum ... & miſit Petrum, & Joannem, dicens: euntes parate nobis Paſcha*. Et Matthæus *XXVI. 17. prima autem die azy-*

ſed adimplere (*a*) venerat legem, in Jeruſalem (*b*) perrexit, ibique cum XII. diſcipulis ſuis (*c*), eadem nocte, (h. e. exeunte veſpera Lunæ XIV. & inchoante veſpera Lunæ XV.), quemadmodum mos erat Hebræorum (*d*), *celebrato veteri Paſcha* (*e*), pridie quam pateretur (*f*), Euchariſtiam inſtituit. Aperta autem ea ſunt

zymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Paſcha? Venerat igitur prima dies azymorum, ſeu dies 15. ut proinde in ipſa 15. die Chriſtus & parari Paſcha juſſerit, & celebrarit. Verum *το venit*, & *το prima dies*, populari loquendi modo accipere oportet, eo quod inſtabat jam, & ante Solis occaſum azymi panes erant præparandi, atque omne fermentatum, e domibus abjiciendum. Quare Lucas *ibid. v.* 14. *quum facta eſſet hora*, & Matthæus *v.* 20. *veſpere autem facto*, nonniſi dixerunt veniſſe Jeſum, & diſcubuiſſe.

(*a*) *Matth. V.* 17.

(*b*) Hieroſolymis tantum Phaſe immolabatur, eoque Paſchali tempore Judæi undique conveniebant.

(*c*) Ad cœnam Paſchalem neque pauciores decem, neque plures viginti epulatoribus convenire poterant, ut teſtatur Joſephus *lib. VI. de Bell. Jud. cap.* 9. Huc ſpectat, quod dicitur *Exod. XII.* 4. *ſin autem minor eſt numerus, ut ſufficere poſſit ad veſcendum agnum, adſumet vicinum ſuum, qui junctus eſt domui ſuæ, juxta numerum animarum, quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni.*

(*d*) A veſpera ad veſperam celebrabantur feſti dies apud Judæos, ut juſſerat Dominus *Levit.* XXIII. 32.

(*e*) Tridentin. *Seſſ.* XXII. *cap.* I. *de inſtit. Miſſ. ſacrif.*

(*f*) Dicitur *Joan.* XXIII. 1. *ante diem feſtum Paſcha* Chriſtus cœnam feciſſe, & Euchariſtiam inſtituiſſe. Monuimus autem feſtivitates celebrari a veſpera ad veſperam. Igitur Paſchale tempus Chriſtus antevertit, nimirum celebravit cœnam Luna 3. atque hinc biduo antequam pateretur. Verum notandum eſt, quod, etſi prima veſpera ad Feſtivitatem ſpectabat, ſequens tamen proprie dies *ſollemnis* vocaretur. Ita ſecunda veſpera diei 14. ad feſtum azymorum pertinebat quidem: nihilominus *Levit.* XXIII. 6. ſollemnitas azymorum die 15. eſſe dicitur: *quintadecima die menſis hujus ſollemnitas azymorum Domini eſt*. Hoc pacto ſenſu vulgari, ac ritu Eccleſiaſtico, prima veſpera in pervigilio alicujus ſollemnitatis ad feſtum ipſum per-

ſunt (*a*): *cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Plura hinc inferre licet. I. Quod Euchariſtia ſacramentum eſt. In eo quippe habetur *ſignum externum*, nimirum ſpecies panis, & vini: *gratiæ collatio*, juxta illud (*b*): *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Et iterum (*c*): *qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* denique *inſtitutio divina*, cum mandato *ſenſibilibus* iis ſignis utendi (*d*): *hoc facite in meam commemorationem*. II. Apta ſacramenti materia eſt panis triticeus, & vinum ex uvis expreſſum; qualia in communi erant uſu apud Judæos, Chriſtus uſurpavit, & conſtans Eccleſiæ praxis retinuit (*e*). III. In azymo ſane conſecravit Dominus, non fermentato. Ut enim dictum eſt, exeunte Luna XIV. menſis *Niſan*, non Phaſe ſolum, ſed ſollemnitas etiam azymorum incipiebat, in qua fermentatis uti panibus Hebræi prohibebantur (*f*). Ea autem de

pertinet, licet præcedere etiam dicimus. Quare *to ante diem feſtum Paſchæ* idem eſt, ac ante *mediam noctem* Lunæ 15. ſeu quum ſecunda veſpera dixi 14. jam jam exitura erat, quo tempore inſtitutam diximus Euchariſtiam, pridie Lunæ 15. quo die Chriſtus cruci ſuffixus fuit.

(*a*) *Matth.* XXVI. 26. Idem habet *Luc.* XXII. 19.

(*b*) *Joan.* VI. 57.

(*c*) *Ibid. n.* 59.

(*d*) *Supr. Luc.* XXII. 19.

(*e*) S. Th. 3. *Part. quæſt.* LXXIV. *art.* 3. *ad* 2. admittit; quod, quum ſiligo e grano tritici naſcatur, *ex tali frumento panis confectus, poteſt eſſe materia hujus ſacramenti*. Ejus tamen ſententiam non probamus, tum quod ex tritico avena etiam producatur, tum quod in materia ſacramenti, (ob Propoſ. ab Innoc. XI. damnatam), opinione probabili uti non licet.

(*f*) Putant Græci Chriſtum cauſſa mortis prævenisse legitimum tempus Paſchatis, ob male acceptum textum Joannis, de quo

de re licet varia fuerit plerumque diſciplina (*a*), in Romana tamen Eccleſia ab Apoſtolis ipſis uſus azymi ſemper obtinuiſſe videtur (*b*). Ceterum, ut id cumque ſit, ita Florentinum edixit (*c*): *definimus... item in azymo, ſive fermentato pane triticeo, corpus Chriſti veraciter confici, ſacerdoteſque in altero ipſum Domini corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet, juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem* (*d*). IV. Forma propria hujus ſacramenti ſunt verba, quibus Chriſtus uſus eſt: *hoc eſt corpus meum*: &: *hic eſt ſanguis meus* (*e*). Quæ quidem non *hiſtorice*, ſed

---

quo paulo ante, *ante diem feſtum Paſchæ*. Sed eſto! Sicut nihilominus comedit agnum cum lactucis, ita & eum panibus etiam azymis uſum fuiſſe dicendum erit.

(*a*) Jacobus Sirmondus in *Diſquiſit. de azym.* arbitratur octo prioribus ſæculis, & amplius, Latinam Eccleſiam fermentatum adhibuiſſe, &, nonniſi poſt Photianum ſchiſma, azyma obſervaſſe. Contra Joannes Mabilionius *Diſſert. de pane Euchariſtico*, perpetuum fuiſſe azymorum uſum in Eccleſia Latina, ab Apoſtolis profectum, propugnavit. Cardinalis Bona media incedit via, innuitque *lib.* I. *rerum liturgic. cap.* 23. licitum, pro varia temporum, & Eccleſiarum diſciplina, tum azymi, tum fermentati uſum extitiſſe. Juenin rem adcuratius exegit, demonſtratque *Comment. de ſacram. Diſſert.* IV. *quæſt.* II. *art.* IV. §. 4. *& ſeq.* Orientales Eccleſias ſex prioribus ſæculis fermentatum conſecraſſe, Latinam vero Eccleſiam per idem tempus indiſcriminatim azymo & fermentato uſam fuiſſe, licet ante ipſa Photii tempora fermentatus ab omnibus Eccleſiis Occidentis excluſus fuerit.

(*b*) Late id probat Bertius *de Theolog. diſcipl. lib.* XXXIII. *cap.* III. *propoſ.* 2.

(*c*) In *Litteris S. unionis*.

(*d*) Idem ſtatuerunt Pius V. Conſtit. *providentia* an. 1566. & Benedictus XIV. in *ſupr. cit.* Conſtit. *etſi paſtoralis* an. 1742. & altera Conſtit. *adlatæ ſunt* an. 1755. Immo quum Maurus, presbyter Eccleſiæ Brixienſis, eo quod nec hoſtiam, nec calicem habebat, in *pane fermentato*, *& in ſcypho ligneo* celebraſſet, ab officio, & beneficio ſuſpenſus fuit. Cap. *litteras* XIV. Extr. *de celebr. Miſſ.*

(*e*) Non excuſaretur tamen a letali peccato, qui reliqua illa

Digitized by Google

ſed in perſona Chriſti *adſertive* enunciantur, utpote quæ ad *elementum* accedunt, & ſacramentum conficiunt (*a*). V. Denique in Euchariſtia corpus, & ſanguis Chriſti vere, & *realiter* continentur. Si enim poſt conſecrationem panis etiam ſubſtantia remaneret, falſo dixiſſet Chriſtus: *hoc eſt corpus meum* (*b*).

§. II. *Guilielmus inter Proteſtantes Miniſter caſtigatur.*

INSTITUTI brevitas non patitur, ut quæ omnia ad veritatem hujus ſacramenti vindicandam Theologi proponere ſolent, huc adferamus. Ferendus autem non eſt Guilielmus quidam, ex Proteſtantibus Theologus, & Miniſter, qui *realem* Chriſti præſentiam in Euchariſtiæ ſacra-

---

illa omitteret: *novi*, & *æterni teſtamenti*, &c. quæ ad perfectam ceteroqui orationem, ac ſenſum pertinere videntur. In re enim multum gravi præceptum, & Eccleſiæ conſuetudo violaretur.

(*a*) Ambroſius Catharinus, plurium Græcorum ſententiam ſequutus, conſecrationem ſcilicet precibus perfici, Chriſti autem verba *hiſtorice* tantum ex præcepto divino recitari, eam etiam in Synodo Tridentina ſuſtinere auſus eſt, ſcripſitque duos in id argumenti libellos. Quæ quidem opinio ita Patres offendit, ut pœne fuerit proſcribenda. Ne longius hic immoremur, adire Habert in *Teolog. Dogmat.* ubi *Part.* I. *de Euchariſt. cap.* VIII. Catharini momenta evertit.

(*b*) Advertendum, quod non dixit Chriſtus: *hic panis eſt corpus meum*. Tum enim vel cum Lutheranis admittenda *impanatio*, h. e. unio hypoſtatica Verbi cum pane, aut *conſubſtantiatio*, h. e. panis ſimul, & corporis Chriſti ſubſtantia in Euchariſtia; vel *cit.* verba cum Calviniſtis metaphorice accipi poſſent, quod in vero pane *figurata* tantum, ac per ſolam fidem præſens Chriſtus ſit. Dixit contra: *hoc eſt corpus meum*; adeo ut pronomen *hoc* non ad panem, ſed ad corpus Chriſti referatur. Quo innueretur, omnem ſubſtantiam panis in Chriſti corpus vere, ac prorſus converſam fuiſſe: quo pacto non per metaphoram, ſed vere ac proprie *Joan.* VI. 56. dictum fuit: *caro enim mea vere eſt cibus*, & *ſanguis meus vere eſt potus*.

Digitized by Google

ſacramento evertere conatur, quod eidem phyſicæ leges adverſantur. Ita autem ille apud Volterium (*a*). *les proteſtans, & ſurtout les philoſophes proteſtans, regardent la transſubſtantiation, comme le dernier terme de l'impudence des moines, & de l'imbécillité des laïques. Ils ne gardent aucune meſure ſur cette croyance qu' ils appellent monſtrueuſe; ils ne penſent pas même qu' il y ait un ſeul homme de bon ſens, qui, après y avoir réfléchi, ait pu l' embraſſer ſérieuſement. Elle eſt, diſent-ils, ſi abſurde, ſi contraire à toutes les loix de la phyſique, ſi contradictoire, que Dieu même ne pourrait pas faire cette operation; parce que c' eſt en effet anéantir Dieu que de ſuppoſer qu' il fait les contradictoires.* At vero audaciæ multum, rationis nihil iſthæc præſefert oratio! I. Solis quinque panibus, ac duobus piſcibus, quinque virorum millia ſatiarat primum Dominus (*b*): tum paullo poſt de cæleſtis panis, ac ſuæ carnis manducatione ediſſeruit, ut unius prodigii facilitate facilitatem alterius doceret. Nihilominus, ut monuit Evangeliſta (*c*), *litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Immo multi etiam ex diſcipulis murmurarunt (*d*): *durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire* (*e*)? Quid ad hæc Servator? Anne, quod ii nec rem crederent, nec modum caperent, aut dicti eum pœnituiſſe, aut conſilium mutaſſe dicemus? Atqui jam primum minitando adjecerat (*f*): *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non ha-*

(*a*) *Pièces Détachées Tom.* I. verb. *tranſubſtantiation*.
(*b*) *Joan.* VI. 11.
(*c*) *Ibid. v.* 53.
(*d*) *Ibid. v.* 61.
(*e*) Vel hinc ſatis patet, Chriſtum non metaphorice, ſed proprie de ſui corporis comeſtione loquutum fuiſſe, quod *ſupr. pag.* 123. innuimus. Alias, numquam tantum inde ſcandalum Judæi paſſi fuiſſent.
(*f*) *Ibid. v.* 54.

habebitis vitam in vobis; & iterum fidem obligavit ſuam. Non nova igitur, ſed antiqua eſt querela iſtiuſmodi, Domino ipſi, ni philoſophico, populari tamen modo propoſita. Cui interea ſtandum, Chriſto ita adfirmanti, ita volenti; an neſcio cui Sapientulo, vel Judæo, divina non capienti, divina æſtimanti? II. A Deone naturæ leges, an a naturæ legibus Deus dependet? Ni atheos ſequaris, Deum opificem omnium, & conſervatorem credes. Quod ſi ita eſt, qui ardorem igni, curſum mari, volatum avibus, vitam animalibus, & (quod huc facit) *accidentia* corpori donavit, eoſdem ipſe effectus, ac proprietates nec impedire, nec retardare ullo modo poterit, ſi ita præſertim ſuo deceat honori? *Si ergo*, ut in hanc rem argumentabatur Ambroſius (*a*), *tanta vis eſt in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius eſt, ut quæ erant, in aliud commutentur?* Et Cyrillus Hieroſolymitanus (*b*): *aquam aliquando mutavit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in Cana Galilææ, ſola voluntate: & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutaſſet?* III. In pleriſque multis naturalibus etiam rebus cognoſcendis, explicandiſque, tenues, atque impares ſumus. Nota ſunt, quæ olim Jobum interrogavit Deus (*c*): *reſponde mihi: ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, ſi habes intelligentiam. Quis poſuit menſuras ejus, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam; ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt* (*d*)? &c. Atque id etiam ipſi noſtra hac luce ſæculi in mathematicis, phyſiciſque ſcientiis peritiſſimi viri profitentur (*e*). Quod ſi ita eſt, lice-

(*a*) *Lib.* IV. *de ſacramentis cap.* 4.
(*b*) *Catech. Myſtagogica* IV.
(*c*) *Job* XXXVIII. 3.
(*d*) Dignum eſt, quod legatur *cit. Job. cap. ac ſeq.*
(*e*) Ita Cl. Mr. Maupertuis *Œuvres Tom.* II. *Lettre* XVII. *ſur la Religion pag.* 328. *& ſeq.* (*A Lyon* 1768.)*: ſes dogmes nous révoltent: mais la Nature n'offre-t-elle pas à notre raiſon des*

licebitne phyſicæ legibus, unoque ſenſuum judicio res divinas metiri, deque earum vi, & effectu judicare (a)? Certe in iis, quæ Religionis myſteria ſpectant, ſola revelatione duce procedendum eſt, ni decipi velimus. Præclare Auguſtinus (b): *demus Deum aliquid poſſe, quod nos fatemur inveſtigare non poſſe: in talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.*

§.III.

---

des choſes révoltantes? Les vérités mathématiques même ne nous préſentent-elles pas des faces, par les quelles elles nous ſcandaliſent, & ſous les quelles elles paroîtroient fauſſes à tous ceux qui ne ſont pas aſſez Géometres? Quel eſt l'homme qui au premier abord ne rejettera pas tout ce qu'on lui dit des incommenſurables; qu'il y a des quantités telles, que, diviſées en parties ſi petites, qu'on voudra, jamais les parties de l'une ne pourront meſurer l'autre exactement; qu'il y a des lignes qui s'approchant toujours, ne parviendront jamais à ſe rencontrer; qu'il y a des ſuites infinies de nombres dont tous les termes ajoutés enſemble ne font qu'une ſomme finie? Cependant ces merveilles ne ſont que les ſuites néceſſaires de la nature de l'étendue, dont l'idée eſt la plus ſimple, & la plus claire de toutes celles qui appartiennent à l'eſprit humain. Que devons nous penſer des phénomenes, qui dépendront d'un être, dont nous ſommes ſi éloignés d'avoir l'idée complette.

(a) Adlatum Guilielmi argumentum Novatores etiam ſæculi XVI. contra *realem* Chriſti præſentiam in Euchariſtia objecerunt. Theologi Catholici, ducto exemplo a myſteriis Trinitatis, & Incarnationis, quæ ab iis quidem admittuntur, ita reſpondere conſueverunt: Trinitas, & Incarnatio hominum captum ſuperant, & tamen bina hæc fidei myſteria nulla vobis creant difficultatem, eo quod non rationis, ſed revelationis facem ſequimini. Ecquid in myſterio Euchariſtiæ una revelatio dux vobis non erit? Verum quum impietas hujus ſæculi præteritorum ſæculorum ſuperet impietatem: quippe noſtri ævi Sapientes duplicem hunc fidei articulum negant etiam, & derident; hinc aliam Reſponſionem fas erat argumento hujuſmodi opponere, quam ab ipſa rationis infirmitate petitam huc adtulimus.

(b) *Epiſt. 137. ad Voluſianum.*

§. III. *Miniſter ordinarius diſpenſandæ Eucharistiæ ſolus episcopus, & ſacerdos eſt, extraordinarius diaconus. De communione ſub utraque ſpecie, ejus neceſſitate, & effectu, quædam attinguntur.*

MULTA vero huc faciunt. I. Nemini ambigendum, quin miniſtri ordinarii hujus ſacramenti nihil omnino laici, ſed ſoli ſint epiſcopi, ac presbyteri. Non enim niſi Apoſtolis, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, dixerat Chriſtus (*a*): *hoc facite in meam commemorationem* (*b*). Nimirum, *ſicut*, ut inquit S. Thomas (*c*), *ad ſacerdotem pertinet conſecratio corporis Chriſti, ita ad eum pertinet diſpenſatio*. Unde Tridentinum (*d*): *in ſacramentali autem ſumtione ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, ut laici a ſacerdotibus communionem acciperent*. II. Diaconi, qui occaſione *agaparum* (*e*), diſpenſandæ

(*a*) *Luc.* XXII. 19.

(*b*) Dixerat Dominus Apoſtolis *docete omnes gentes, baptizantes* &c. Nec tamen prohibentur ceteri Fideles baptizare. Dixit quoque Apoſtolis *hoc facite in meam commemorationem*. Ecquid ab officio ſacrificandi, & miniſtrandi Euchariſtiam, laici excludantur? Verum in hac re non ex ſono, ſed ex ſenſu verborum judicandum eſt. Senſus autem, quem iis verbis intendit Chriſtus, ex perpetua traditione, & praxi Eccleſiæ habetur, quæ divini Magiſtri ſui ſententiam edocta, priora illa *docete omnes* ad laicos etiam, in caſu neceſſitatis extendit, poſteriora *hoc facite* ad ſolos omnino ſacerdotes reſtrinxit. Ratio autem ea fortaſſe eſſe poterit, quod Baptiſmus omnino ad ſalutem requiritur, ut propterea ab omnibus conferri conveniret. Quod non ita eſt de Euchariſtia.

(*c*) 3. *Part. quæſt.* LXXXII. *art.* 3. *in corp.*

(*d*) *Seſſ.* XIII. *in Decret. de Euchar. Sacr. cap.* 8.

(*e*) Convivia erant *της αγαπας*, *dilectionis* cauſſa, in ipſo Apoſtolorum tempore inſtituta, ad quæ poſt participatam Euchariſtiam, impenſis divitum, fideles pauperes conveniebant. De iis apud Apoſtolum I. *ad Corinth.* XI. 20. & apud Veteres frequens occurrit mentio. Adite Cabaſſutium *Notit. Eccleſ. ſæc.* II. *Diſſert.* XVI. & Gonzalez in *Comment.* ad Cap. *ſuam* XXVIII.

ſandæ Euchariſtiæ ab Apoſtolis præfecti fuere (*a*), quemadmodum inferius (*b*) docebimus, tum in Græca, tum in Latina Eccleſia, extraordinarii Euchariſtiæ ſacramenti fuere. Morem hunc in Oriente probat Juſtinus martyr, qui floruit II. Eccleſiæ ſæculo (*c*): *qui apud nos vocantur diaconi, atque miniſtri, diſtribuunt unicuique præſentium, ut participent eum, in quo gratiæ actæ ſunt, panem, vinum, & aquam, & ad abſentes perferunt*. Eumdem & ſupponit ſynodus Nicæna (*d*), ubi prohibet, ne *presbyteris gratiam ſacræ communionis diaconi porrigant*. Pro Occidentalibus ſatis ſit unus Cyprianus (*e*): *ubi vero ſollemnibus adimpletis calicem diaconus offerre præſentibus cœpit* (*f*). III. Certum eſt prioribus XII. ſæculis laicos ſub utraque ſpecie in ſacris conventibus ordinarie communicaſſe. Sed conſtat etiam, non raro ſub uno tantum ſymbolo, pleriſque in occaſionibus, iis Euchariſtiam miniſtratam fuiſſe. Ita vinum dumtaxat conſecratum datum infantibus teſtatur Cyprianus (*g*); ſolum Euchariſticum panem

XXVIII. Extr. *de Simon. num. 6.* Conſtat multis Eccleſiæ Canonibus adprobata ea fuiſſe. Sed quum in luxum inde abirent, & turbæ excitarentur, abolita fuere.

(*a*) *Act.* VI. 3. *& ſeqq.*

(*b*) *De ſacr. Ordinis*.

(*c*) *Apolog.* II. *pro Chriſtianis ad Antoninum Pium*.

(*d*) *Can.* XVIII.

(*e*) *Lib. de lapſis*.

(*f*) Apud Orientales tamen diaconi ſollemniter in publicis ſynaxibus Euchariſtiam diſpenſabant, præſentibus etiam presbyteris, extra ipſum neceſſitatis caſum, & quidem ratione ſui ipſorum gradus, ſine ſpeciali epiſcopi, vel præsbyteri mandato. Non ita autem apud Occidentales.

(*g*) *Cit. lib. de lapſis*, ubi loquens de infantula, cujus ori nutrix, neſcia matre, guſtandum dederat panem vino Diis immolato intinctum, & quæ ad Eccleſiam delata calicem ſanguinis a diacono oblatum abhorrebat, hæc ſubjungit: *perſtitit tamen diaconus, & reluctanti licet, de ſacramento calicis infudit. Tunc ſequitur ſingultus, & vomitus. In corpore, atque ore violato, Euchariſtia permanere non potuit*.

Digitized by Google

nem ſervatum fuiſſe domi ad domeſticam communionem adfirmat Tertullianus (*a*); & unam panis ſpeciem ad infirmos delatam fuiſſe plurima Veterum monumenta confirmant, quum de pane, non de vino, de vaſis, non de calicibus, ad Domini corpus pro ægrotantium communione ſervandum, meminerunt. Ex quibus conſequitur, nullo divino præcepto cautum fuiſſe, ut ſub utraque ſpecie fidelis populus communicaret (*b*); ac proinde juſtis de cauſſis (*c*) potuiſſe Eccleſiam

(*a*) *Lib.* II. *ad Uxorem de matrim. cum Gentilibus cap.* 5. *non ſciet maritus; quid ſecreto ante omnem cibum guſtes. Et ſi ſciverit panem, non illum credit eſſe, qui dicitur?* Azymuſne, ſive fermentatus is fuerit, multi quærunt. Euchariſticum fuiſſe nullus dubitat.

(*b*) Adducunt illud Chriſti *Joan.* VI. 54. *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* At I. ſi communio ſub duplici ſpecie divinitus præcepta eſt, qua auctoritate Reformatores parvulis, aut periculoſius decumbentibus eam denegant? Aut cur abſtemios, eoſque omnes, qui ægre ferunt eidem calici poſt alios labia admovere, a guſtatione calicis liberant? II. Particula *&* non raro etiam disjunctiva eſt. Ita quod *Exod.* XXI. 15. habetur: *qui percuſſerit patrem ſuum, aut matrem, morte moriatur:* in Hebræo dicitur *& matrem.* Sic Petrus *Act. III. 6. argentum, & aurum non eſt mihi*, h. e. nec argentum, nec aurum. Is itaque verborum Chriſti ſenſus fuit: *ſi neque manducaveritis carnem Filii hominis, neque biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: Alias, eccur uni pani vitæ æternæ conſequutionem tribuiſſet, ubi ait *Joan.* VI. 59. *qui manducat hunc panem, vivet in æternum?* Et ſane Paulus I. *ad Cor.* XI. 26. *& ſeqq.* particulas haſce *&* *vel* confundit, uſurpatque. Dicit quippe *quotieſcumque enim manducabitis panem hunc*, & *calicem bibetis* &c. Tum *quicunque manducaverit panem hunc*, vel *biberit calicem* &c. Ac deinde *ſic de pane illo edat*, & *de calice bibat*. Pauluſne, an Proteſtantes, Chriſti ſententiam melius adſequuti?

(*c*) Sunt autem. I. Periculum effuſionis vini conſecrati, quod præ hominum copia, in ſollemnioribus præſertim diebus, difficillime evitabatur: II. Abſtemii nauſeam, & vomitum experiebantur. III. Nonnullis in locis, aut penuria erat vini,

ſiam laicos uſu calicis prohibere, quemadmodum Tridentinum definivit (*a*). IV. Euchariſtia neceſſaria non eſt neceſſitate *medii* ad ſalutem. Quippe per ſolum Baptiſmum Fideles a peccatis abluuntur, Chriſtum induunt, ſanctificantur, & membra ipſius, & Eccleſiæ efficiuntur. Unde ſemper creditum eſt, infantes poſt Baptiſmum, & ſine Euchariſtia decedentes, vitam æternam obtinuiſſe. Porro ſola neceſſitate præcepti, tum divini, tum Eccleſiaſtici, Euchariſtia adultis neceſſaria eſt. Etenim teſtatiſſima ſunt, quæ Chriſtus dixit (*b*): *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Quo etiam facit Innocentius III. in Lateranenſi IV. (*c*), & Tridentinum (*d*). V. Quoniam inquit Dominus (*e*): *caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt*

---

aut præ calidiore cælo facile illud aceſcere videbatur. IV. Plerique etiam multi eidem vaſi, aut calamo, ad quem pauperiores, & infirmiores antea acceſſerant, os admovere recuſabant. V. Ducentis fere annis ante concilium Conſtantienſe, perfectum an. 1418. ſub Martino V. laici ſenſim ſua ſponte a calice plerumque abſtinuerunt. Par hinc fuit, ut conſuetudinis hujuſce Eccleſia rationem haberet. Unde a Patribus Conſtantienſibus *ſeſſ.* 13. illa tamquam *rationabiliter introducta, & diutiſſime obſervata* probata fuit, & ſub pœna excommunicationis veritum ſacerdotibus, ne cuilibet utramque ſpeciem miniſtrarent. Ceterum Clemens VI. Conſtit. *tuis devotis* an. 1344. Joanni Duci Burgundiæ, primogenito Philippi Regis Galliæ, ceteriſque Regibus ſucceſſoribus, permiſit Euchariſtiam ſumere ſub utraque ſpecie. Licet tamen ea poteſtate, (ut utamur verbis Spondani ad an. 1352. *num.* 16. apud Benedictum XIV. in *Trattato delle Feſte ſect.* I. *cap.* 27. ubi *del ſacrificio della Meſſa*, *raro ipſi, niſi die inaugurationis ſuæ, & in viatico mortis utuntur*.

(*a*) *Seſſ.* XXI. *in doctr. de comm. ſub utraque ſpecie Can.* 2.

(*b*) *Joan.* VI. 54.

(*c*) Can. *omnis utriuſque ſexus* XXI. qui refertur in Cap. XXII. Extr. *de pœnit. & remiſſ.*

(*d*) *Seſſ.* XIII. *Can.* 9. *de Euch. ſacr.*

(*e*) *Joan.* VI. 56.

eſt potus; hinc quod operatur cibus materialis in corpore, idem *ſpiritualiter* efficit Euchariſtia. Cibus autem, & potus vitam conſervant corporalem, *ſuſtentando*, *augendo*, *reparando*, *&* *delectando*, ut inquit Eugenius IV. (*a*); eoſdem proinde effectus pariet Euchariſtia (*b*).

§. IV.

(*a*) In *Decret.* ſeu *Inſtruct. Arm.*

(*b*) Inquit Dominus *Matth.* XXVI. 28. *hic eſt enim ſanguis . . . qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Anne hinc inferre licebit, Euchariſtiam per ſe remittere peccata, quo pacto adfirmavit Lutherus *Tract. de commun. populi* non eſſe ad eam admittendos, niſi qui conſcientiam habeant peccati mortalis, ut proinde ea ſit *optima diſpoſitio*, *qua peſſime es diſpoſitus*, quemadmodum in *lib. de præparat. ad Euchar.* ipſemet jactitavit? Minime quidem gentium. Verba enim Chriſti de Euchariſtia, non qua ſacramento, ſed qua ſacrificio, accipienda ſunt. Secus, cur dictum a Paulo I. *ad* Cor. XI. 28. *probet autem ſeipſum homo*, *&* *ſic de pane illo edat*, *&* *de calice bibat*. *Qui enim manducat*, *&* *bibit indigne*, *judicium ſibi manducat*, *&* *bibit*, *non dijudicans corpus Domini*? Quibus verbis immunitatem ab omni peccati labe in communicantibus requiri, Patres conſentiunt. Cur *Matth.* XXII. 13. miſſus *in tenebras exteriores*, qui ſine veſte nuptiali, h. e. gratia, ad nuptiale convivium venerat? Cur *materialis* cibus viventibus datur, hic vero *ſpiritualis* mortuis etiam dandus? Senſus itaque Chriſti fuit, Apoſtolos ex calice eum tum haurire ſanguinem, qui mox in ara Crucis in remiſſionem peccatorum erat effundendus. Remittuntur namque per ſacrificium Miſſæ peccata non *immediate*, quæ vis eſt Baptiſmi, & Pœnitentiæ, ſed *mediate*, quatenus, (ut ait Tridentinum *Seſſ.* XXII. *cap.* I. *de inſtit. Miſſ. ſacrif.*) *placatus Dominus*, *gratiam*, *&* *donum pœnitentiæ* concedit. Quum enim duo obſtent conciliationi, ira læſi, & malignitas lædentis; utrumque Mediator Chriſtus ſimul præſtat, & mitigando læſam divinam juſtitiam, & peccatori eam impetrando gratiam, qua pœniteat, & pœnitenti eidem peccata dimittantur.

§. IV. *Euchariſtiam verum eſſe novæ Legis ſacrificium contra Novatores propugnatur.*

Quemadmodum autem agnus Paſchalis ſacramentum erat, qua Chriſtum præſignabat, & ſacrificium, qua immolabatur; ita Euchariſtia tum rationem ſimul habet ſacramenti, quum ſignum ſit efficax noſtræ ſalutis, & gratiam donet ex *opere operato*, ut dictum eſt; tum ſacrificii, quatenus Deo offertur. Novatores, qui primum, nunc alterum præterea etiam immerito denegarunt. Conſtat autem Chriſtum, ſacerdotem ſe gerentem ſecundum ordinem Melchiſedech (*a*), in ultima cœna ſub ſpecie panis, & vini, ſeipſum Deo Patri obtuliſſe, ac porro præcepiſſe (*b*), ut idiſpum ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, uſque ad conſummationem ſæculi, *in omni loco* (*c*) perageretur. Qua in re duo

(*a*) Sacerdotium Aaronis in ſanguine animalium conſiſtebat. Sacerdotium vero Melchiſedechi in panis, & vini oblatione. De hoc enim ita *Geneſ.* XIV. 18. *at vero Melchiſedech, Rex Salem, proferens panem, & vinum, erat enim ſacerdos Dei altiſſimi, benedixit* &c. Porro Chriſtus *Pſal.* CIX. & *ad Hebr.* VIII. 17. dicitur *ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Hinc jure omnes Patres tenuerunt, Chriſtum, cujus typum geſſit Melchiſedechus, nonniſi in ultima cœna, ſub ſpeciebus panis, & vini, ſacrificium feciſſe. Satis unus Cyprianus *Epiſt.* LXIII. *ad Cæcilium fratrem*: *in ſacerdote Melchiſedech ſacrificii Dominici ſacramentum præfiguratum videmus*. Et paullo poſt: *qui* (Chriſtus) *ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt panem, & vinum, ſuum ſcilicet corpus, & ſanguinem.*

(*b*) *Luc.* XXII. 19. *Matth.* XXVI. 28. & I. *ad Corinth.* XI. 24.

(*c*) Malachias *Malach.* I. 10. & *ſeq.* abrogatis Judæorum ſacrificiis, novam aliam, ac mundam oblationem, h. e. Chriſti ſacrificium, ſucceſſuram eſſe vaticinans, de tempore præſenti, pro futuro, Prophetarum more loquutus fuit, *ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus,*

Digitized by Google

duo notanda; tum quod dicitur apud Lucam (*a*) *pro vobis tradetur*, *pro vobis fundetur*, non autem *vobis*, ut ſignificaretur non frangi jam panem illum, & vinum effundi Apoſtolis ad manducandum, & bibendum, ſed dari tamen, & effundi pro iis in ſacrificium; tum præterea, quod inquit Matthæus (*b*) *pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, ut ſcilicet denotaretur, non pro ſolis Apoſtolis præſentibus, ſed pro multis etiam, qui non aderant, corpus, & ſanguinem Chriſti offerri in ſacrificium *propitiatorium*, ſeu in remiſſionem peccatorum. Jam vero quod dicimus, uſu, & ſcripto Apoſtoli, ipſique Patres retinuerunt, ac tradiderunt. Diſerte Paulus (*c*): *calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* Quod autem *benedictionis* nomine ſacrificium intelligat, patet ex comparatione, quam inter Euchariſtiam, & ſacrificia Gentilium ibidem inſtituit. Addit enim (*d*): *ſed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum: non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.* Conſonat agmen Synodorum, & Patrum, qui paſſim Euchariſtiam *oblationem*, *hoſtiam*, *victimam*, *ſacrificium*: miniſtros *ſacerdotes* nominant, atque nonniſi *altaria* ad celebrationem myſteriorum requirunt (*e*). Quare merito Tridentinum (*f*), expoſita Eccleſiæ doctrina circa veritatem, & dignitatem Euchariſtici ſacrificii, iis omnibus, qui contra ſentirent, anathema inflixit (*g*).

§. V.

---

bus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.

(*a*) *Ibid. cit. loc.*
(*b*) *Ibid. cit. loc.*
(*c*) I. *ad Corinth.* X. 16.
(*d*) *Cit. loc. v.* 20.
(*e*) Bellarm. *Lib.* V. *de Euch.* ſeu *Lib.* I. *de Miſſa cap.* XV.
(*f*) *Seſſ.* XXII. *cap.* I. *& ſeqq. de inſtit. Miſſ. ſacrif.*
(*g*) *Ibid. cap.* IX. *Can.* I. *& ſeqq.*

§. V. *Quadrupliciter ſacrificium diſtinguitur; quod ſancte etiam pro defunctis offertur.*

Tria autem hoc loco obſervanda cenſemus. I. Quadruplicis ſimul generis ſacrificium eſt, *Latreuticum*, quo latriæ cultus per Chriſtum Deo exhibetur, & quod tamquam omnium creatori, ac Domino, in recognitionem ſupremi ipſius dominii, offertur (*a*); *Eucharisticum*, quo pro acceptis beneficiorum muneribus gratiarum Deo actiones habentur; *Propitiatorium*, quo remiſſionem petimus peccatorum. *Impetratorium*, quo nova gratiarum beneficia precamus (*b*). II. Quum pro iis, qui capaces ſunt fructus redemtionis, non pro aliis, fieri ſacrum liceat (*c*); hinc merito ſemper Eccleſia pro illis, qui pie in Chriſto deceſſerunt, & in Purgatorio igne detinentur, offerre ſacrificium conſuevit. Exemplum olim dederat dux Machabæorum Judas, de quo

(*a*) In hoc ſacrificii genere, victima apud Hebræos tota omnino igne cremabatur. Quare holocauſtum ſacrificiorum omnium nobiliſſimum.

(*b*) Quadruplex hæc ſacrificii diſtinctio quatuor præcipuis Dei perfectionibus reſpondet; ſupremæ *Majeſtati*, ſub cujus dominio omnia continentur, & a qua originem, & conſervationem agnoſcimus; immenſæ *Bonitati*, qua nos Deus complectitur, præſertim ob Unigeniti ſui incarnationem; infinitæ *Juſtitiæ*, quam ingrato animo lædimus; perfectæ *Beatitudini*, cujus nos eſſe participes deſideramus.

(*c*) Nullo modo pro damnatis ſacrum peragi debet, nec vero pro Cælite aliquo, niſi tamen *Euchariſticum*. Licet autem ſacrificium *propitiatorium* pro omnibus viventibus, etiam ſceleſtiſſimis, aut infidelibus, offerri, ſaltem *indirecte*, quia *directe* preces funduntur pro bono publico Eccleſiæ. Non licebit pro excommunicatis, publica ſcilicet, & ſpeciali oratione; quamvis privatim orare pro iiſdem quis poterit. Pariter pro catechumenis haud repugnabit, ſi cum voto Baptiſmi deceſſerint.

quo dicitur (a): *duodecim milia drachmas argenti miſit Hieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium ... ſancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur* (b). Tum a primi uſque ſæculis Eccleſia praxim hujuſmodi obſervavit, ut pleno calculo fidem faciunt Tertullianus (c): *oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus*; Cyprianus, qui (d), occaſione, quod Victor Fauſtinum presbyterum tutorem teſtamento ſcripſerat, ait: *quod epiſcopi anteceſſores noſtri religioſe conſiderantes, & ſalubriter providentes cenſuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam, vel curam clericum nominaret: ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebraretur*; Chryſoſtomus (e): *non fruſtra hæc ab Apoſtolis ſunt legibus conſtituta, ut in venerandis, inquam, atque horrificis myſteriis memoria eorum fiat, qui deceſſerunt*; aliique (f). Quapropter merito Tri-

---

(a) II. *Machab.* XII. 43. & 46.

(b) Solent reponere Reformatores, quod *cit.* Liber Machabæorum non ſit Canonicus. Nos *Tom.* I. *pag.* 200. monuimus, pleroſque rum Veteris, tum Novi Teſtamenti Libros, ni a principio Proto-canonicos, poſtmodum ſaltem Deutero-canonicos extitiſſe; ſeu ſacros ſemper fuiſſe, divinirus ſcilicet revelatos, expreſſe autem non ita declaratos, niſi ſequuto deinde tempore, & re maturius ventilata.

(c) *Lib. de corona militis cap.* 3.

(d) *Epiſt.* LXVI. *ad Clerum, & Plebem Furnitan.*

(e) *Homil.* III. *in cap.* I. *Epiſt. ad Philip.*

(f) Jam *Tom.* I. *pag.* 6. ex Auguſtino *exiſtentiam* Purgatorii evicimus, qui quidem in multis ſuorum operum locis ſæpe illud aut probat, aut ſupponit. Supervacaneum jam eſt ad aliorum Patrum, & Theologorum ſcripta provocare. Ipſa enim Genevenſis Eccleſia, quæ Infernum admittebat, Purgatorium negabat, atque hac etiam de cauſa a Rom. Eccleſia defecit, nunc Infernum negare (*ſupr. pag.* 53.), Purgatorium admittere viderur. Ita in *Deſcription Abregée du gouvernement de Geneve pag.* 382. *apud Mélanges de litterature*. Tom. II. (*A Amſterdam* 1773.): *ils croient donc qu'il y a des peines dans une autre vie, mais pour un temps; ainſi le Purgatoire, qui a*

 été

Tridentinum docuit (*a*), *Purgatorium eſſe*, *animaſque ibi detentas*, *fidelium ſuffragiis*, *potiſſimum vero acceptabili altaris ſacrificio*, *juvari*.

§. VI. *Bolingbrokius mendacii redarguitur*.

Quæ perſonatus Bolingbrokius (*b*) contra divinitatem ſacrificii recens effutiit, nec reticenda hic, nec ferenda. Nimirum a ſolo dominandi Eccleſiaſticorum ſtudio ortum hoc Miſſæ figmentum audaciſſimus ſcripſit. Ita ipſe (*c*): *il ne faut pas croire que les nouveaux dogmes inventés chaque jour, ne contribuaſſent beaucoup à fortifier les uſurpations des papes*. *Le* hocus pocus, *ou la tranſubſtantiation, dont le nom ſeul eſt ridicule, s' établit peu à peu, après avoir été inconnu aux premiers ſiècles du Chriſtianiſme. On peut ſe figurer quelle vénération s' attirait un prête, un moine, qui faiſait un Dieu, avec quatre paroles* &c. At liceat, quæſo, garruli hominis temeritatem paucis caſtigare, ut nec garrire modo, ſed & ipſum inſanire adpareat. I. Religio opus dextræ Dei eſt, non hominum inventum (*d*). Eccleſiæ autem ſuæ Chriſtus fidei depoſitum commiſit, ut uſque in

---

été une des principales cauſes de la ſeparation des Proteſtans d' avec l' Egliſe Romaine, *eſt aujourd' hui la ſeule peine*, *que plu- ſieurs d' entr' eux admettent après la mort : nouveau trait a a- jouter à l' hiſtoire des contradictions humaines*.

(*a*) *Seſſ.* XXV. *in Decret. de Purgat.*

(*b*) Libellus *Examen important*, (apud Volterium in *Pièces Détachées Tom.* III.), haud quidem genuinum opus Miniſtri Angliæ *Milord Bolingbroke* eſſe putatur, ſed Volterii ipſius; qui, quoniam fortaſſe pudebat horrendas illuc, nefandaſque congeſſiſſe blaſphemias, alieno potius ore virus evomuiſſe adfectavit.

(*c*) In *cit. Examen important cap.* 37. Advertendum, quod illa *hocus pocus*, ex verbis *hoc eſt corpus meum* male contracta derivent, ac in Miſſa *tranſubſtantiationem* ſignificent.

(*d*) De hoc argumento alibi in noſtris *Juris Naturalis*, & *Revelati Prælect.*

in finem ſæculorum, contra omnes profanas vocum novitates, ac nequitias Diaboli, tutum jam illud, & illibatum tueretur. Inſurgentibus porro hæreſeωn procellis, quidnam illa curavit, præſtititque? Pro credita officii poteſtate, impugnatam Magiſtri doctrinam, in Synodos coacta, nullis parcens laboribus, nulliſque deterrita periculis, explicavit, adſeruit, docuitque. Eſt id, quæſo, *nova dogmata* invenire, & poteſtatem ſibi *uſurpare*, an acceptam fidem declarare magis, ac caute cuſtodire? II. Vox *tranſubſtantiatio* nec antiqua eſt, nec Latina, ſed veritatem a Chriſto traditam, ab Apoſtolis prædicatam, ab univerſa Eccleſia quovis ſæculo ad nos uſque conſervatam, clarius docet, ac certius deſignat. Certe ſanus quiſque concedet, non res verbis, ſed rebus verba ſervire oportere (*a*)! Immo quælibet artium, ac ſcientiarum ſtudia, peculiaria ſibi paſſim fabricari vocabula, ad novas ſubinde res explicandas, mos obtinuit, obtinetque. Quonam igitur pacto *ridicula* ea vox, quæ ad novum configendum errorem, & antiquum Chriſtianum dogma cuſtodiendum, communiter adhibita eſt (*b*)? Næ *ridiculus* Bolingbrokius (*c*)! III. Mi-

---

(*a*) Ita ipſe Venuſinus in Arte:

. . . *licuit, ſemperque licebit,*
Signatum præſente nota procudere nomen.

(*b*) Græce ϐσια, Latine *ſubſtantia*, non interiorem propria naturam rei, ſed exteriores, & ſenſiles proprietates ſignificabant. Denotandæ itaque Euchariſtiæ adcommodatæ eæ voces non erant, in qua, remanentibus *accidentibus*, tota ſubſtantia panis, & vini, in Chriſti corpus, ac ſanguinem tranſmutatur. Nec Græci hinc antiquiores μετϐσιωσιν, nec Latini *tranſubſtantiationem*; ſed æquivalentia vocabula, puta, μεταβολην, *converſionem*; aut etiam *tranſmutationem*, ſive *tranſelementationem* adhibuerunt. Porro quum labentibus temporibus *tranſubſtantiatio* mutationem ſignificaret unius ſubſtantiæ in alteram, & Lutherani *impanationem*, & *conſubſtantiationem* (*pag.* 129.) confingerent; ad clariorem antiqui dogmatis dilucidationem, novam vocem, uſu jam inductam, contra novos Hæreticos, ut omnis tergiverſandi via iis præcluderetur, Tridentinum conſecravit.

(*c*) Sueta Proteſtantium cantilena a novi nominis uſurpatio-

Mirandum, qua fronte adfirmari poſſit, primis Eccleſiæ ſæculis *incognitum* fuiſſe *tranſubſtantiationis* myſterium. Jam ex iis, quæ hactenus diſputata ſunt, liquido illud conſtat. Tum nemo certe dubitabit, qui vix ad Ignatii, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Cyrilli Hieroſolymitani, Chryſoſtomi, Ambroſii, aliorumque Patrum opera acceſſerit, a quibus nunc in Euchariſtia idem Chriſti corpus eſſe, quod ex Virgine natum, & in Cruce immolatum fuit; nunc Chriſtum de pane corpus ſuum effeciſſe; nunc poſt conſecrationem nulla panis naturam ſupereſſe, tametſi aliter ſenſus innuant, diſerte prædicatur. Quum hæc tamen Bolingbrokius neget, ignarum eum dices, an audacem? IV. Poteſtatem conſecrandi, offerendique, Apoſtolis, Eccleſiæque ſuæ ipſum per ſe Chriſtum contuliſſe, ſuperius probavimus (*a*). Quænam igitur fraus hæc, aut *venerationis* prætextus, quem falſus, falſo obtrudit Bolingbrokius? Quod autem tantopere ipſemet miretur, rideatque, *quatuor* videlicet *verbis* panem in Chriſti corpus converti; exilitatem, crede, id demonſtrat ingenii Bolingbrokiani, non ſublimitatem! Tum enim ſufficiens per ſe eſt quævis ſacramentorum forma, dummodo per eam iſtorum effectus ſignificatur; tum ad digne de divina Omnipotentia ſentiendum, dignamque in nobis excitandam erga Deum fiduciam, breviores formulæ comparatæ eſſe videntur.

§. VII. *Inſigniores quædam Benedicti XIV. Conſtitutiones recenſetur.*

Ad calcem hujus Capitis varias Benedicti XIV. Conſtitutiones, quæ huc ſpectant, eo, quo emanatæ ſunt, annorum ordine, reijcimus. I. Vetantur quilibet, acce-

---

tione! Pluries de hoc argumento quædam illevimus. Videte *ſupr. pag.* 16.

(*a*) *Pag.* 132. *&* *ſeqq.*

cepta a quocumque eleemoſyna majoris pretii pro celebratione Miſſarum, curare, ut alibi, ubi minora ſunt ſtipendia, celebrentur, aut ſacerdoti alteri celebraturo eleemoſynam minoris pretii erogare, etiamſi accipiens hic ſciat, & conſentiat. Secus, laicus, ſeu ſæcularis, colligens Miſſas, excommunicationem; clericus, ſeu quicumque ſacerdos, ſuſpenſionem, a ſolo Rom. Pontifice, in mortis tantum articulo abſolvendam, ipſo facto incurret (*a*). II. Miſſam celebrantes non tenentur Euchariſtiam petentibus intra eamdem actionem miniſtrare, ſi *eo ipſo tempore facilis, & obvia ſuppetit ratio ad eamdem menſam accedendi pluribus aliis locis cuivis inſtructam* (*b*). III. Militibus Hieroſolymitanis facultas ineſt habendi in navibus altare *portatile*, in quo Miſſa dicatur, dummodo naves ſint *anchoratæ*, ſerenum jam cælum, quietum mare, & ad latera altaris presbyter adſit, vel diaconus, ad evitandam calicis effuſionem (*c*). Eadem facultate gaudent naves Pontificiæ (*d*). IV. Surripientes, adſportantes, retinentes ſacras hoſtias, non juvantur exceptionibus, h.e. non fuiſſe eas conſecratas, aut ſe non id ad malum finem feciſſe; quas quidem ad declinandam pœnam (*e*) proponere ſolebant.

Con-

(*a*) Conſtit. *quanta* an. 1741. Ibi duo adnotantur, & furtum id eſſe, cui obligatio ineſt reſtitutionis; & ex tacita eſſe offerentium Miſſas voluntate, ut in eodem loco, quo datæ illæ ſunt, aut in quo quis ſe tumulari juſſit, iiſdem ſatisfiat. Porro Alexander VII. an. 1665. hanc damnaverat Propoſitionem: *poſt decretum Urbani poteſt ſacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retento.*

(*b*) Conſtit. *certiores* an. 1742. Occaſionem dedit controverſia, orta Cremæ, de obligatione, qua celebrantes adſtringuntur miniſtrandi Euchariſtiam iis, qui præſentes ſacrificio, de eodem cupiunt participare.

(*c*) Conſtit. *exponi*, an. 1742. Qua confirmatum eſt privilegium, quod Clemens XI. Conſtit. *exponi*, an. 1706. conceſſerat.

(*d*) Conſtit. *exponi*, an. 1742.

(*e*) Statuerat Innoc. XI. Conſtit. *ad noſtri* an. 1676. ut

ra-

Conſtabit enim de conſecratione, ſi hoſtiæ de Pyxide ſurreptæ fuerint, vel in actu communionis traditæ, aut poſtmodum retentæ. Quum autem de conſecratione conſtiterit, tamquam probata habenda eſt prava intentio *abutendi ſacramento ad malum*, *vel ſacrilegum finem*, (niſi *juſta*, *aut excuſabilis ratio* contrarium ſuadeat); proindeque ſtatutis pœnis reus ſubijcietur (*a*). V. Non promoti ad presbyteratum, ſi etiamſi unam Miſſam, aut partem tantum celebrarint, modo elevationem hoſtiæ, aut calicis peregerint, vel ſine etiam prolatione formæ; aut ſi confeſſiones audierint, brachio ſæculari plectendi tradentur. Quod ſi, non peracta conſecratione, ab altari diſceſſerint, aut abſolutionem non pronuntiarint, a judice Eccleſiaſtico mitius pro arbitrio punientur (*b*). VI. In altari, in quo Pontifex celebravit, nemini ſacrificare licet, niſi ex venia ipſius Pontificis. Ita ſunt in majoribus Urbis Baſilicis altaria majora, in quibus ſoli Cardinales, ſtatutis diebus, ex conceſſione Pontificis, ſacro poſſunt operari (*c*). VII. Si parochus longe diſſitam a Parochia aliam habeat Eccleſiam; non licebit ei, ex quavis etiam conſuetudine, feſta die duas in duabus Eccleſiis Miſſas celebrare, modo alias adſit cele-

raptor hoſtiæ conſecratæ, *non obſtante minori ætate*, dummodo annum vigeſimum attigerit, etiam pro prima vice Curiæ ſæculari traderetur. Alexander VII. Conſtit. *cum alius* an. 1690. Bullam Innocentianam ad quaſcumque perſonas, etiam Eccleſiaſticas, & Regulares, cujuſcumque dignitatis, & conditionis extendit, easque pœnæ *degradationis realis*, *& traditionis brachio ſæculari* obnoxias fecit.

(*a*) Conſtit. *ab Auguſtiſſimo* an. 1744.

(*b*) Conſtit. *ſacerdos* an. 1744. Quid ſi talis reus, in primo *Interrogatorio* crimen ſuum confiteatur? Conſt. *divinarum* an. 1757. ſtatuitur; ut brachio ſæculari morte plectendus nihilominus detur.

(*c*) Conſtit. *dilectas* an. 1745. Occaſionem præbuit magnificum altare Romæ conſtructum, quod Ulyſſiponem ad Regem transferendum erat. Benedictus XIV. conſecravit, inque eo ſacrum peregit.

celebraturus ſacerdos. Licebit vero, ſi deficiente ſacerdote Parochiani Miſſa carerent, ſeu ex ſola cauſſa neceſſitatis, quæ ab epiſcopo examinanda, & a quo venia hujuſmodi danda eſt (*a*). VIII. In die commemorationis Defunctorum, tum in omnibus Hiſpaniarum Ditionibus, tum in Regno Portugalliæ, cuilibet ſacerdoti tres Miſſas celebrare permittitur (*b*). IX. Ad incendii vim compeſcendam, non licet ſacram Pyxidem e Tabernaculo extrahere, & in furentes flammas benedictionem impertiri: ſed tantum aperto Tabernaculo, & occluſa adhuc Pyxide, pie fundi poterunt preces ad divinam opem implorandam (*c*). X. Ab omnibus Orientalibus, & præſertim Armenis in Ligurno portu commorantibus, ritus, Latinæ Eccleſiæ proprius, Natalitio ſcilicet Chriſti die tres Miſſas celebrandi, adhibendus non eſt (*d*). XI. Quum ſatius ſit Pontificem celebrare Miſſam ſedendo, quam ſedentem recipere communionem, & quum non deſint exempla Romanorum Pontificum, qui Epiſcopis, & Cardinalibus paſſim hanc dederint copiam, ob pedum ſcilicet infirmitatem; Benedictus XIV. qui pedibus inceſſanter laborabat, & id licere ſibi demonſtravit, & in praxim deduxit (*e*).

GA-

(*a*) Conſtit. *declaraſti* an. 1746.

(*b*) Conſtit. *quod expenſis* an. 1748. Hujuſmodi tamen Indultum in Regno tantum Aragoniæ, (quod Valentiam, Catalauniam, & Majoricam comprehendit), obtinebat. Benedictus XIV. ad Hiſpanias omnes, & Portugalliam extendit, ſub excommunicationis pœna præcipiens, ut presbyteri una tantum eleemoſyna ejuſdem ſummæ, ut antea, eſſent contenti. Permiſit id autem in Aragonia, dummodo mos jam invaluiſſet pro tribus Miſſis eleemoſynas accipiendi.

(*c*) Conſt. *cum, ut recte* an. 1755. Jam Romæ in foro Montium ingens exarſerat ignis, qui latius ſerpebat. Qui vice Parochi fungebatur, Pyxidem e Tabernaculo eduxerat, & ab Eccleſia egreſſus populo, incendio benedixerat. Aliis factum id probantibus, aliis improbantibus, *cit.* Conſt. edidit Bened. XIV.

(*d*) Conſtit. *in ſuperiori* an. 1755.

(*e*) Epiſt. *æſtas* an. 1757. ad Ignatium Realem, Apoſtolicarum cæremoniarum Præfectum.

CAPUT V.

De Pœnitentia.

§. I. *Pœnitentiæ ſacramentum Chriſtus inſtituit, ubi Apoſtolis remittendi, & retinendi peccata poteſtatem, in* forma judicii, *delegavit.*

NON hic Pœnitentia, ſive μετανοια, prout virtus eſt, & interiorem dumtaxat animi dolorem ob ſcelerum recordationem (*a*) ſignificat, *ſtricte* accipitur. Eam hoc ſenſu adultis neceſſariam ſemper fuiſſe neceſſitate *medii* ad ſalutem docuerat jam Chriſtus (*b*), & contra Navatores adfirmavit Tridentinum (*c*). Qua tamen ſacramentum eſt, de eadem diſſerimus, ſeu quatenus virtuti Pœnitentiæ Chriſtus, certius, ac melius nobis conſulturus (*d*), externum quemdam ritum, aut effi-

(*a*) Μετανοια, Latine eſt *reſipiſcentia*. Nam μετανοειν idem eſt, ac *ſecundo cogitare*. Novatores, ut probent fidem ſine operibus juſtificare, hac nominis etymologia abutuntur, quaſi μετανοια, quam Vulgata vertit *Pœnitentiam*, mutationem tantum vitæ, non dolorem ſignificet præteritorum delictorum. Scripturis autem, & Patribus, quibus ii convincuntur, abſtinemus. Ad Latinos provocamus. Ovidius *lib.* I. *de Ponto Eleg.* I.

Pœnitet o, ſi quid miſerorum creditur ulli,
Pœnitet, & facto torqueor ipſe meo.

Auſonius *Epigr.* XII. *in Simulacrum Occaſionis, & Pœnit.*

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas:
Nempe ut pœniteat ſic Metanœa vocor.

(*b*) *Luc.* XIII. 3.

(*c*) *Seſſ.* XIV. *cap.* 4. *de Contrit.*

(*d*) I. Ob fidem, quæ virtuti ſacramenti habenda eſt, certiores reddimur de remiſſione peccatorum, juxta illud *Matth.* IX. 2. *confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. II. Nonniſi Dominicæ Paſſionis beneficio ſalus nobis comparanda eſt. Conſentaneum itaque erat, ut fons quidam perennis extaret, h. e. Pœnitentia, qua Chriſti ſanguis ad nos deflueret, & peccata poſt

efficax gratiæ ſignum præſcripſit, quo ad dignitatem ſacramenti ipſa evecta eſt, & qui omnibus peccantibus poſt Baptiſmum neceſſario omnino eſt obſervandus. Nonniſi autem in forma judicii, & vero non ad puniendum, ſed ad abſolvendum reum, ritus hujuſmodi ex præcepto divino adhibendus, & perficiendus eſt. Aperte enim Chriſtus (*a*): *accipite Spiritum-ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Quare ſatis hinc recte cognoſcitur, in uſu traditæ hujus poteſtatis rationem ſacramenti includi. Adeſt quippe *ſignum externum*, tum ſcilicet formula abſolutionis ex parte ſacerdotis, tamquam judicis. Alias, niſi externo ſigno data divinitus poteſtas exerceretur, quo pacto homines, ſibi fieri remiſſionem peccatorum intelligerent? Tum pariter ex parte pœnitentis, qui & confiteri debet peccata ſua, & ſibi ea diſplicere teſtatur. Aliter, quomodo conſtabit, qui ligandi ſint, quive ſolvendi? *Gratiæ collatio*: quum enim remiſſio promittitur peccatorum, gratiam pariter promitti neceſſe eſt. *Divina inſtitutio*: nimirum tum Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus præceptum imponitur poteſtate ſibi data utendi; quum eum ad finem mitterentur (*b*): *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; tum ipſis peccatoribus ad claves Eccleſiæ confugiendi, ſi ſolvi velint, & ſua nolint peccata retineri. Merito hinc Tridentinum (*c*): *ſi quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris*: accipite Spiritum-ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis,

---

poſt Baptiſmum patrata elueret. III. Verecunda confeſſio legitimo Chriſti miniſtro, & frenum quoddam eſt amplius non peccandi, & pacatiorem reddit animum, tamquam foras projecto veneno peccatorum. IV. In veteri Lege contritio perfecta requirebatur, ut peccata deleret. In Pœnitentia vero remiſſio obtinetur peccatorum, ſi *initialem* tantum Dei amorem contineat.

(*a*) *Joan.* XX. 23.
(*b*) *Joan.* XX. 21.
(*c*) *Seſſ.* XIV. *de Pœnit. ſacram. Can.* 3.

ritis, retenta ſunt: *non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in ſacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit, detorſerit autem contra inſtitutionem hujus ſacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium* (*a*)*; anathema ſit*.

§. II. *Falſo adſeveravit Volterius, ſacramentum Pœnitentiæ VI. ſæc. inſtitutum fuiſſe.*

Nonnisi vero Comœdorum, & Tragœdorum, quibus placuit, libertate, adfirmavit Volterius, VI. circiter ſæc. inductam uſu fuiſſe Confeſſionem *auricularem*, potentia nimirum Eccleſiaſticorum, & monachorum. Ita enim ipſe (*b*): *la Confeſſion auriculaire s'étoit introduite des le ſixieme ſiecle: les evêques exigerent d'abord que les Chanoines ſe confeſſaſſent à eux deux fois l'année, par les Canons du Concile d'Attigny en 763. & c'eſt la premiere fois, qu'elle fût commandée expreſſément; les Abbés ſoumirent leurs Moines à ce joug, & les Séculiers peu à peu le porterent; il étoit permis de ſe confeſſer à un Laïque, & même a une femme: cette permiſſion dura très long-temps*. Sed fallitur mendax Hiſtoricus, & peſſimus Theologus (*c*)? I. Conventus Attiniacenſis 44. Epiſcoporum, & Abbatum an. 765. ſub Pipino, id ſtatuit, ut, quum eorum quis decederet, monachi C. Pſalteria, presbyteri C. & Epiſcopi XXX. Miſſas cantarent (*d*). Producat, quæſo, Canones, homo, veritatis ini-

---

(*a*) *Cit.* Domini verba *quorum remiſeritis* &c. Novatores intelligunt, quod per abſolutionem declarentur dimiſſa peccata, non dimittantur. Sed ſatis eos mendacii convicimus *ſupr. pag.* 17. *& ſeqq.* ubi ſacramenta novæ Legis gratiam conferre ex *opere operato* probavimus. Videte etiam *pag.* 28. *& ſeqq.*

(*b*) *Hiſt. Générale chapitr.* XI.

(*c*) *Tom.* I. *pag.* 127. Dallæum, Confeſſionem ſæc. XIII. inſtitutam opinantem caſtigavimus. Volterius nunc ad VI. ſæc. rejecit!

(*d*) Labbeus *Collect. Concil. Tom.* VIII. *pag.* 462. (*Venet.* 1729.)

inimicus (*a*)! II. Suadebitne ſibi ſanus quilibet, facilè id tum fieri potuiſſe, ut Clerici omnes, volente Epiſcopo, monachi, jubentibus Abbatibus, eorumque exemplo reliquus Chriſtianus populus novo ſe huic jugo ſubmitterent, ſub ſpecie quidem divinæ inſtitutionis, quæ numquam tamen vera extitiſſet? In Italia nullus, nullus in Occidente, nullus in Oriente novitati interceſſit? Homines tum ſtupidos adeo confingemus, & rationis incapaces, ſæculum hoc unum *rationis*, & *lucis* refertiſſimum dicemus? III. Sed quid opus eſt in his immorari, ubi uſum arcanæ Confeſſionis aperte Patres priorum ſæculorum teſtantur! Sic Irenæus de feminis quibuſdam, a Marco hæretico circumventis (*a*): *hæ ſæpiſſime converſæ ad Eccleſiam Dei confeſſæ ſunt, & ſecundum corpus exterminatas ſe ab eo, velut cupidine, & inflammatas, valde illum ſe dilexiſſe*. Tertullianus, qui quum primum docuiſſet Deum omnibus delictis veniam *per pœnitentiam* ſpopondiſſe (*c*); pœnitentes vero, reconciliationem precantes, nonniſi *presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari* conſueviſſe (*d*); neminem *hoc opus, ut publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre* oportere, exemplo eorum, *qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua*

(*a*) Libri cujuſdam Indorum, quo controverſiæ omnes de Religione deridentur, & quem *Pachymerus* verterat, textum laudat. Librum alterum Indorum, *Hanſcrit* adpellatum, tamquam omnium antiquiſſimum jactat. Extantne ii? Milites *Cruciatarum*, capta CPoli, & direpto templo S. Sophiæ, in eo cum mulieribus, quibuſcum jacuerant, ſaltaſſe etiam & luſus miſcuiſſe, audax adfirmavit. Cl. Abbas *Velly*, rem novam miratus, ad Volterium ſcripſit, rogavitque, undenam hanc facti ſcientiam accepiſſet. Reſpondit, non ſerviendum veritati, quum ſcribentem ſervire oporteat delectandæ ſocietati.

(*b*) *Lib.* I. *contra hæreſ. cap.* XIII. *de Marci præſtigiis, & nefariis artib. num.* 5.

(*c*) *Lib. de Pœnit. cap.* 4.

(*d*) *Ibid. cap.* 9.

ſua pereunt (*a*); tum demum divinitus inſtitutam Exomologeſim hanc adgnoſcit, ubi addidit (*b*): *peccator reſtituendo ſibi inſtitutam a Domino exomolegeſin ſciens* &c. (*c*). Et Cyprianus (*d*): *denique quanto & fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt* &c. (*e*). IV. Si denique Volterius Synodorum decreta deſideret, quibus eadem praxis per priora ea tempora comprobetur, adeat Bellarminum (*f*).

§. III. *Circa materiam, & formam Pœnitentiæ aliqua proponuntur.*

Nunc de materia, & forma Pœnitentiæ. I. Ut inquit Tridentinum (*g*), *ſunt autem quaſi materia hujus ſacramenti, ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio*. Forma vero eſt hujuſmodi: *ego te abſolvo a peccatis tuis in nomine Patris* &c. (*h*). II.

(*a*) *Ibid. cap.* 10.

(*b*) *Ibid. cap.* 12.

(*c*) De notione vocis *exomologeſis* paullo inferius.

(*d*) *Lib. de Lapſis*.

(*e*) Plurima Patrum teſtimonia videri poſſunt apud Bellarminum *lib.* III. *de Pœnit. cap.* 6. *& ſeqq.* & Tournelyum *de ſacr. Pœnit. quæſt.* VI. *art.* 2.

(*f*) Bellarm. *ibid. cap.* 5.

(*g*) *Seſſ.* XIV. *cap.* 3. *in doctr. de Pœnit. ſacr.* Ita autem advertit Catechiſmus *de ſacr. Pœnit. num.* 13. *neque vero hi actus* quaſi materia *a S. Synodo adpellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant; ſed quia ejus generis materia non ſint, quæ extrinſecus adhibentur, ut aqua in Baptiſmo, & Chriſma in Confirmatione*.

(*h*) Sic vero Trident. *cit. loc. quibus quidem de Eccleſiæ S. more preces quædam laudabiliter adjunguntur; ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius ſacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ*.

II. Contritio, *animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero* (*a*). Eam ſemper ac *caritate perfectam eſſe contingat* (*b*), & votum includat Pœnitentiæ, certum eſt peccatorem juſtificare, antequam ſacramentum ſuſcipiat. Damnavit quippe hanc Propoſitionem Urbanus VIII. (*c*): *caritas perfecta, & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tum in catechumenis, quam in pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.* Quod ſi imperfecta eſt, concepta videlicet ex motivo caritatis Dei ſuper omnia, ſed tamen in gradu tenui, ac remiſſo, ſufficere eamdem ad gratiam in ſacramento Pœnitentiæ percipiendam conſtans eſt Theologorum ſententia, eo quod Tridentinum inchoatam tantum caritatem Dei ſuper omnia requirit in contritione ad Baptiſmum neceſſaria (*d*): *illumque, tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt* (*). III. Confeſſio integra

(*a*) Trident. *ibid. cap.* 4. Definitio eſt contra Novatores, qui, ut dictum *pag.* 142. jactabant, Pœnitentiam propoſitum novæ vitæ, non odium veteris continere.

(*b*) Ita Trident. *ibid. cap.* 4. *docet præterea, etſi conditionem hanc aliquando caritate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc ſacramentum actu ſuſcipiatur.* Eſtius tamen male Tridentini textum interpretari videtur, quum opinatur contritionem *caritate perfectam*, nec ſemper, nec frequenter, ſed raro, & *aliquando*, h. e. in mortis articulo, aut quum adiri non poteſt ſacerdos, ſi degatur inter infideles, *hominem Deo reconciliare*. Nimirum τo *aliquando*, non referendum ad *hominem Deo reconciliare*, ut ipſe putat, ſed *ad caritatem perfectam*, ut ſenſus ſit: *etſi contingat contritionem hanc caritate perfectam eſſe, ex motivo* ſcilicet ferventiſſimæ caritatis Dei ſuper omnia, quod *aliquando*, h. e. non frequentius evenire ſolet. Adite Juenin *Comment. de Sacr. Diſſ.* VI. *de Pœnit. quæſt.* IV. *cap.* 4. *art.* 1. §. 3.

(*c*) Conſtit. *in eminenti an.* 1641. *Propoſ.* 30. referens Conſtit. Pii V. an. 1567. confirmatam a Gregorio XIII. an. 1579. qui eumdem errorem confixerant.

(*d*) *Seſſ.* VI. *in Decret. de juſtif. cap.* 6.

(*) Eſt etiam contritio *imperfecta*, quam vulgo dicunt *attri-*

gra omnino eſſe debet, omnium ſcilicet letalium pecca- to-

---

tritionem, quæ ex timore gehennæ excitatur. Poſt Tridentinum quæſivere, acriterque etiam diſputant Theologi, ſatiſne ea ſit ad gratiam in Pœnitentiæ ſacramento obtinendam, an vero eidem amor quidam *initialis* Dei ſuper omnia præterea etiam omnino adjungendus ſit. Originem, & progreſſum controverſiæ late refert Benedictus XIV. de *Syn. Diœceſ. Lib.* VII. *cap.* 13. additque ab Alexandro VII. an. 1667. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Sedi Apoſtolicæ reſervatæ, præceptum fuiſſe, ne quis alterutram ſententiam *alicujus Theologicæ cenſuræ, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare* auderet. Si verum amamus, rationi, & Tridentino conſona videtur ſententia, quæ *initialem* Dei caritatem requirit. Ceterum, ſi in tantorum virorum corona mihi etiam ſedere liceret, crediderim utramque partem vera adfirmare, & *puri nominis* eſſe controverſiam. Non enim fieri poſſe puto, eum, qui verum dolorem peccatorum percepit, eo quod de ſpe ejectus Paradiſi in Tartara culpa ſua erat detrudendus, videatque ſerio interea ſe prorſus miſericorde Deo ſuperſtitem adhuc eſſe, & ab eodem ad juſtificationem patienter expectari, eum, inquam, tali cogitatione percuſſum, ac gratia præventum, illico etiam Deum ipſum, tamquam omnis bonitatis, miſericordiæ, & juſtitiæ fontem diligere non inceptorum. Nimirum non dicitur e tenebris quis exire, niſi & lucem paullo ſaltem intueatur; nec e morbo emergere, niſi ad ſanitatem procedat; nec dolere de periculo, in quod caſurus erat, niſi in propitiam manum, a qua ſeſe conſervatum cognoſcit, aliquo grati animi amore tangatur. Qui igitur *attritionem* ſufficientem eſſe dixerunt, ut in ſacramento Pœnitentiæ gratia habeatur, vel hoc pacto intelligendi ſunt, quod, ipſis vel invitis, *initialis* Dei amor attritioni eidem *implicite* ſaltem accederet; vel ſi ab ea illum omnino excluſerunt, excluſiſſe eos *ſcholaſtice*, & *mentaliter*, non *vere*, ac *practice* excludere potuiſſe dicendum eſt. Noſtra hæc, qualiſcumque animadverſio, ipſis Tridentini verbis inniti videtur, a quo *cit. Seſſ. VI. de juſtif. cap.* 6. conceptus a peccatore timor divinæ juſtitiæ, excitata mox ſpes veniæ, & inchoatio amoris Dei, ſimul conjunguntur, ac proponuntur: *dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque, tamquam omnis juſtitiæ fontem, diligere incipiunt.*

torum, tum quoad numerum, tum quoad ſpeciem (*a*). Immo circumſtantiæ etiam *aggravantes*, quæ nimirum intra eamdem ſpeciem malitiam augent delicti (*b*); tum & peccata ipſa dubia aperienda ſunt, ut integritati ſcilicet certius proſpiciatur. IV. Quum in Pœnitentia, ad diſcrimen Baptiſmi, culpa quidem, ſed non univerſa pœna ut plurimum condonetur, hinc ſemper Eccleſia dignam pro gravitate delicti ſatisfactionem commendavit: Quare non ſolum prioribus VI. ſæculis pro occultis peccatis, idololatriæ præſertim, mœchiæ, & homicidii (*c*), publica imponebatur ſatisfactio (*d*); ſed per XII. etiam ſæcula nemini fere abſolutio dabatur (*e*), niſi prius pœnitentiam peregiſſet (*f*). Mutata deinde diſci-

(*a*) Trident. *ibid. cap.* 5. Quædam tamen huc faciunt Propoſitiones ab Alexandro VII. an. 1665. damnatæ. I. (*num.* 11.): *peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere*. II. (*num.* 24.); *mollities, ſodomia, & beſtialitas, ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem*. III. (*num.* 25.): *qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens: commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam*.

(*b*) Trident. *cit. loc.* diverſas peccatorum ſpecies detegendas eſſe docuit, ut ſacerdotes *de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere*. Eccur non idem de circumſtantiis dicendum, quibus ea graviora redduntur?

(*c*) Pro triplici tamen horum peccatorum ſpecie, III. potiſſimum ſæculo, pœna erat per Canones ſtatuta. Cetera vero peccata arbitrio epiſcopi publice caſtigabantur.

(*d*) Juenin *Comment. de ſacr. Diſſer.* VI. *de Pœnit. queſt.* VI. *de ſatisf. cap.* VIII. *art.* I. *& ſeqq.*

(*e*) Excipe, ſi perſequutionis, mortis, aut ſchiſmatis, ob longam abſolutionis moram, periculum immineret.

(*f*) Notæ quatuor illæ pœnitentium claſſes, de quibus ſæpe in Eccleſiaſticis monumentis, *Flentium* ſcilicet, *Audientium*, *Subſtratorum*, & *Conſiſtentium*, Videte Juenin *ibid. cap.* IV. *art.* III. §. 1. *& ſeqq.*

ciplina (*a*), *licite*, ac valide ſatisfactio injungitur, poſt abſolutionem adimplenda. Materia enim, quæ ad *eſſentiam*, non quæ ad integritatem pertinet ſacramenti, formam omnino præire debet. Quocirca non abſolvendus eſt, niſi qui contritionem habet; abſolvi vero poteſt, qui adhuc ſatisfationem non adimplevit, propoſitum autem habet adimplendi: quo pacto ad abſolutionem ſufficit emendationis propoſitum, non emendatio antea vitæ requiritur (*b*). V. Forma hujuſce ſacramenti dupliciter concipi poteſt, modo *indicativo*: *ego te abſolvo* &c. quam adhibet Eccleſia Latina; & modo *deprecativo: Domine Jeſu Chriſte, fili Dei vivi, relaxa, remitte, condona peccata* &c. cujuſmodi in uſu eſt apud Græcos. Formulam *indicativam*, utpote quæ naturæ ſacramenti magis adcommodata eſt, & qua actus judiciarius exercetur, validam eſſe nullus dubitat. Mire vero diſceptant de formula *deprecativa*. Saniores Theologi, ut utramque concilient ſententiam, tenent formas ſacramentorum non fuiſſe a Chriſto *ſtricte* determinatas, perinde ac materias, ut alibi innuimus (*c*), ſed in genere tantum, puta, conſenſum in matrimonio, actum judicialem in Pœnitentia. Ex quo fit, ut non vetaretur Eccleſia conditiones quaſdam, ſive Matrimonio, ſive Pœnitentiæ, adponere, ex quarum determinatione valor etiam ſacramenti dependeret. Ita Matrimonium clandeſtinum, ante Tridentini tempora validum, poſtea

(*a*) Sive ob indulgentias, quæ ſæc. præſertim XII. paſſim concedebantur; ſive quod ſatisfactionis opera gratiora ſint Deo, quum a reconciliato ſibi homine præſtantur; ſive etiam ob Canonum relaxationem.

(*b*) Merito Alexander VIII. Decret. *Sanctiſſimus* an.1690. hanc proſcripſit Propoſ. (*num.* 17.): *per illam praxim mox abſolvendi ordo Pœnitentiæ eſt inverſus*. Et alteram (*n.* 18.): *conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem ſacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu*.

(*c*) *Supr. pag.* 35. *& ſeq.*

Digitized by Google

ſtea vero irritum eſt. Eodem pacto potuit Eccleſia Occidentalis per XII. priora ſæcula verbis uti *deprecativis* in formula abſolutionis Pœnitentiæ, & a ſæculo XIII. jam inclinante, ita *indicativam* uſurpare, ut nullum ſit ſacramentum, niſi eo modo conferatur. Qua eadem poteſtate permittit etiam Græcis, ut etiamnum *deprecativa* formula ſacramentali utantur (*a*).

§. IV. *Cyprianus illuſtratur*, *Volterius emendatur*.

At quinam vero ſunt Pœnitentiæ miniſtri? Opponunt vulgo I. celebrem Cypriani locum, quo diaconis dare videtur poteſtatem, ut pœnitentes in mortis periculo abſolvant (*b*): *quoniam tamen video facultatem veniendi ad vos nondum eſſe, & jam æſtatem cœpiſſe, quod tempus infirmitatibus aſſiduis, & gravibus infeſtatur, occurrendum puto fratribus noſtris; ut qui libellos a martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari poſſunt, ſi incommodo aliquo, & infirmi-*

(*a*) Negant multi, vel ſaltem in dubium vocant, an aliquando, ſive in Græca, ſive in Latina Eccleſia, uſus *deprecativæ* formulæ obtinuerit. Sed non opus eſt, ut in recenſendis antiquitatis monumentis hic immoremur, quæ apud Morinum, Tournelyum, Gotti, alioſque quammultos inveniuntur. Fidem facit potiſſimum Clemens VIII. in Decret. *Sanctiſſimus* an. 1595. *de Inſtruct. ſuper ritibus Græcor.* Ibi: *in caſu neceſſitatis presbyteri Græci Catholici poſſunt Latinos abſolvere, utantur forma abſolutionis in generali Concilio Florentino præſcripta, & poſtea, ſi voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujuſmodi abſolutionis dicere tantum conſueverunt.* Si igitur jubet Pontifex Græcos, Latinis abſolutionem conferentes, uti formula *indicativa*, nec idem præcipit, quum Græci Græcos abſolvunt, (quod nec in Lugdunenſi II. nec in Florentino Græcis mandatum fuit); nonne ſatis ſignificavit, ſe non habere pro invalida formam *deprecatoriam*, quam adhibent, & adhibere antea iidem Græci conſueverunt?

(*b*) Epiſt. *miror* XVIII. *ad Presbyt. & diac. de lapſis catech.*

mitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra, apud presbyterum quemcumque præſentem, vel, ſi presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque, exomologeſin facere delicti ſui poſſint; ut manus eis in pœnitentia impoſita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis deſideraverunt. Certe το *exomologeſis*, (quæ arcanam etiam, & ſacramentalem confeſſionem (*a*) ſignificat), hoc loco pro externo illo, ac poſtremo publicæ pœnitentiæ actu poſita eſt, quo inter publicam peccatorum accuſationem, & enixam veniæ efflagitationem (*b*), reconciliatio cum Eccleſia obtinebatur. Suadet id, tum quod in ea Epiſtola de *lapſis* (*c*), publice pœnitentibus, agatur, pro quorum perfecta pace Confeſſores,

(*a*) Tertulliani, & Cypriani dumtaxat loca *pag*. 144. adlata, quæ de ſecreta confeſſione accipienda omnino ſunt, ſatis id probant.

(*b*) Exomologeſis proprie *confeſſionem* ſignificat, ut teſtis eſt Tertullianus *lib. de Pœnit. cap.* IX. *is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur.* Quoniam, cum publica præſertim, externus quidam mœſtitiæ, ac luctus comitatus conjungebatur, hinc pro exteriore illo, poſtremoque pœnitentiæ actu uſurpata etiam eſt: quo pacto Tertullianus ipſe *cit. loc.* paullo poſt ſubjecit: *itaque exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſionem injungens miſericordiæ illicem.* Dupliciter interim Albaſpinæus peccare mihi videtur, quum *Obſervat. lib.* II. *Obſervat.* XVI. *το exomologeſim* nihil aliud fuiſſe adfirmet, niſi exteriorem dumtaxat ritum flendi, & ingemiſcendi. Nam & negans pro arcana etiam confeſſione adhibitam eam fuiſſe, documentum ſuſtulit Catholici dogmatis ab antiquitate petitum; & propugnans pro ultimo ſolum pœnitentiæ actu uſurpatam eſſe, non vidit ideo ita illam deinde dici conſueviſſe, eo quod exterioribus illis dolorum actibus confeſſio etiam criminum ſemper accederet.

(*c*) Ii vel thus idolis perſequutionis tempore dederant, & *thurificati*; vel auro libellos quoſdam ſibi a magiſtratibus pararant, quibus ſeſe tamquam immunes coram profitendi fidem tuerentur, & *libellatici* vocabantur.

res, in carceribus ſcilicet pro Chriſti nomine detenti, libellos ſupplices ad Cyprianum dederant; tum quod *exomologeſis*, prout *ſacramentalis* peccatorum confeſſio, præcedebat, ſaltem per ea tempora (*a*), non ſubſequebatur publicam pœnitentiam (*b*); tum quod, ut adnotavit Benedictus XIV. (*c*), poſteriores Eccleſiarum Conſtitutiones, quo tempore diaconis *exomologeſim* excipere conceſſerunt, iiſdem ſimul abſolvendi poteſtatem negant (*). Prodit II. in medium Volterius, adfirmatque

---

(*a*) *Supr. pag.* 149.

(*b*) Teſtis eſt Origenes, qui *Homil.* II. *in Pſal.* 37. *circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum; proba prius medicum, cui debeas cauſſam languoris exponere*. Tum paullo poſt: *ſi intellexerit, & prævideris talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis & ceteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis periti medici illius conſilio procurandum eſt*.

(*c*) De *Syn. Diœceſ. lib.* VII. *cap.* 16. *num.* 7.

(*) Adlatus Cypriani locus ſummorum plane virorum ingenia torquet. I. Putat Morinus (*lib.* VIII. *de Pœnit. cap.* XXIII. *num.* 3. & *ſeqq.*) *apud diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui* accipienda eſſe de abſolutione etiam a peccatis; quod ſatis id innuat & modus loquendi a Cypriano adhibitus; & periculum moriturorum pœnitentium, quos non exterius tantum cum Eccleſia, ſed interius præſertim apud Deum, per peccatorum abſolutionem, reconciliationem petere credendum eſt; & *pacis* ſignificatio, quæ apud Cyprianum communionem etiam ſignificat. Morino ſatisfecit Natalis Alexander *Hiſtor. Eccleſ. ſæc.* III. *Diſſ.* IV. *quæſt. unic.* quam videte. II. Juenin *Comment. de Sacr. Diſſ.* VI. *de Pœnit. quæſt.* VII. *cap.* III. *art.* 1. credidit potuiſſe diaconos communionem dare pœnitentibus in periculo mortis, qui tamen non accepta ex defectu ſacerdotis abſolutione, veram teſtarentur contritionem. Idem confirmat Alexander *cit. loc.* exemplo ſacerdotis, qui, ſi deſit copia confeſſarii, neceſſitate urgente ex Tridentino *Seſſ.* XIII. *cap.* VII. *de Euchar.* celebrare non prohibetur. Verum, ipſorum pace hæc mihi ſententia non ſatis probatur. Præceptum enim divinum eſt, ut ante Euchariſtiæ perceptionem, (teſte Apoſtolo I. ad *Corinth.* XI. 28.) *probet ſeipſum homo*, per con-

que non laicis ſolum, ſed feminis ipſis (*a*), & Abbatiſſis jus fuiſſe, confeſſiones ſcilicet excipiendi (*b*): *il demande où l'Hiſtorien a appris que le ſéculiers, & les femmes même avoient droit de confeſſer. Oh, mon pau-*

vre

(*a*) *Supr. pag.* 144.

(*b*) Apud *les Erreurs de Voltaire Tom.* II. in *Eclairciſſements Hiſtoriques* §. XXII. *pag.* 388. (*A Lyon* 1770.).

confeſſionem ſcilicet. Quare Tridentinum *cit. loc. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.* Porro ſacerdoti non aliam ob rationem in *cit.* exemplo ſacris operari permittitur, niſi ob grave ſcandalum, certo mox, ni ſacrificet, oriturum; quod aberat in publico pœnitente, & qui ſibi contra perfecta contritione conſulere poterat. Conſentaneum igitur erat, ut per diaconum Eccleſiæ reconciliaretur, non neceſſarium tamen, ut ſine abſolutione ſacramentali Euchariſticam ille dapem ſuſciperet. III. Placuit Albaſpinæo *Lib.*II. *Obſervat.* XXVII. pœnitentes hujuſmodi abſolutos jam *ſacramentaliter* fuiſſe a Confeſſoribus iis, qui ſupplices litteras ad Cyprianum ſcripſerant, ut propterea nulla ſacerdotis præſentia requireretur, ſed ſufficeret nihilominus diaconus, per quem externa cum Eccleſia reconciliatio perageretur. Conjicit id vero ex eo, *quod plerique omnes, qui in fodinis, aut triremibus detinerentur, ſacerdotes eſſent, aut preſbyteri.* Sed neque hæc, ingenioſiſſima ceteroqui conjectatio, recto ſtare talo videtur. Tum enim nihil ea de re mentionis eſt in litteris Cypriani, & integro lib. *de lapſis*; tum apud omnes conſtat, id tantum a Cypriano Confeſſores illos petere conſueviſſe, ut ſcilicet ob præclara ſui ipſorum merita in martyrio, & tormentis ſubeundis, diſciplinæ vigor relaxaretur, & pœnitentibus venia condonaretur; tum denique difficilius videtur ingentem lapſorum numerum a parvo ſacerdorum Confeſſorum numero facile ad carceres, annuentibus magiſtratibus, ac ſatellitibus, & excipi, & abſolvi potuiſſe. Nota ſunt ea Cypriani verba Epiſt. *quoniam* XX. ad Clerum Romanum, in qua loquitur de importunitate, qua libelli a Confeſſoribus petebantur*: ut ſine ullo diſcrimine, atque examine ſingulorum, darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem.* IV. Ita ad litem dirimendam accedo. Extra perſequutionis tempus e-

pi-

vre ignorant ! dans S. Thomas, page 255. de la troiſie-me partie, Edition de Lyon 1738.: confeſſio ex defectu ſacerdotis, laico facta, ſacramentalis eſt quodam modo. Ignorez-vous combien d' Abbeſſes confeſſerent leurs Reli-gieu-

piſcopus, cum presbyteris, diaconis, ac plebe præſente, *canonice* primum, tum *ſacramentaliter*, ſi opus eſſet, pœnitentem, emenſo publice pœnitentiæ curriculo, abſolvere, ut ita pace conſequuta ad Euchariſtiam accederet. Furente Deciana perſequutione, & Cypriano abſente, hoc officium commiſſum fuit presbyteris, quibus abſentibus, modo pœnitens in extremis laboraret, conceſſum etiam diaconis; h. e. ut reconciliationi cum Eccleſia aliquis quoque Eccleſiæ nomine intereſſet. Dixi *ſi opus eſſet*. Quandoque enim, (quod *ſupr. pag.* 149. *& ſeq.* animadverſum), accidere poterat, ut abſolutione potirentur pœnitentes, ante ipſam delictorum ſatisfactionem. Porro Cyprianus, latens in ſeceſſu, a Confeſſoribus, & pœnitentibus ipſis vehementer per Epiſtolas efflagitabatur, ut aliquid de rigore diſciplinæ remitteret. Scripſit itaque Epiſtolam *miror ſupr. cit.* ad presbyteros, & diaconos Carthaginenſes. Et quoniam miniſterium ii ſuum optime callebant, non e re eſſe ipſe putavit, proprias iis partes enucleate, & diſtincte deſignare. Credidit nimirum ſatis eſſe, ſi utriſque generalem quamdam regulam traderet, qua ea in occaſione procedendum eſſet, accommodate ſcilicet, & intra fines diſtinctæ eorum poteſtatis. Enimvero in *cit.* Epiſtol. *quoniam* Clerum Romanum eadem de novitate certiorem reddens, inquit: *nec in hoc legem dedi, aut me auctorem temere conſtitui*. Quare quum ſe abſente, coram quocumque presbytero, *ſi incommodo aliquo, & infirmitatis periculo* occupatus quis fuerit, exomologeſim libenter fieri poſſe permiſit, ita accipiendus eſt, ſive cæremonialis illa tantum eſſet, ſive huic *ſacramentalis* etiam adjungenda foret, quacumque ſcilicet tum pœnitens indigeret, & quam donare ſacerdos potuiſſet. Quum vero abſente presbytero, & ubi mortis *urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque* exomologeſin inſtitui adjecit, conceſſiſſe id fatendum eſt, intra diaconalis tamen muneris limites, ut ſcilicet per eum non ſacramentalis abſolutio, cui impar, ſed cæremonialis, cui par erat, conferretur, ſeu exterior reconciliatio cum Eccleſia fieret, quæ pignus eſſet interioris cum Chriſto; diſtributa præterea Euchariſtia, ſi quo fortaſſe caſu, puta, ob furorem perſequutionis, *ſacramentaliter* ab alio primum ſacerdote pœnitens abſolutus fuiſ-

gieuſes ? Verum qui alium (*a*) ignorantiæ notat, ignorantem ſe, & impudentem manifeſtat! Non enim de *ſacramentali*, ſed de *humili* confeſſione ibi agit Angelicus (*b*); quum, admonente Jacobo (*c*) *confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini*), ſolerent Fideles, in periculo mortis conſtituti, & deficiente copia ſacerdotis, adſtantibus laicis peccata confiteri, eaque deteſtari, non ut *ſacramentaliter* abſolverentur, ſed ut eorum apud Deum orationibus miſericorditer adjuvarentur. Quare ipſe S. Thomas ſubjecit (*d*): *& ideo oportet, quod iterum confiteatur ſacerdoti, quum copiam habere potuerit, & præcipue, quia ſacramentum Pœnitentiæ perfectum non fuit* (*e*). Porro effrons jactavit Volterius mulieres etiam, & Abbatiſſas præſertim, confeſſiones excepiſſe, nullumque interea probationis adfert teſtimonium. Quid? Nonne in

---

fuiſſet, ant ſi non ex delicti conſcientia, ſed Chriſtianæ humilitatis cauſſa, publicæ ſe quis Pœnitentiæ ſubjeciſſet; negata eadem, ſi nullam adhuc, qua opus eſſet, abſolutionem obtinuiſſet.

(*a*) Is eſt Cl. Abb. Nonnottus, qui in *cit. lib. les Erreurs*, Volterium de innumeris convicit erroribus, & reſpondentem, iterum in *Réſponſe aux Èclairciſſements* refutavit.

(*b*) Dubitant Eruditi, an *Additiones ad 3. Part.* genuinus Aquinatis fœtus ſint, utpote quæ poſt illius mortem collectæ, atque Operi adjunctæ fuerunt.

(*c*) *Jac.* V. 16. Variæ tamen hujuſce textus ſunt expoſitiones apud Theologos, quæ huc non faciunt. Nos, quod negari omnino non poteſt, *litterali* illum ſenſu accipimus.

(*d*) In *cit. Addit. ad 3. Part. quæſt.* VIII. *art.* II. *ad 3.*

(*e*) Vide Bened. XIV. *de Syn. Diœceſ. lib.* VII. *cap.* XVI. ubi (*num.* 10.) inquit, morem hunc confitendi laico *perduraſſe uſque ad ſæc.* XV. *initium*; ſubjicitque (*num. ſeq.*) *niſi excuſetur ab ignorantia, in præſenti rerum ſtatu, graviter eum peccare, qui etiam in caſu neceſſitatis peccata ſua confitetur laico: quia ſine ulla cauſa ſemetipſum infamat, & fortaſſe præbet aliis occaſionem de ſe ſuſpicandi, quod adhæreat Lutheranorum hæreſi.*

in numerato habet mendacia, ceu qui in foro olera venum offert, aut placentas (*a*)?

§. V. *Soli ſacerdotes ſunt Pœnitentiæ miniſtri. Pauca de juriſdictionis, & reſervandorum caſuum poteſtate ſubnectuntur.*

Unis igitur ſacerdotibus jus competit adminiſtrandæ Pœnitentiæ, utpote quibus poteſtas clavium tradita eſt. Apoſtolis enim, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus dictum *quæcumque ſolveritis* &c. quemadmodum Patrum traditio tenuit, & Tridentinum definivit (*b*). Jam vero ad valide abſolvendum poteſtas præterea *juriſdictionis* requiritur. Quod facile ſuadetur ex ſuperius dictis, Pœnitentiam ſcilicet inſtitutam fuiſſe in forma judicii, quod ſine juriſdictione in ſubditos exerceri non poteſt (*c*). Un-

(*a*) Lutherus verba Chriſti *quæcumque ſolveritis* &c. non ad laicos ſolum, ſed etiam ad mulieres traxit, cujus errorem Henricus VIII. Angliæ Rex in Lib. *Aſſertio ſeptem Sacrament.* (ubi *de Confeſſ.*) refutavit, & Tridentinum profcripſit *Seſſ.* XIV. *de Pœnit. Can.* 10. Sed numquam adſeruit mulieres revera aliquando a confeſſionibus fuiſſe. Errori Dogmatico Philoſophus hujus ſæculi, veritatis ſcilicet amator, hiſtoricum alterum adjecit!

(*b*) *Seſſ.* XIV. *de Pœnit. Can.* X.

(*c*) At enim I. Baptiſmus, & Ordo valide conferuntur, licet illicite, ab eo, qui juriſdictionem non habet. Sacerdos itaque, juriſdictione carens, ſi illicite, non invalide abſolvet. II. Presbyteris in eorum inauguratione fruſtra diceretur: *accipite Spiritum-ſanctum*, *quorum remiſeritis peccata* &c. Ad I. tamen dicimus, quod Baptiſmus, & Ordo non ſint ſacramenta inſtituta in *forma judicii*, quo pacto eſt Pœnitentia, cujus miniſter quum judex ſit, & per actum judicialem abſolvat, neceſſario ad munus ſuum rite, & valide obeundum, indiget juriſdictione. Ad II. vero reſpondemus, quod Apoſtoli poteſtatem Ordinis a Chriſto acceperunt, quum dictum iis fuit *Joan.* XX. 22. *accipite Spiritum-ſanctum*, *quorum remiſeritis* &c. Quæ quidem poteſtas presbyteris etiam iiſdem verbis confertur. Data autem illis ſimul fuit poteſtas juriſdictionis, iis aliis verbis

ibid.

Unde Tridentinum ipſum (*a*) : *quoniam igitur natura, & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem*. Atque hinc etiam conficitur, poſſe epiſcopos juriſdictionem hanc ſacerdotibus ſuis magis, aut minus extendere, & reſtringere, prout diſciplinæ, & ſaluti animarum conſentaneum eſſe arbitrantur: quo pacto in Republica graviores quædam cauſſæ ſupremis Curiis reſervantur, adeo ut nulli inferiorum judicum de iiſdem liceat judicare. Quam quidem *reſervandorum caſuum* facultatem univerſalis Eccleſiæ praxi corroboratam, Concilium Viennenſe ſub Clemente V. an. 1311. (*b*), & Tridentinum contra Reformatores adſeruit (*c*).

§. VI. *Conſtitutiones quædam Benedicti XIV.*

Abs re non eſt, ſi de ſelectioribus quibuſdam Benedicti XIV. Conſtitutionibus ſermo obiter interſeratur. I. Tenentur confeſſarii monere pœnitentem, quem noverint fuiſſe ab aliis confeſſariis ad turpia ſollicitatos (*d*), *de*

ibid. v. 21. *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Porro quum antiquitus presbyteri in ſui ipſorum ordinatione adſcriberentur etiam, ſeu *cardinarentur* peculiari alicui regendæ Eccleſiæ, tunc plenam remittendorum peccatorum facultatem, ſive cum poteſtate Ordinis juriſdictionis etiam poteſtatem accipiebant. Quum vero hodie ordinationes vagæ obtineant, ſine *cardinatione* alicui Eccleſiæ, (de quibus acriter in Tridentino certatum eſt); omnino ſic ordinatis presbyteris adſignandi ſunt ſubditi, in quos acceptam ſolvendi, & ligandi exerceant poteſtatem.

(*a*) *Cit. ſeſſ. cap.* VII.

(*b*) Clement. *Religioſi cap.* I. *de privileg. & exceſſ. priv.*

(*c*) *Ibid. Can.* XI.

(*d*) Sive ſollicitatio facta ſit, *in actu ſacramentalis confeſſionis vel ante, vel immediate poſt confeſſionem, vel occaſione, aut*

de obligatione denunciandi Inquiſitoribus, ſive locorum Ordinariis perſonam, quæ ſollicitationem commiſerit, etiamſi ſacerdos ſit, qui juriſdictione ad abſolutionem valide impertiendam careat, aut ſollicitatio inter confeſſarium & pœnitentem mutua fuerit, ſive ſollicitationi pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam ſollicitationem jam effluxerit, aut ſollicitatio a confeſſario, non pro ſeipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit. Abſolutionem vero non impertient, niſi pœnitentes denunciationem impoſitam adimpleverint, *vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant* (*a*). Non poteſt præterea confeſſarius, niſi *extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio ſacerdote, qui confeſſarii munus obire poſſit, confeſſionem ſacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo excipere.* Et quidem *nec etiam in vim cujuſcumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ adpellatur Cruciatæ.* Secus abſolutio nulla eſt, utpote impertita ab eo, qui facultate privatur. II. Licetne confeſſionem complicis in periculo mortis audiri, ubi tamen ſacerdos eſt, ſed non adprobatus? *Debet nihilominus ipſe ſacerdos ſimplex confeſſionem excipere, ac abſolutionem impertiri*; dummodo ſine gravi aliqua exoritura infamia, vel ſcandalo id fieret. Tenetur autem peccati ſocius confeſſarius, infamiæ hujuſmodi, aut ſcandali pericula, *quantum in ſe erit, antevertere, vel removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis ſacerdoti locus pateat illius con-*

aut prætextu confeſſionis, vel etiam extra occaſionem confeſſionis in Confeſſionali, ſive in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo cum ſimulatione audiendi ibidem confeſſionem ... ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam aut tunc, aut poſt legendam. Conſtit. *ſacramentum* an. 1741.

(*a*) *Cit.* Conſtit. *ſacramentum*. Quid tamen, ſi quis falſam faciat denunciationem! *Ibid.* ſtatuitur, abſolvi non poſſe, niſi a Rom. Pontifice, in mortis articulo.

A preter quam

confeſſionis abſque ullius infamia, vel ſcandalo audiendæ. Secus, abſolutio valida erit, ſacerdos excommunicationem, S. Sedi reſervatam, incurret (*a*). III. Cautum inſuper eſt, ut ſacerdotes tam ſæculares, quam regulares, *vel in actu ſacramentalis confeſſionis, ſive illius occaſione, aut prætextu, ad turpia ſollicitantes, vel ſacrificio Miſſæ abutentes ad ſortilegia*, (præter alias pœnas a jure inflictas), *perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad præfati ſacrificii celebrationem* (*b*). IV. Non poteſt a pœnitente nomen complicis exquiri, ſub correctionis prætextu. Qui praxim hujuſmodi licitam eſſe docebit, in excommunicationem incidet, a ſolo Rom. Pontifice in mortis articulo abſolvendam; confeſſarius vero, qui de nomine complicis interrogare præſumſerit, *ultra peccati letalis incurſum, ſuſpenſioni ab officio audiendarum confeſſionum* ſubjicitur (*c*).

§. VII. *Ex triplici jure deſcendit ſigillum confeſſionis. Volterius, Baro* de Bielfeld, *& Anglus eques Cornsburius impugnantur.*

Præterea confeſſionis ſigillum ex triplici jure dimanare exploratum eſt. *Naturali*, quia de jure naturæ eſt ſervare ſibi credita ſecreta, & alterius famam tueri. *Divino*, quia, ut inquit S. Thomas (*d*), *in ſacramentis ea, quæ exterius geruntur, ſunt ſigna rerum, quæ interius contingunt. Et ideo confeſſio, qua quis ſacerdoti ſe ſubjicit, ſignum eſt interioris ſubjectionis, qua quis Deo ſubjicitur. Deus autem peccatum illius, qui ſe ſubjicit per Pœnitentiam, tegit... & ideo de neceſſitate ſacramenti eſt, quod quis confeſſionem celet; & tamquam violator ſacramenti peccat, qui confeſſionem revelat.* Denique *humano*, quia ſecretum ſervari gravif-

(*a*) Conſtit. *Apoſtolici* an. 1745.
(*b*) Decret. *in generali* an. 1745.
(*c*) Conſtit. *ubi primum* an. 1746.
(*d*) In *Addit. ad.* 3. *Part. quæſt.* XI. *art.* I. *in corp.*

viſſime ab Innocentio III. (*a*) in Lateranenſi IV. præcipitur: *caveat autem* (ſacerdos), *ne verbo*, *vel ſigno*, *vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem*. Qui itaque ſacerdos confeſſionem revelaret, contra triplex is præceptum peccaret. Atque hic plura advertas velim. I. Sollemnia mentitur Volterius, quum Gregorium XV. revelationem confeſſionis aliquando permiſiſſe adfirmet (*b*). Certe laudatus Pontifex (*c*), non juſſerat confeſſarium ea, quæ in confeſſione relate ad abſolutionem accipiendam audierat, poſſe revelare; ſed pœnitentibus obligationem injecit denuntiandi Paſtoribus confeſſarium, ſi forte ab eo *in actu ſacramentalis confeſſionis*, *ſive antea*, *vel poſt*, *immediate*, *ſeu occaſione*, *ſeu prætextu confeſſionis*, *etiam confeſſione non ſequuta*, *in confeſſionario*, *vel loco ad confeſſiones audiendas electo*, ad turpia fuerint follicitati. Quod nec ſecum fert ſigilli in fractionem, quo ſacerdos conſtringitur (*d*), & ſacramento ipſi reverentiam ſimul conciliat. II. Male idem ratiocinatur, ab Eccleſia præcipi revelationem peccati contra caſtitatem, non vero criminis contra Principis, aut Reipublicæ ſalutem (*e*). Vel enim utriuſ-

---

(*a*) Capit. *Omnis utriuſque ſexus* XXI.

(*b*) Ita *Préces Détachées Tom.* I. verb. *Confeſſion*: *ſi on pouvait être étonné de quelche choſe*, *on le ferait d'une bulle du pape Grégoire* XV. *émanée de ſa ſainteté le* 30. *Aûot* 1622. *par la quelle il ordonne de révéler les confeſſions en certain cas*.

(*c*) Conſtit. *univerſi cit.* an. 1622. qua alia Conſtit. *cum ſicut* an. 1561. Pii IV. magis explicata eſt.

(*d*) S. Th. in *Addit. ad* 3. *Part.*: *quæſt.* XI. *art.* III. probat ſolum ſacerdotem, utpote qui miniſter Pœnitentiæ ſcit peccata ut Deus, non ut homo, teneri ſigillo confeſſionis.

(*e*) In *Commentaire ſur le livre des délits*, *&* *des peines num.* XVI. *De la Révélation par la Confeſſion* (Apud *Mélanges de littérature Tom.* II. *in fin.*): *un fait*, *qui mérite d'être obſervé*, *c'eſt que cette même cour de Rome*, *qui ne voulait pas qu'on révélât la confeſſion*, *quand il s'aggirait de la vie des ſouverains*, *obligeait les confeſſeurs a dénoncer aux inquiſiteurs ceux que leurs pénitentes accuſaient en confeſſion de les avoir ſé-*

 dui-

triuſqe generis peccata ſubjecit quis Eccleſiæ clavibus, & de omnibus tenetur ſacerdos ſigillum cuſtodire (*a*); vel publicam perniciem meditans ad Pœnitentiæ miniſtrum, ea de re conſulturus, accedit, (quod innuit Volterius), & ad meliorem illum frugem is adducere tenetur (*b*); vel denique non in ordine ad abſolutionem, ſed prava mente ad ſacerdotem veniet, quo eum in

duites, & d'avoir abuſé d'elles. Tum loquens de Paulo IV. Pio IV. Clemente VIII. Gregorio XV. paullo poſt ſubjungit: *qui ordonnent la révélation d'un péché d'impureté, & qui permettent pas celle d'un parricide. Una femme avoue, ou ſuppoſe dans le ſacrement devant un carme qu'un aſſaſſin l'a ſeduite; le carme doit dénoncer le cordelier. Un aſſaſſin fanatique croyant ſeruir Dieu en tuant ſon prince, vient conſulter un confeſſeur ſur ce cas de conſcience; le confeſſeur devient ſacrilege s'il ſauue la vie à ſon ſouveraint*. Quam fictum Regiæ poteſtatis patronum! Quantum vero illam ex animo deteſtetur, oſtendit Doctiſs. Nonnotus in *ſupr. cit. Réponce aux Eclairciſſements* §. 2. *in fin.*

(*a*) Bonum publicum præferendum privato. Eccur publica ſalus non æſtimanda eſt magis, quam ſigillum, quod privatum pœnitentis bonum ſpectat? Sed I. lex ſigilli totius Eccleſiæ utilitatem reſpicit, ſecuritatem nempe omnium Fidelium qui ſibi perſuaſum habent, peccata ſacerdotibus patefacta, nuſquam alteri aperiri poſſe. II. Ex jure naturali ſecretum ceſſabit, ſi grave inde Reip. incommodum emergat. Verum ſacramentalis ſigilli obligatio præcipue naſcitur ex jure divino, cui nullo pacto poteſt derogari. Tum enim infractio ſecreti hujuſmodi *αμεσως immediate* adverſaretur naturæ ſacramenti, qua ſacerdos, qui Chriſti auctoritate peccata dimittit, modum etiam tenere debet, quem ille tenet, cujus ipſe eſt miniſter. Chriſtus autem, ut *pag.* 160. dictum, dimittit, & dimiſſa occultat. Tum præterea finem dextrueret ſacramenti, ut Fideles nempe libenter eo accedant, abſolutionem conſequuturi. Quinam contra peccata ſua aperirent, ſi pandi etiam poſſe formidarent?

(*b*) Quid, ſi pœnitens a conſilio non movetur ſuo, & confeſſarius inſidias paratas novit Eccleſiæ, aut ſocietati? Nec perſonam, nec delictum prodere poterit: generatim quid monere non prohibetur, quo major cautio adhibeatur, & periculum præcaveatur.

in ſui conſilium trahat, abutens ſacramento, atque ea tum in occaſione nulla eſt ſigilli obligatio. III. Nugantur tum Jacobus Fredericus, Baro *de Bielfeld* (*a*), dum *auricularem* confeſſionem ad conſilia hominum cognoſcenda inventam eſſe deblaterat, nec vero, niſi arte, impoſitum ſigillum, quod tamen, ſi Eccleſiæ ſyſtemati, ac conſervationi opponitur, per Catholicos violetur (*b*); tum Anglus eques Cornsburius, qui *indecens* credit, ut mulieres viris peccata confiteantur, quique uſum ejuſmodi, ut *abominandum* in Oriente, abhorret (*c*). Sed ſpernendam rabiem hanc, & calumniam ridendam!

GA-

(*a*) Natus Hamburgi an. 1717. Principis Auguſti Ferdinandi, fratris Boruſſorum Regis Præceptor, a privatis ejuſdem Regis conſiliis, Regiæ Academiæ ſocius honorarius, dominus terræ *Treben*, & eques Ordinis S. Annæ, quo quidem honore a Moſchorum Imperatrice, cui librum *Inſtitutions Politiques* per ſe obtulit, inſignitus. Denatus demum an. 1770.

(*b*) Ita in *cit. Inſtitutions Politiques Tom.* III. *Cap.* VII. §. X. *pag.* 294. (*A Leyde* 1774.): *l' invention de la confeſſion auriculaire eſt encore un moyen fort ſûr, & fort efficace pour l' affermiſſement de l' autorité du Pape, & de ſa puiſſance. N' eſt ce pas une méthode infaillible pour découvrir tout ce qui ſe paſſe de plus caché ſur la ſurface de la terre, & pour voir d' un coup d' œil tout ce qui mérite quelche attention? L' artifice eût été trop groſſier, ſi l' on n' eût préſenté un antidote apparent à côté du poiſon réel, en défendant aux prêtres, ſous les peines les plus rigoureuſes, de révéler quoi que ce ſoit, de ce qui leur a été confié dans la confeſſion. Mais, ſuppoſé même qu' ils tinſſent parole aux particuliers, & dans des choſes qui regardent le cours ordinaire de la vie, peut-on s' imaginer qu' ils agiſſent de même à l' égard des grands, & pour des objets qui ſe trouveroient être contraires au ſyſteme, & au maintien de l' égliſe?*

(*c*) Sic nimirum in *Lettre de Mylord Cornsburi a Mylord Bolingbroke* apud *Pièces Détachées Tom.* III. *de tous les rites de la communion papiſtique la confeſſion des filles à des hommes eſt d' une indécence, & d' un danger, qui ne nous frappe pas aſſez dans des climats, où nous laiſſons tant de liberté au ſexe. Cela ſerait abominable dans tout l' Orient.*

CAPUT VI.

De Extrema Unctione.

§. I. *Extrema Unctio eſt verum novæ Legis ſacramentum, ab Apoſtolis in curandis infirmis adumbratum, a Chriſto poſt Reſurrectionem inſtitutum, a Jacobo promulgatum, & commendatum.*

UT Chriſtus Evangelio fidem conciliaret, & Eccleſiæ primordia dilataret, edendorum miraculorum poteſtatem Apoſtolis conceſſerat. Ita enim ad eos (*a*): *infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite*. Potiſſimum autem oleo infirmi curabantur, quod in gaudii, ac ſpei ſymbolum, apud Hebræos adhiberi ſolebat. Hinc illud (*b*): *& exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent; & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabant*. Porro quum Apoſtoli necdum eſſent ſacerdotes, atque ægros ungerent, nec baptizatos, nec credentes; facile eſt eruere, non ſacramentum tum eos Unctionis contuliſſe, ſed adumbraſſe dumtaxat, atque obſcure ſignificaſſe. Inſtitutum contra illud a Chriſto fuit, & probabilius poſt Reſurrectionem, quo ſane tempore ſuperius demonſtravimus inſtitutionem factam fuiſſe ſacramenti Pœnitentiæ; præſertim quum Extrema Unctio perfectio quædam illius ſit, & conſummatio. Quare in iis diebus, teſte S. Leone, etiam diximus, *magna* fuiſſe *confirmata ſacramenta, magna revelata myſteria* (*c*). Oportebat denique, ut inſtitutum ſacramentum Fidelibus aperiretur, & commendaretur. Atque hoc a Jacobo factum eſt, ubi inquit (*d*): *infirmatur quis in vobis. Inducat* pres-

(*a*) *Matth.* X. 8.
(*b*) *Marc.* VI. 12.
(*c*) *Supr. pag.* 110.
(*d*) *Epiſt. Jacobi* V. 14.

preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; &, ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Quibus in verbis vera elucet dignitas ſacramenti. Adeſt enim I. *ſignum ſenſibile* in unctione cum oleo, quod habet rationem materiæ; & oratione preſbyteri, quæ eſt loco formæ: conſtans illud præterea, ac perpetuum, tum quod ita ſemper faciendum jubetur, tum quod ſemper ab Eccleſia retentum eſt. II. *Promiſſio gratiæ*: nam dicitur *ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. III. *Inſtitutio divina*: non enim Jacobus adfirmate dixiſſet, exteriore illa unctione & alleviari infirmum, & peccata dimitti, in homine tamen apte præparato. Quæ enim, niſi divina virtus, ſigno externo gratiam conciliaret? Merito propterea Tridentinum (*a*): *ſi quis dixerit, Extremam Unctionem non eſſe vere, & proprie ſacramentum, a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a B. Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema ſit.*

§. II. *Syſtema Joannis Dallæi.*

Joannes Dallæus, quocum plus vice ſimplici ſuperius concertare licuit (*b*), veritatem ſacramenti Extremæ Unctionis hoc loco adgreditur (*c*). Nobis, qui brevitatem amamus, errorem odimus, hoſti nunc parumper ex adverſo ſtare, illiuſque impetus, quantum fas eſt, ſuſtinere adridet. Principio ita teſtimonium, de quo apud Jacobum, elevare conatur. I. Unctio apud Marcum prodigioſa corporum curatio fuit, non ſacra-

(*a*) *Seſſ.* XIV. *de Extr. Unct. Can.* I.

(*b*) *Tom.* I. *pag.* 246. & *ſeqq.* Tum *Tom.* III. *pag.* 173. & *ſeqq.*

(*c*) In *Diſput. de Extr. Unct.* Duobus eam libris complexus eſt, in quorum I. Scripturas, in II. traditionem impugnavit.

ſcramentalis (*a*). Atqui unctio Jacobæa eadem eſt, ac quæ Marci. Nam *eadem utrobique res*, *eadem rei cauſa*, *materia eadem*, *idem finis*, *idem denique effectum* (*b*). Neque hæc igitur erit *ſacramentalis*. II. Extremam Unctionem, quæ hodie obtinet apud Catholicos, diſparem eſſe ab Unctione apud Jacobum ſic adſtruit, quod illa ad animorum, hæc ad corporum curationem referatur (*c*); quod ſacramenti effectus certus debeat eſſe, ac conſtans, Jacobus vero *conditionate* tantum remiſſionem peccatorum pollicetur: *& ſi in peccatis fuerit*, *remittentur ei* (*d*); quod per Jacobum *eos*, *qui non deſperate ægrotant*, *ungi* liceat, Catholici *vero nullos ungi volunt*, *niſi in ſummis morbis*, *extremoque vitæ periculo* (*e*); & quod plures presbyteros Jacobus induci jubeat, contra vero *nullam mortis*, *nullam ſerpentis calcaneo inſidiantis*, *nullam periculorum*, *quæ homines in ſupremis verſantes urgeat*, *nullam denique præparationis ad alterius vitæ ingreſſum neceſſariæ mentionem facere*, *quæ ſine flagitio omitti tali loco non poterant*, *ſi Jacobo mens fuiſſet hoc adverſariorum myſterium ab iſta unice inſtitutum*, *ac comparatum commendare* (*f*). Arma deinde impius contra traditionem convertit. Ac I. nullam fuiſſe apud Veteres Extremam Unctionem probat ex ſilentio antiquiorum Scriptorum, in ritibus etiam Chriſtianæ Eccleſiæ enarrandis (*g*); aut in piorum morte deſcribenda, ut Conſtantini, Athanaſii, Antonii, aliorumque (*h*); præſertim quum Euchariſtiæ, ſive ab iis

(*a*) In *cit. Diſput. lib.* I. *cap.* IV. *&* V. *pag.* 15. *& ſeqq.* (*Genevæ* 1659.). Ubi confutatur opinio Joannis Maldonati, adfirmantis *Comment. in Marc.* VI. 13. Apoſtolos ea in occaſione ſacramentum Extremæ Unctionis miniſtraſſe.

(*b*) *Ibid. cap.* VI. *pag.* 23.

(*c*) *Ibid. cap.* VIII. *pag.* 37. *& ſeqq.*

(*d*) *Ibid. cap.* IX. *pag.* 46.

(*e*) *Ibid. cit. cap. pag.* 48.

(*f*) *Ibid. cit. cap. pag.* 54.

(*g*) *Ibid. lib.* II. *cap.* I. *pag.* 61. *& ſeqq.*

(*h*) *Ibid. cap.* II. *pag.* 66. *& ſeqq.*

iis ſumtæ (*a*), ſive pœnitentibus ipſis in mortis periculo aliquando conceſſæ, meminerunt (*b*). Tum II. inveſtigans, undenam ſæc. potiſſimum XII. ſacramentum Extremæ Unctionis ortum ſit, adfirmat ſæc. VII. ac ſequentibus, ad morbos depellendos, uſurpatum ſæpiſſime oleum fuiſſe; &, quoniam miræ inde curationes evenere, factum hinc eſſe, ut per ea Barbarorum ſæcula, oleo, quod ad fugandas infirmitates *extraordinariæ, & miraculoſæ ſanationis ſymbolum* erat dumtaxat, ſpiritualis vis ſacramenti tributa ſit, ſeu, ut ait, *alipticum dogma* exſurrexerit (*c*).

§. III. *Refellitur*.

Sed audax Dallæus veritatis oppugnator, non felix expugnator! Quod enim I. attinet, ultro confeſſi ſumus unctionem apud Marcum non fuiſſe quidem *ſacramentalem*, ſed ſacramentum adumbraſſe (*d*). At verum contra eſt, Marcum, non tamen Jacobum, præcipue de curatione corporum loquutos ſuiſſe. Si enim hic etiam ſanitatem corpoream unice, aut primario intendiſſet, non ægrotos certe ſolum decumbentes, ſed miſeros omnes, puta, viſu, pedibus, auditu, aliove graviore malo laborantes, ungi juſſiſſet, utpote ad quos etiam ſanandos donum miraculornm ſpectaſſet. Voluit vero Jacobus ſacramentum Extremæ Unctionis a Chriſto inſtitutum conteſtari, ejuſque virtutem, remiſſionem ſcilicet peccatorum, quæ primario, conſtanterque inde ſequitur, edocere: *& ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Quo ſatis eruitur, Jacobæam unctionem non eamdam plane eſſe, ac quæ apud Marcum occurrit. II. Porro ipſiſſima illa eſt, ac quæ hodie in Romana Eccleſia viget;

(*a*) *Ibid. cap.* III. *pag.* 72. *& ſeqq.*
(*b*) *Ibid. cap.* IV. *pag.* 79. *& ſeqq.*
(*c*) *Ibid. cap.* VI. *pag.* 84. *& ſeqq.* Tum *cap.* XI. *pag.* 110. *& ſeqq.*
(*d*) *Supr. pag.* 153. *& ſeq.*

get; quum utraque, quantum in ſe eſt, remiſſionem primario operentur delictorum. Nec verba *ſi in peccatis ſit*, incertum arguunt effectum. Oſtendunt enim, quod præter ſanitatem corporis, ſi expediat, & levamen animi ob metum imminentis mortis; confertur etiam ægroto remiſſio ſuorum peccatorum (*a*). Additur autem particula *ſi*, non ex parte ſacramenti, ſed ſuſcipientis ſacramentum, ſi nimirum ægrotans aliquo implicitus ſit peccato, quod ignoret, ſi in eo eluendæ ſuperſint reliquiæ, ſeu temporales pœnæ delictorum, Eccleſiæ clavibus ſubjectorum, vel ſi venialia ſint dimittenda. Quoniam hæc adeſſe poſſunt, vel abſſe in anima, ſcilicet innocentiſſima, & quæ perfectiſſima conflagrat caritate; idcirco non ad rem dubiam, ſed ad rei certæ conceſſionem denotandam, (quod a neceſſitate, & præparatione tantum naſcitur ſubjecti), recte dictum fuit *& ſi in peccatis ſit* &c. Jamvero dicens Jacobus *infirmatur quis in vobis*, tum docuit, nonniſi infirmis, in periculo vitæ, hoc ſacramentum medicinæ loco præſtandum eſſe, non autem ſanis, etſi diſcrimen capitis ſunt adituri; ſive probabile, ut ſi bellum geſturi ſint, ſive certum, ut ſi patibulo ſuſpendendi; tum generali voce *infirmitatis*, & eos, qui in proximo mortis periculo verſantur, & qui periculoſe decumbunt, ungendos eſſe ſignificavit. Quare ſemper Eccleſia requiſivit, ægrotum, *quum in eo adhuc integra mens, & ratio viget, fidemque, & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro oleo* eſſe liniendum (*b*). Denique per Enallagen dictum eſt inducendos eſſe *presbyteros*, h. e. unum ex presbyteris; quo pacto dicimus presbyteris confiteri peccata, h. e. uni ex presbyteris (*c*). Licet autem

(*a*) Inferius §. IV. *ſeq.* hac de re dicetur.

(*b*) Catechiſmus Rom. *Part.* II. *cap.* VI. *num.* 9.

(*c*) Videre Gonzalez *Comment.* in Cap. *quæſivit* XIV. Extr. de *verb. ſign.* Ubi (*num.* 7.) variis Scripturarum teſtimoniis, pluralem numerum pro ſingulari poſitum quandoque fuiſſe obſervavit.

tem in Eccleſia Græca ſeptem ii advocantur (*a*), & aliquando etiam in Latina plures ſunt adhibiti (*b*); unum tamen ad ſacramenti valorem ſufficere fatis eſt in compertis (*c*). Nec vero quid faceſſunt negotii, quæ adverſus traditionem objecit Dallæus. I. Falſum eſt ſilentium hoc, quod obtruditur, vetuſtiorum Scriptorum. Paſſim enim de Extrema Unctione meminerunt Origenes, Chryſoſtomus, Innocentius I. Gregorius M. aliique, quorum teſtimonia a Theologis, & præſertim a Juenino (*d*) recitantur. Quia vero in piorum morte deſcribenda, res communes, & uſu vulgatas omittere ſatius duxerunt, ita nec de Viatico, nec de oleo apud Euſebium, Nyſſenum, Ambroſium, Metaphraſtem, Sulpitium, alioſque, mentionem invenimus. Hinc ſi quid concluderes contra Extremam Unctionem; nonne pariter dicendum nec datam morientibus tum fuiſſe Euchariſtiam? Ad hæc, nihil mirum, ſi legamus conceſſam aliquando, nec tamen ſemper, pœnitentibus Euchariſtiam; & numquam Unctionem factam eſſe legamus. Quum enim conſummatio quædam pœnitentiæ, & complementum ipſius hæc ſit, illos ea maxime delibutos eſſe oportebat, qui intra pœnitentiæ curriculum vitæ curſum finiebant. II. Scriptores, & Synodi ab ſæc. inde VII. de Unctione dixerunt, non perinde ac per eam extraordinaria unice ſperanda eſſet corporum medela. Sed eam, prout ſacramentum eſt, commendarunt, atque uſurpandam voluerunt, quo nimirum pacto ab Apoſtolo Jacobo inculcata, atque uſu tradita fuerat (*e*). Nonne hinc fabulatorem eſſe Dallæum comperies?

§. IV.

(*a*) Ita apud Græca Euchologia præſcribitur.
(*b*) Videte *Sacramentarium S. Gregor.* apud Menardum.
(*c*) Alexander III. in *cit.* Cap. *quæſivit de verb. ſign.* & S. Th. *lib.* IV. *contr. Gent. cap.* 73. *de ſacr. Extr. Unct.*
(*d*) *Comment. de Sacr. Diſſ.* VII. *de Extr. Unct.*
(*e*) Juenin *Comment. de Sacr. cit. Diſſ.*

§. IV.

Reliqua, quæ ad hoc ſacramentum pertinent, expenduntur.

Cetera, quæ vulgo de hoc ſacramento diſputari ſolent, brevi calamo proſequamur. I. Materia eſt oleum, ex olivis nimirum expreſſum, ab epiſcopo (*a*), jure ſaltem Eccleſiaſtico, benedictum (*b*), cui nihil ex aromatibus admiſcendum. Adpoſite autem materia oleum eſt, quod, utpote *lenitivum* (*c*), ſacramenti virtutem in lenienda infirmi triſtitia plurimum exprimit (*d*). II. Græci ſemper uſi ſunt, atque utuntur forma mere *deprecativa* (*e*). Apud Latinos obtinuit quondam *indicativa*: *ungo te oleo ſanctificato* &c. aut *indicativa* ſimul, & *deprecativa*. A multis tamen ſæculis, & fortaſſe a ſæc. XII. *deprecativam* adhibitam exhibent antiquiora Ritualia, ut Gemeticenſe: *per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, auditum* &c. Quæ quidem verbis Jacobi *orent ſuper eum*, & *oratio fidei ſalvabit*

(*a*) Apud Græcos a presbyteris benedicitur, ut fidem facit Goarius in *Not. in Euchōlog.*

(*b*) Bellarminus, & Eſtius opinantur, epiſcopi benedictionem neceſſitate ſacramenti requiri. Sola neceſſitate præcepti neceſſariam eam eſſe adfirmant Maldonatus, & Sambovius, in quorum ſententiam deſcendere videtur Tournelyus *de ſacr. Extr. Unct. quæſt.* II. *art.* I.

(*c*) S. Th. in *Addit. ad* 3. *Part. quæſt.* XXIX. *art.* 4. *in corp.* & Catechiſmus *Part.* II. *cap.* VI. *num.* 5.

(*d*) Quid, ſi oleum benedictum frequenti uſu ſit defecturum? Non prohibetur, quin oleum non conſecratum conſecrato poſſit oleo commiſceri. Advertit hic tamen Rituale Rom. ſuperinfundendum oleum debeat eſſe *in minori quantitate*.

(*e*) Ejuſmodi eſt oratio *Pater Sancte, animarum, & corporum medice* &c. quæ Græce extat in Græcorum Euchologiis, & Latine adfertur a Juenino *Diſſert.* VII. *de Extr. Unct. quæſt.* 4.

vabit infirmum, magis convenire videtur, nec proinde mutanda, aut contemnenda eſt ex Tridentino (*a*). III. Apud Græcos frons, mentum, ambæ genæ, (unde ſignum crucis exprimitur), pectus, manus ex utraque parte, & pedes; apud Latinos oculi, aures, nares, os, manus (*b*), pedes, & renes (*c*) unguntur. Ad ſingulas unctiones forma repetitur, expreſſo nomine ſingulorum ſenſuum, h. e. *per viſum*, tum *per auditum* &c. Plures autem illæ ad integritatem ſacramenti, unica tamen unctio ad ſubſtantiam pertinere videtur; præſertim quum in mortis, aut contagii periculo, Synodi, & Ritualia, ſub unica generali formula, unicam fieri unctionem in oculis, aut alio ſenſuum organo, magis expoſito, permittant. IV. Effectus ſacramenti ita declarantur a Tridentino (*d*): *res porro, & effectus hujus ſacramenti illis verbis explicatur:* & oratio fidei . . . *res etenim hæc gratia Spiritus-ſancti, cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda* (*e*), *ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus* ſub-

(*a*) *Seſſ.* XIV. *de Extr. Unct. Can.* 3. Quare autem in Extr. Unctione forma non ſit *indicativi* modi, ſed *deprecativi*, habes ex S. Thoma in *Addit. ad* 3. *Part. quæſt.* XXIX. *art.* 8. *in corp.* ubi præter alias rationes ſic docet: *hoc ſacramentum non habet aliquem effectum, qui ſemper oratione miniſtri conſequatur, omnibus, quæ ſunt de eſſentia ſacramenti, etiam rite peractis, ſicut character in Baptiſmo, & Confirmatione, & tranſubſtantiatio in Euchariſtia, & remiſſio peccati in Pœnitentia, exiſtente contritione, quæ eſt de eſſentia ſacramenti Pœnitentiæ, non autem de eſſentia hujus ſacramenti: & ideo in hoc ſacramento non poteſt eſſe forma indicativi modi, ſicut in prædictis ſacramentis.*

(*b*) In ſacerdotibus manus exterius, non interius inunguntur.

(*c*) Unctio ad renes in feminis ſemper; in viris, ſi ob infirmitatem moveri non poſſunt, omittitur.

(*d*) *Seſſ.* XIV. *cap.* II. *de Extr. Unct.*

(*e*) Extremam Unctionem tamquam ſupplementum, & con-

ſublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis, calcaneo inſidiantis, facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.

CAPUT VII.

De Ordine.

§. I. *Apoſtoli in ultima cœna ſacerdotes inſtituti. Ordo eſt verum novæ Legis ſacramentum.*

Apoſtolos inſtitutos fuiſſe ſacerdotes in ultima cœna Tridentinum declaravit (*a*). Et quidem non per virtutem ſacramenti, externo ſymbolo adnexam, ſed per conceſſionem poteſtatis Ordinis, & liberam gratiæ donationem (*b*). Quo pacto ſcilicet Pentecoſtes die iidem Spiritum-ſanctum, ſeu Confirmationis effectum, ſine ejuſdem ſacramento, receperunt. Quemadmodum vero Confirmatio nihilominus ſacramentum eſt, ut ſuperius probavimus; ita idem nunc de Ordine dicendum. Potuit interea autem Chriſtus Apoſtolis præcipere, ut ſucceſſores tamen ſuos externo ſigno ordinarent, ſeu ut Ordinem, nonniſi per modum ſacramenti, conferrent. Et ſane, ubi de Ordinatione mentio eſt in Scripturis, tria illa recenſentur, quæ ad ſacramenti rationem communiter requiruntur. Ac I. *ſignum externum*. Nam ita Pau-

---

conſummationem Pœnitentiæ, ex ſui inſtitutione, *directe*, ac primario, remittere peccata, non venialia, ſolum, ſed etiam mortalia, ſi qua fortaſſe infirmus ignoret, vel oblitus ſit, & quorum confitendorum votum haberet, præter alios Theologos, acriter propugnat Tournelyus *in Prælect. Theolog. de Extr. Unct. quæſt. ult. art.* 1.

(*a*) *Seſſ.* XXII. *de ſacrif. Miſſ. cap.* I.

(*b*) Vaſquez in 3. *Part. S. Th. Diſp.* LXXXIII. *cap.* III. *num.* 11. inquit, *ipſa traditione Euchariſtiæ ad manducandum, tamquam materiæ traditione, & illis verbis* hoc facite, *tamquam formæ, ſacerdotes fuiſſe a Chriſto conſecratos.*

Paulus ad Timotheum (*a*): *noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterii* (*b*). Et iterum (*c*): *admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. II. *Gratiæ collatio*; quam tum probant adlata ipſa Pauli verba, tum non obſcure innuit Chriſtus, ubi dixit Apoſtolis *accipite Spiritum-ſanctum*: quo loco non ſolum poteſtas clavium, ſed gratia ad poteſtatem eamdem ſancte adminiſtrandam collata denotari videtur. III. *Inſtitutio divina*. Iis enim verbis *hoc facite in meam commemorationem* juſſi fuerunt Apoſtoli miniſtros ordinare, enimvero cum χειροτονια, h. e. *manuum impoſitione*. Alias, numquam per hujuſmodi ritum conferri ordinatis gratiam docuiſſent. Paſſim idem probant Patres, & Synodi, ut videre eſt apud Theologos. Merito igitur Tridentinum (*d*): *ſi quis dixerit, Ordinem, ſive ſacram Ordinationem, non eſſe vere, & proprie ſacramentum, a Chriſto Domino inſtitutum ... anathema ſit.*

§. II. *De materia, forma, miniſtro, ſubjecto, & effectu Ordinis, multa breviter diſcutiuntur.*

Juvat aliqua hic ſummatim animadvertere. I. Eccleſia Græca, & Latina, qualibet ætate, in ordinatione, *impoſitionem manuum*, quam memorant Scripturæ, conſtanter uſurpavit. Ab ſæc. autem circiter X. uti conjicit Morinus (*e*), apud Latinos, ad majorem acceptæ po-

(*a*) I. *Ad Timoth.* IV. 14.

(*b*) Hoc loco *presbyterium* eſt cœtus epiſcoporum. Epiſcopos enim aliquando presbyteros etiam dictos fuiſſe inferius docebimus. Luculenter Chryſoſtomus *Homil.* XIII. in *cit. loc. ad Timoth. non de presbyteris hoc in loco, ſed de epiſcopis loquitur: neque enim profecto presbyteri ipſum ordinarent.*

(*c*) II. *Ad Timoth.* I. 6.

(*d*) *Seſſ.* XXIII. *de ſacr. Ord. Can.* 3.

(*e*) *Part.* III. *de ſacr. ordin. Exer.* VII. *cap.* I. *num.* 16.

poteſtatis expreſſionem, *porrectio* præterea *inſtrumentorum* paullatim adhibita eſt. Illa igitur jure divino *eſſentialis* ordinationi, hæc autem acceſſoria, aut *integralis* jure Eccleſiaſtico dicenda eſt (*a*). Secus, alterutrum ſequeretur, vel quod Eccleſia Græca, (quæ etiamnum nullam habet inſtrumentorum porrectionem), numquam verum habuit ſacramentum Ordinis, & nec Latina quidem per priora X. ſæcula; vel quod in ſubſtantiam etiam ſacramentorum cadere poſſit poteſtas Eccleſiæ, quod ſatis Tridentinum negavit (*b*). II. Forma vero eſt oratio, quæ ab epiſcopo, manus imponente, recitatur. Diſerte illa indicatur in ordinatione Pauli, & Barnabæ (*c*): *tunc jejunantes*, *&* *orantes*, *imponenteſque eis manus*, *dimiſerunt illos*. Et in inauguratione diaconorum (*d*): *hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum*, *&* *orantes impoſuerunt eis manus*. III. Soli epiſcopi jure divino poteſtatem habent ordinandi. Unde Apoſtoli ſeptem diaconos; Paulus & Barnabas variarum Eccleſiarum presbyteros (*e*); & Paulus ipſe Timotheum ordinavit (*f*), admonetque, ut *nemini cito*, h. e. præcipitanter, nondum probatis moribus, manus imponat (*g*). Poteſt vero ſimplex ſacerdos, venia Rom. Pontificis, Tonſuram, minores Ordines, & Subdiaconatum conferre; quemadmodum ea facultate gaudent Cardinales, & Abbates mitrati. Nimirum, ut inferius dicemus, ſunt Ec-

(*a*) Ecquid vero Eugenius IV. in *Decret.* ſeu *Inſtruct. Armen.* materias enumerans ſingulorum Ordinum, inſtrumenta meminit, non impoſitionem? Nimirum Armeni jam impoſitione utebantur. Quum vero unionem cum Rom. Eccleſia ambirent, de eo tantum ritu inſtruendi erant, quem non adhibebant. Non excluſit itaque Eugenius impoſitionem, ſed ſuppoſuit.

(*b*) *Seſſ.* XXI. *de comm. ſub utraque ſpec. cap.* 2.

(*c*) *Act.* XIII. 3.

(*d*) *Act.* VI. 6.

(*e*) *Act.* XIV. 22.

(*f*) II. *ad Timoth.* I. 6.

(*g*) I. *ad Timoth.* V. 22.

Eccleſiaſticæ dumtaxat inſtitutionis. IV. Sunt incapaces ordinationis nondum baptizati, unde Innocentius III. presbyterum non baptizatum, juſſit baptizari, & iterum ordinari (*a*); amentes, & pueri ante uſum rationis, eo quod deſit in eis intentio ſuſcipiendi ſacramentum, nec ab Eccleſia ſuppleatur, quum Ordo non, quo modo Baptiſmus, requiratur ad ſalutem; inviti, & reluctantes, ob eamdem rationem (*b*); ac mulieres (*c*), quibus *in Eccleſiis tacere*, *non loqui*, præcepit Apoſtolus (*d*). V. Per Ordinem denique non ſolum gratia confertur, ut ex dictis conſtat; ſed etiam character imprimitur, ut Tridentinum definivit (*e*). Quare Eccleſia ordinationes ab Hæreticis, excommunicatis, aut degradatis factas, ſemper validas quoad ſubſtantiam, & characterem admiſit, &, ſi quando ordinatos hujuſmodi in ſui communionem recepit, numquam eas iterandas duxit. Aperte Nicænum I. Can. VIII. *de his*, *qui ſe nominant Catharos*, *id eſt mundos*, *ſi aliquando venerint ad Eccleſiam Catholicam*, *placuit S. & magno Concilio*, *ut impoſitionem manus accipientes in Clero permaneant* (*f*).

§. III.

(*a*) Cap. *veniens* III. Extr. *de presbyt. nondum baptiz.*

(*b*) Innoc. III. in Cap. *majores* III. *de Bapt.*

(*c*) In lege Naturæ non Heva, aut ejus filiæ, ſed ſoli viri, Abel, Henoch, Noe; in lege ſcripta Aaron, ejuſque filii, & qui de genere erant Levitarum, ſacerdotii munere functi ſunt. In lege autem Evangelica nec & eidem id permiſſum Deiparæ. Atque hinc magis mireris temeritatem Volterii, qui *ſupr. pag.* 153. *& ſeq.* Abbatiſſas, tamquam poteſtate ordinis, & juriſdictionis ornatas, Pœnitentiam adminiſtraſſe jactitavit.

(*d*) I. *Ad Corinth.* XIV. 34.

(*e*) *Seſſ.* XXIII. *de ſacr. Ord. Can.* 4.

(*f*) Manus hæc impoſitio, reconciliationis ſcilicet erat, qua exercitium Ordinis reſtituebatur, non autem Ordinationis, qua poteſtas primum conferebatur. Unde adpoſite dicitur *permaneant*.

§.III. *Contra Petrum Franciſcum Courayerum, ordinationes epiſcoporum Anglicanorum ex Rituali Eduardi VI. invalidas eſſe oſtenditur.*

Quæ de forma Ordinis attigimus, monent, ut obligatam alibi (*a*) fidem nunc liberemus. Videndum ſcilicet, an Anglicanæ epiſcoporum ordinationes, quæ ex Rituali Eduardi VI. peraguntur, validæ cenſendæ ſint. Et ſane, ut Proteſtantes Anglos prætereamus, nullus ex recentioribus Catholicis pro illarum validitate & fortior calamum adripuit, & diutius turbas excivit, quam Petrus Franciſcus *le Courayer*, Pariſiis Bibliothecarius, & Canonicus Regularis S. Genovefæ (*b*). Scripto enim eam in rem ſingulari libello (*c*), propugnavit validas eſſe hodiernas Anglorum ordinationes, eo quod nihil in materia, h. e. impoſitione manuum immutatum eſt, &, ſi in forma quid innovationis acciderit (*d*), inco-

---

(*a*) *Tom.* I. *pag.* 69.

(*b*) Is an. 1723. libellum edidit, cui titulus *Diſſertation ſur la validité des Ordinations des Anglois, & ſur la ſucceſſion des Evêques de l' Egliſe Anglicane*. Multus inde rumor in Gallia exarſit. Michael *le Quien*, e familia S. Dominici, Bononienſis, (qui, Pariſiis degebat, tum ibique an. 1733. deceſſit), ſtatim contra ſcripſit. Plerique epiſcopi in *Paſtoralibus* litteris nonnullas notarunt Propoſitiones, & præſertim Cardinalis *de Noailles*, Archiepiſcopus Pariſienſis, tum die 18. Aug. an. 1727. contrarium edidit *Mandement*, & die 30. Octob. eod. an. *Inſtruction Paſtorale*; tum, (quoniam dimiſſo habitu Courayerus ad Anglos conceſſerat, a quibus jam ante in Academia Oxonienſi die 28. Aug. an. 1727. Doctor in Sacr. Theolog. renunciatus fuerat), die 15. Febr. an. 1728. denuo *Lettre Paſtorale* emiſit. Videte *Relation Hiſtorique, & Apologetique des ſentimens, & de la Conduite du P. le Courayer* (*Tom.* I. & II. *A Amſterdam* 1729.).

(*c*) *Cit. Diſſertation ſur la validité des Ordinations des Anglois* &c. (*A Bruxelles* 1723.). De ea *Tom.* I. *pag.* 69.

(*d*) Amore in Annam *de Boulen* quum Henricus VIII. An-

incolumis ſemper eſt, nihilque corrupta ſubſtantia ipſa orationum. Sed quantum homo ingenio ſiſus, veritati autem inviſus fuerit, hæc ſatis oſtendunt. I. Apta forma ſacramenti ea eſt, quæ, licet diverſis verbis, finem tamen, & effectum illius deſignat. Atqui forma, ſeu oratio, quæ recitatur ex Rituali Eduardi VI. *directe* pugnat cum fine, & effectu ſacramenti Ordinis. Continet enim manifeſtas hæreſes, puta, Regem eſſe ſupremum Anglicanæ Eccleſiæ Caput, ſolam Scripturam, excluſa traditione, eſſe regulam credendorum, privatum quemlibet eſſe legitimum illius judicem, Romanum Pontificem non Primatum Eccleſiæ habere, ſed tyrannidem exercere, unde in Litaniis dicitur: *a tyrannide Romanorum Pontificum, libera nos Domine.* Tum Spiritusſancti gratia imploratur, ut conſecrandus in hiſce erro-ri-

Angliæ Rex deperiret, libere eam in uxorem ducere volebat. Sed diſſolutionem conjugii, quod cum Catharina Aragonenſi, vidua fratris Arthus, XXV. abhinc annis contraxerat, & a qua liberos ſuſceperat, numquam a S. Sede potuit obtinere. Hinc an. 1534. a Romana communione deſciſcens, ſeipſum Anglicanæ Eccleſiæ ſupremum Caput declaravit, non in temporalibus tantum, ſed etiam in ſpiritualibus, quam ei præeminentiam Senatus, ſeu *Parlamentum*, eodem an. lata lege adſeruit. Ceterum nihil de Rom. Rituali mutatum: ſed ordinationes adhuc ad illius normam peractæ. Decedente Henrico an. 1546. ſub Eduardo, ejus filio ex Joanna *Seimour*, Rituale, (quod dicitur *Rituale Eduardi* VI.), editum eſt, a Pſeudo-Synodo Londinenſi adprobatum, quo forma ordinationis in eſſentialibus adulterata. An. 1552. defuncto Eduardo, Maria, Henrici, & Catharinæ filia, Regnum jure ſanguinis adepta eſt. Per Cardinalem Polum Anglia cum S. Sede reconciliata, decreto *Parlamenti* an. 1553. reſciſſa, quæ ab Eduardo ſtatuta, ac prior ordinationis, & liturgiæ ordo reſtitutus eſt. Mariæ, quinquennio poſt ſine liberis obeunti, ſucceſſit Eliſabeth, Henrici, & Bolenæ nata, decreto *Parlamenti* an. 1559. iterum abolita, quæ Maria ſanxerat, Rituale Eduardi VI. revocatum, & deinde an. 1566. & an. 1597. confirmatum. Hodie idem obtinet Rituale, ſed alicubi ſub Carolo II. an. 1662. reformatum, cui ſcilicet nihil detractum, ſed aliqua cæremonialia ad-jun-

ribus perſiſtat (*a*). Quis igitur validam credet ejuſmodi ordinationem? II. Vulgare axioma eſt: *nemo dat, quod non habet*. Sed Eduardus Rex, ejuſque in Anglia ſucceſ-

---

juncta, puta, quod rogatur præterea conſecrandus: *num fidelis eris in ordinandis, & mittendis aliis, iiſque manus imponendo*; quod formula *accipe Spiritum-ſanctum* paullo amplior ſit &c. Additiones has adfert ipſe Courayerus *cit. Diſſert. Part.* II. in *Preuves Juſtificatives Art.* IV. §. 2. *pag.* 44. *& ſeq.*

(*a*) Ita res eſt ex Rituali, ut enarrat ipſe Courayerus *cit. Diſſert. Part.* II. ubi in *Preuves Juſtificatives Art.* 3. adducit *Modum conſecrandi Archiepiſcopum, vel epiſcopum*: Et primo ſic habet *pag.* 36. *tunc Archiepiſcopus Mandatum Regium de illius* (electi epiſcopi) *conſecratione produci, & publice recitari curabit. Deinde juramentum de ſuprema Regis poteſtate agnoſcenda electis miniſtrabitur, ſicut in ordinatione diaconorum*. Tum poſt Litanias, aliaſque paucas orationes ſic *pag.* 38. *& pag. ſeq.* Archiep. *Anne tibi perſuaſum habes, te ad hanc adminiſtrationem vere vocatum eſſe, juxta voluntatem Domini noſtri J. C. & Conſtitutionem hujus Regni?* Reſp. *Ita mihi perſuaſum habeo*. Archiepiſc. *Numquid tibi perſuaſum habes Sacr. Scripturas ſufficienter continere omnem doctrinam, quæ neceſſario ad ſalutem requiritur? itemque ſtatuis per eaſdem Sacr. Scripturas populum fidei tuæ commiſſum inſtruere, nihil præterea docendo, vel adſtruendo tamquam ad ſalutem neceſſarium, quod per eaſdem credas confirmari, vel demonſtrari non poſſe?* Reſp. *Ita mihi perſuaſum habeo, atque ita mecum ſtatui facere per Dei gratiam*. Archiep. *Ergone in eiſdem S. Litteris ſtudioſe teipſum exercebis, Deum invocando, ut aperiat tibi verum, ac genuinum earum intellectum, quo poteris alios per eaſdem ſana doctrina erudire, atque exhortari, necnon convincere, ac refellere veritati contradicentes?* Reſp. *Sic faciam ope divina*. Archiep. *Numquid paratus es fidelem, ac diligentem operam impendere ad exterminandam, & extirpandam quamcumque peregrinam, erroneam, verboque divino contrariam doctrinam; alioſque tam privatim, quam publice ad idem faciendum provocabis, atque excitabis?* Reſp. *Etiam ad hoc præſtandum paratus ſum, divino confiſus auxilio*. Deinde poſt breves alias interrogationes ita *pag.* 40. Archiep. *Deus omnipotens, Pater noſter cæleſtis, qui hanc tibi voluntatem conceſſit, concedat inſuper vires, ac facultatem ad hæc omnia efficaciter præſtanda: ut opus illud ſuum, quod incœpit, in te abſolvat, teque integrum, & inculpabilem inveniat in illo ſu-*

ceſſores, nullam habent in Eccleſia ſpiritualem poteſtatem. Diſtinxit quippe Chriſtus Civile imperium ab Eccleſiaſtico, ut alibi diximus (*a*). Immo poteſtatem ipſam *juriſdictionis*, nedum Ordinis, quoad *originem ſaltem*, ſeu *inſtitutionem*, ab ipſo Chriſto *immediate* in epiſcopos in eorum ordinatione dimanare, præterea etiam propugnavimus (*b*). Quomodo igitur regio Eduardi nomine & Rituale novum condi, & ſpiritualis poteſtas regendi Eccleſiam novis epiſcopis potuit demandari? III. Accedit judicium omnium Catholicorum Anglorum, qui haſce ordinationes nullius plane roboris reputarunt; quod negare non potuit ipſe Courayerus (*c*); & aperte confeſſus eſt Hardingus Anglus (*d*), poſtquam communionem Romanam amplexus fuit (*e*). IV. Poſtremo clavum figit uſus Rom. Eccleſiæ, quæ, ſi quando Anglicani epiſcopi, vel presbyteri, ad illius ſignum, & fidei unitatem deveniunt, iterum illos jubet juxta formam Ritualis Rom. ordinari. Ecquis Catholicus, Sedem, magiſtram veritatis, aut erroris, aut temeritatis inſimulabit?

§. IV. *Fundamenta ſententiæ Courayeri.*

INCLAMITAT tamen Gallus homo, & Anglorum partibus ſtudioſus favet. I. Forma Ordinis vario tempore, ac loco, varia extitit. Sufficiens igitur erit, ſi generatim invocet Spiritum-ſanctum, cuju modi ex novo Rituali Eduardi ea uſurpatur (*f*). II. Privatus error

ſupremo die, *per J. C. Dominum noſtrum. Amen.* &c. Nonne oratio iſthæc ad interrogata, & reſponſa antecedentia refertur, & Deum invocat in partem impietatis?

(*a*) *Tom.* I. *pag.* 25.

(*b*) *Tom.* I. *pag.* 106. *& ſeqq.*

(*c*) *Cit. Diſſert. Part.* II. *cap.* XIII. *pag.* 47. *& ſeq.*

(*d*) *Ibid. cit. cap. pag.* 61. & *ſeq.*

(*e*) Suum de validitate Anglicanarum ordinationum ſyſtema Courayerus nonnullis probare nititur rationibus, de quibus mox.

(*f*) *Cit. Diſſ. Part.* I. *cap.* VI. *pag.* 111. *& ſeqq.*

ror non officit virtuti ſacramenti. Quid igitur repugnabit, rite ab iis, qui impietati adhærebant, Ordinem miniſtrari (*a*)? III. Cuique Nationali Eccleſiæ jus eſt, res circa diſciplinam adminiſtrandorum ſacramentorum diſponere, & mutare. Alias, in tanta Eccleſiarum diverſitate, nulla umquam fuiſſet diſciplinæ varietas. Nonniſi proinde eo jure in reformatione Ritualis Anglicana Eccleſia uſa eſt (*b*). IV. Non mera laicorum, ſed vera Eccleſiaſticorum Præſulum auctoritate Rituale Eduardi Regis conditum eſt. Quidni igitur valebit (*c*)? V. Quoniam certum eſt, nihil, quoad *eſſentiam*, formæ deeſſe; non probabile ſolum, ſed certum etiam erit, validam eam eſſe, vel contradicentibus ipſis Anglicanis Catholicis, ut ita Reginæ Mariæ obſecundarent (*d*). VI. Iis, qui ex novo Rituali ordinati fuerant, ſi idonei reperirentur, juſſit Maria *ſuppleri*, quod deerat (*e*); & Julium III. in Brevibus litteris ad Cardin. Polum, legatum a latere, eidem præcepiſſe conſtat, ut quotquot non rite ordinati eſſent, ſi ad unitatem redire vellent, *rehabilitaret* (*f*). Porro *το ſupplere*, & *το rehabilitare*, aliquid defuiſſe innuunt, quod tamen non erat *eſſentiale*. VII. Pius Papa IV. datis ad Eliſabetham Reginam Brevibus litteris, fidem etiam dedit, ſe omnia, quæ in Anglia facta fuerant, ac *Liturgiam Anglicanam ſua auctoritate confirmaturum*, modo ea cum Rom. Sede reconciliaretur (*g*). VIII. Quod ſi qui ad Rom. communionem revertentes, iterum *reordinari* ſolent, id ſine certa regula fit, & habito rei examine. Verum autem ſemper eſt, nullum ſcilicet *eſſentialem* defectum ordina-

(*a*) *Ibid. cap.* IX. *pag.* 182. *& ſeqq.*
(*b*) *Ibid. cap.* X. *pag.* 201. *& ſeqq.*
(*c*) *Ibid. cap.* XI. *pag.* 252. *& ſeqq.*
(*d*) *Ibid. Part.* II. *cap.* XII. *pag.* 1. *& ſeq.*
(*e*) *Art.* XV. *Inſtructionum*, quas ſtatim ad Thronum evecta, epiſcopis obſervandas mandarat, in ſuarum Diœceſeon viſitatione. *Ibid. cap.* XIII. *pag.* 32.
(*f*) *Ibid. cap.* XIII. *pag.* 54.
(*g*) *Ibid. cap.* XIII. *pag.* 57.

dinationibus iis defuiſſe (*a*). IX. Ex quibus omnibus liquet, veram epiſcoporum ſucceſſionem numquam in Anglia poſt natum ſchiſma defeciſſe (*b*).

§. V. *Evertuntur*.

At facile eſt ad ſingula reſpondere. I. Non de varietate, ſed de impietate formæ hic diſputamus. Nonne hæretica eſt oratio, quæ a Deo *vires*, *ac facultatem* poſtulat ad hæreſes retinendas, ac docendas? Aut Ordo, qui ad veram Chriſti Eccleſiam propagandam divinitus inſtitutus eſt, teſtandæ, ſovendæque impietati rite deſerviet? II. Præter *perſonalem* impietatem Cranmeri, (qui, Archiepiſcopus Cantuarienſis ab Henrico VIII. renuntiatus, an. 1532. ſolutum pronuntiavit Regis matrimonium cum Catharina, eumque cum Bolena ſollemniter copulavit, & caput inde extitit ſchiſmatis Anglicani, virgine ſibi præterea deſponſata, quique demum an. 1556. ſub Maria, hæreſeos, ac criminum reus, igni traditus eſt), Barlowii, aliorumque; hæretica ii etiam mente hæreticum Rituale compoſuerunt, & ex eo ordinarunt. Quod non eſt cum privato ſolum errore, ſed cum illegitima etiam *eſſentialiter* forma, & in nomine ſchiſmatici cujuſdam cœtus, manus imponere. Quomodo itaque conſtare poterit vis ſacramenti? III. In rebus levioribus, circa ſacramentorum adminiſtrationem, aliquid particularibus Eccleſiis permittitur. In iis, quæ generalem Eccleſiæ diſciplinam, ubique gentium receptam, ſpectant, impune id non licet. Secus, particulares Eccleſiæ, inſcia, & invita Rom. Sede, conſecrare in fermentato, majoribus Clericis nuptias permittere, ſive etiam uſum calicis laicis reſtituere, minime vetarentur. Finge denique, quod forma ſacramentorum, quoad ſenſum, & ſubſtantiam, adulteretur! Licebitne id umquam? Hoc contra Anglicana

(*a*) *Ibid. cap.* XIV. *pag.* 71. *& ſeqq.*
(*b*) *Ibid. cap.* XVI. *pag.* 121. *& ſeqq.*

cana ſibi Eccleſia adrogavit. IV. Courayerus Courayerum mendacem notat. Ipſe enim *Statuta* refert Senatus Anglicani, quibus ſatis docemur, laicorum prorſus auctoritate, conſilio autem, & adprobatione epiſcoporum, Rituale Eduardi efformatum fuiſſe (*a*). V. Non probabile, ſed certum eſſe demonſtravimus, novam Ritualis formam fini, & effectui Ordinis *directe* refragari. Quare certum quoque erit, eo modo inſtitutas ordinationes non conſtare. Jamverò non ſub Maria ſolum, ſed Eduardo ipſo regnante, àtque Eliſabetha, Rituali huic Catholici ſemper interceſſerunt. VI. Voces *ſupplere*, & *rehabilitare*, generatim accipiendæ ſunt, ſive de iis, qui Henrici tempore ex Pontificali Romano, ſive de illis, qui ſub Eduardo ex reformato Rituali ordines ſuſcepiſſent. Utriſque, intra ſuos quoſque fines, erat occurrendum, ut ſive qui invalide ordinati, iterum, ſi idonei eſſent, *reordinati*; ſive qui valide, ejurata tamen hæreſi, & unitatem amplectentes, per *ſupplendi*, & *rehabilitationis* modum, Eccleſiaſtica ii munia rite deinceps fungerentur (*b*). VII. Litteras Pii IV. commentitias fuiſſe

---

(*a*) Ita apud *cit. Diſſert. Part.* II. *in Preuves Juſtificatives Art.* 2. *pag.* 3. *& ſeq.* refertur *Statutum Parlamenti* circa an. 1535. (quod Anglice incipit *Albeit the Kings Majeſty*), quo Henricum, ut Caput Anglicanæ Eccleſiæ, quoslibet errores, hæreſes, & abuſus, *any manner ſpiritual authority or juriſdiction ought*, (con autorità, o ſpirituale giuriſdizione), corrigere poſſe, & reformare declaratur. Et *pag.* 14. quum præcipiatur in *Statuto* an. 1552. ut *Liber Ordinationum Libro communium precum* uniretur, dicitur *the Kings moſt excellent Majeſty with the aſſent of the Lords and Commons in this preſent Parliament aſſembled and by the authority of the ſame* &c. (il Re col conſenſo de' Signori, e de' Communi aſſembrati in Parlamento, e coll'autorità del medeſimo &c.). Ac demum *pag.* 22. in *Statuto* an. 1559. quo pronuntiantur validæ ordinationes ex Rituali Eduardi, dicitur *be by authority of this preſent Parliament*, (coll'autorità di queſto preſente Parlamento).

(*b*) Sic Maria in *cit. Art.* XV. *quantum ad eos ſpectat, qui ad ordines promoti ſunt juxta novum Rituale, quum illi ve-*

fuiſſe plura oſtendunt, quod ſcilicet rumore tantum quodam innitantur (a); quod XL. poſt annis proditæ fuerint; & quod alienum a fide ſit, ignoraſſe Pontificem, in Liturgia Anglicana, quam probare promitteret, præter alia, dogma de ſacrificio Miſſæ impugnari. Porro veræ ſint! Credendum eſt, eum non *ſtricte* quoad omnia, ſed paucis immutatis, Liturgiam probaturum. VIII. Uſum Romanæ Sedis, quo quicumque ex *cit.* Rituali ordinatus, & ad Catholicam communionem revertens, iterum ordinatur, tamquam imperitum, & qui nullo rei examine obtinuit, Courayerus redarguit. Sed ridenda calumnia hæc eſt, non pluribus rejicienda! IX. Atque hæc quum ita ſint, non perdurare adhuc, ſed jamdiu veram epiſcoporum in Anglia ſucceſſionem defeciſſe tenendum eſt.

§. VI. *De ſingulis Ordinis ſpeciebus. Epiſcopatus eſt ſacramentum a Presbyteratu diſtinctum, eique divinitus præſtat.*

Hactenus dicta Ordinem generatim ſpectant. Plures autem ejuſdem ſpecies, ſeu plures miniſtrorum ordines, enumerantur, h. e. ſeptem apud Latinos, quorum tres *majores*, presbyteratus, diaconatus, ſubdiaconatus; & *minores* quatuor, acolythatus, exorciſtatus, lectoratus, oſtiariatus; quatuor autem apud Græcos, pres-

re ordinati non fuerint, epiſcopus, ſi eos aliunde dignos judicaverit &c. Et ita Julius Pontifex in *cit.* Brevi: *circa ordines, quos numquam, aut male ſuſceperunt, & munus conſecrationis, quod iis, ab aliis epiſcopis, vel Archiepiſcopis etiam hæreticis, & ſchiſmaticis, aut alias minus rite, &, non ſervata forma Eccleſiæ conſueta, impenſum fuit* &c. Illa igitur *non vere*, iſte *male*, & *minus rite* declarat fuiſſe Anglos ordinatos.

(a) Ipſe Courayerus *ſupr. cit. Diſſ. Part.* II. *cap.* XIII. *pag.* 57. verba Scriptoris *Camden* refert: *fama obtinet, Pontificem fidem dediſſe* &c. Nec vero *cit.* Breve refertur ab Anglo Scriptore, Gilberto Burnet, in *Hiſtoria Reformationis Eccleſ. Anglic.*

presbyteratus, diaconatus, ſubdiaconatus, & lectoratus; de quibus ſigillatim. Quoniam autem Epiſcopatus plenitudo eſt ſacerdotii, & in presbyteratu, *generice* ſumto, continetur; hinc iis, quæ alibi de divina epiſcoporum inſtitutione (*a*), eorum electione, & muniis (*b*) tradidimus, duo etiam hic ſubjicienda. I. Quum certum ſit ex illis, quæ ſuperius (*c*) de Ordine generatim diximus, Epiſcopatum eſſe ſacramentum; putarunt tamen Veteres, meram illum tantum eſſe ſacerdotii extenſionem, ob novi officii, & amplioris poteſtatis adquiſitionem. Satius contra docent Recentiores, ſacramentum eſſe, natura, & charactere a presbyteratu omnino diſtinctum. Quum enim Epiſcopatus ſit jure divino ſuperior presbyteratu (*d*), ut mox dicemus, & poteſtas proinde epiſcoporum vere, & ſpecialiter a ſimplici poteſtate ſacerdotum diſtinguatur; quis non videt ordinem, & characterem Epiſcopalem vere etiam, & ſpecialiter ſecerni ab ordine, & charactere ſacerdotali? Et ſane character diaconalis per ſe diſtat a ſacerdotali, quum tamen diaconatus nonniſi ad presbyteratum, ſeu conſecrandi poteſtatem, referatur. Ecquid non idem de charactere Epiſcopali dicendum, utpote magis diverſo a ſacerdotali; quum poteſtas ordinandi, & poteſtas conſecrandi inter ſe longius diſtent (*e*)? II. Duplex in epiſco-

---

(*a*) *Tom.* I. *pag.* 103.

(*b*) *Tom.* II. *pag.* 270. *& ſeqq.*

(*c*) *Pag.* 172.

(*d*) Hoc ſenſu potius dicendum, presbyteratum eſſe extenſionem Epiſcopatus, quam Epiſcopatum extenſionem eſſe presbyteratus. Non enim ſuperius ab inferiore, ſed inferius a ſuperiore profluere dicitur.

(*e*) Hinc poteſt quis valide in presbyterum ordinari, licet antea diaconatum non ſuſceperit. Non poteſt autem in epiſcopum conſecrari, niſi prius presbyter ordinatus ſit. Poteſtas enim conficiendi Euchariſtiam, ad quam character diaconalis dirigitur, continet in virtute diaconatum. Poteſtas autem Epiſcopalis, utpote *realiter* diſtincta a ſacerdotali, ſupponit characte-

piſcopis eſt poteſtas, ordinis, qua ordinare, ſacramenta conficere, ac diſpenſare poſſunt; & juriſdictionis, ſive internæ, dimittendi ſcilicet peccata, ſive externæ, legibus nempe ſubditos in officio continendi. In utraque præſtare eos presbyteris Scripturæ teſtantur. Et I. quoad poteſtatem ordinis, elegit ſane Chriſtus Apoſtolos ex diſcipulis (*a*), & Apoſtolorum gradum ab horum ordine diſtinxit. De illis enim dixit (*b*): *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos... accipite Spiritum-ſanctum, quorum remiſeritis peccata* &c. de his vero (*c*): *poſt hæc autem deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam* &c. Ad hæc, ſoli Apoſtoli potuerunt confirmare baptizatos Samariæ, ut ex Chryſoſtomo ſuperius adnotavimus (*d*); nec niſi Titus, Cretæ epiſcopus a Paulo oridinatus (*e*), ab eodem monitum accepit (*f*): *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros.* Quod II. juriſdictionem internam ſpectat, conſtat eam in ordinatione *immediate* a Deo epiſcopis, & presbyteris conferri. Sed dictum tamen, non poſſe iſtos valide illam in pœnitentes exercere, niſi demandata ab ipſis epiſcopis juriſdictione (*g*), qui propterea ſuſpendere, ligare, & ad tempus eamdem ſibi poſſunt reſervare. III. Externam denique epiſcopi in presbyteros juriſdictionem demonſtrat Apoſtolus, ubi ita ad Timotheum (*h*): *adverſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.* Accedunt vetuſtiores ipſi, Cyprianus, Tertullianus,

---

cterem presbyteratus, non *implicite* continet, ideoque illum neceſſario prærequirit.

(*a*) *Luc.* VI. 13.
(*b*) *Joan.* XX. 22.
(*c*) *Luc.* X. 1.
(*d*) *Pag.* 108.
(*e*) *Tom.* II. *pag.* 225.
(*f*) *Ad Tit.* I. 5.
(*g*) *Supr. pag.* 157.
(*h*) I. *ad Timoth.* V. 20.

nus, Irenæus, qui magnifice de Epiſcopali poteſtate, ac præeminentia ſenſuerunt. Unum, quem alibi memoravimus (*a*), hic etiam memorare libet, Ignatium videlicet martyrem, qui ita ſcripſit (*b*): *quid enim aliud eſt epiſcopus, quam is, qui omni principatu, & poteſtate ſuperior eſt?* Et iterum (*c*): *quemadmodum itaque Dominus ſine Patre nihil facit; nec enim poſſum, inquit, a me ipſo quidquam: ſic & vos ſine epiſcopo, nec presbyter, nec diaconus, nec laicus.* Unde jure Tridentinum contra Novatores (*d*): *ſi quis dixerit, epiſcopos non eſſe presbyteris ſuperiores* (*e*)... *anathema ſit.*

§. VII. *Calvini argumentum a ſententia Hieronymi petitum.*

Quum Aerius, presbyter Arianus, & IV. Eccleſiæ ſæc. repulſam ab Epiſcopatu tuliſſet, nihil intereſſe diſcriminis docuit inter epiſcopum, & presbyteros (*f*). Sæc. XIV. inclinante, Joannes Wicleſus Anglus, ſpe etiam adipiſcendæ Epiſcopalis dignitatis dejectus, eumdem errorem ſequutus eſt. Sæc. XVI. Calvinus apertius illum tradidit, inque ſui ſententiam S. Hieronymum detorſit, quam deinde Proteſtantes propugnarunt. Placet Calvini verba adferre (*g*): *quibus ergo docendi munus injunctum erat, eos omnes nominabat presbyteros. Illi*

(*a*) *Tom.* I. *pag.* 16. & *pag.* 132.
(*b*) *Epiſt.* I. *ad Trallenſes.*
(*c*) *Epiſt.* V. *ad Magneſianos.*
(*d*) *Seſſ.* XXIII. *de ſacr. Ord. Can.* 7.
(*e*) De induſtria abſtinuerunt Patres a vocibus *jure divino ſuperiores*, quum Galli, & Germani epiſcopi conſentirent, Itali diſſentirent. Verum mens Concilii ſatis oſtenditur ex præcedente *Can.* VI. ubi definitum: *ſi quis dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam* divina ordinatione *inſtitutam, quæ conſtat ex epiſcopis, presbyteris, & miniſtris, anathema ſit.*
(*f*) Epiphanius *lib.* III. *hæreſ.* 76. *num.* 3. Et Auguſtinus *lib. de hæreſ. cap.* 53.
(*g*) *Inſtit. Chriſt. Relig. lib.* IV. *cap.* IV. *num.* 2.

Illi ex ſuo numero in ſingulis civitatibus unum eligebant, cui ſpecialiter dabant titulum epiſcopi: ne ex æqualitate, ut fieri ſolet, diſſidia naſcerentur. Neque tamen ſic honore, & dignitate ſuperior erat epiſcopus, ut dominium in collegas haberet: ſed quas partes habet Conſul in ſenatu, ut referat de negotiis, ſententias roget, conſulendo, monendo, hortando, aliis præeat, auctoritate ſua totam actionem regat, & quod decretum communi conſilio fuerit, exequatur; id muneris ſuſtinebat epiſcopus in presbyterorum cœtu. Atque id ipſum pro tempore neceſſitate fuiſſe humano conſenſu inductum fatentur ipſi Veteres. Ita Hieronymus in Epiſtolam ad Titum. Idem, *inquit*, presbyter, qui epiſcopus. Et antequam diaboli inſtinctu diſſidia in Religione fierent, & in populis diceretur, ego Pauli, ego Cephæ, communi conſilio presbyterorum Eccleſiæ gubernabantur. Poſtea, ut diſſentionum ſemina evellerentur, ad unum omnis ſollicitudo eſt delata. Sicut ergo ptesbyteri ſciunt ſe, ex Eccleſiæ conſuetudine, ei, qui præeſt, ſubjectos; ita epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine, quam Dominicæ depoſitionis veritate presbyteris eſſe majores, & in communi debere Eccleſiam regere. *Alibi tamen docet* (*a*), *quam fuerit antiquum inſtitutum. Dicit enim Alexandriæ a Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam, & Dionyſium, presbyteros ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocaſſe, quem epiſcopum nominabant.*

§. VIII. *Epiſcopi* presbyteri *etiam dicti. Quonam autem ſenſu, & quæ hac in re fuerit vera Hieronymi ſententia, aperitur.*

Rei tamen falſi Calvinus, ejuſque aſſeclæ videntur, qui contra veritatem temere litigantes, Hieronymo ſententiam, quam non coluit, adſixerunt. Nos quædam potiſſimum, duce ipſo Hieronymo, præmittimus,

(*a*) *Ad Evagrium.*

mus, ut in veram mentis illius cognitionem tuto deſcendamus. I. Apud Veteres, epiſcopi, & ſimplices presbyteri, promiſcuo nomine *presbyterorum* adpellati. Præ ceteris (*a*), fidem facit Hieronymus, qui paſſim id ſuadere conatur (*b*). Deducit ex eo, quod Apoſtolus ſcripſerit ad Titum, ſe reliquiſſe eum Cretæ, ut conſtitueret *per civitates presbyteros* (*c*); tum docens, qualis debeat eſſe presbyter, ſubjungit (*d*): *oportet enim epiſcopum ſine crimine eſſe* &c. Quare ipſe ibidem (*e*): *idem eſt ergo presbyter, qui epiſcopus* (*f*). Communio autem hæc, nominis tantum erat, & externi in Eccleſia regiminis, eo quod non ordinabatur quis vel ſimplex presbyter, niſi ad miniſterium, æque ac epiſcopus. Sed non erat intrinſecæ poteſtatis, & Epiſcopalis characteris, quo divinitus epiſcopi præeminebant. Ita enim principio ille (*g*): *audiant epiſcopi, qui habent conſtituendi presbyteros per urbem poteſtatem, ſub quali lege Eccleſiaſticæ conſtitutionis ordo teneatur*. Diſerte enimvero diſtinguit poteſtatem characteris Epiſcopalis, ordinandi, & conſtituendi presbyteros, a recte *ordine*, & *Eccleſiaſtica conſtitutione*, ut nonniſi idonei, & ii, quos tales Apoſtolus requirebat, conſtituerenren-

(*a*) Idem probat Chryſoſtomus *Homil.* I. *in Epiſt. ad Philipp.* & *Homil.* XI. *in* I. *Timoth.* 3.

(*b*) Tum præcipue *Comment. in Epiſt. ad Tit. cap.* I. tum *Epiſt.* CI. (ex novo ord.) *ad Evangelum*, (non ut Calvinus, & alii legunt *Evagrium*).

(*c*) *Ad Tit.* I. 5.

(*d*) *Ibid. v.* 7.

(*e*) *Cit. Comment. in Epiſt. ad Tit.*

(*f*) Alias etiam adfert *cit. Comm.* & *cit. Epiſt.* rationes Hieronymus; quod nempe Paulus *ad Philip.* I. 1. ſalutat Philippenſes *cum epiſcopis*, *& diaconibus*, quum Philippis unus eſſet epiſcopus; quod *Act.* XX. 18. vocavit *majores natu*, ſeu presbyteros, quos *v.* 28. *epiſcopos* nominat; & quod vox *ſeniores* in I. *Petr.* V. 1. Græce effertur ἐπισκοποῦντες, unde epiſcopi nomen deductum eſt.

(*g*) *Supr. cit. Comment.*

rentur (*a*). II. Antequam inter Corinthios ſchiſma oriretur, & alter diceret *ego Pauli*, & alter *ego Cephæ*, ac ſi non una eſſet fides, & unus Chriſtus; *communi conſilio*, ut inquit Hieronymus (*b*), ab epiſcopis, & presbyteris Eccleſiarum regimen tenebatur. Nec enim ait *comuni poteſtate*. Exercitium itaque externæ juriſdictionis commune utriſque erat, non characteris auctoritas, & ipſa juriſdictionis origo. III. Tum ipſe (*c*): *poſtquam vero unuſquiſque eos, quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti; in toto Orbe decretum eſt, ut unus de presbyteris electus ſuperponeretur ceteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur*. Inde nimirum externæ ejuſdem Eccleſiaſticæ diſciplinæ exordium repetit, non inſtitutionem per ſe Epiſcopatus. Ante enim illud ſchiſma, & Jacobus Hieroſolymorum epiſcopus erat, & Petrus Antiochiæ ſederat, eaque ab urbe diſcedens, Evodium ibi epiſcopum crearat, & Marcum Alexandriæ præfecerat. Hæcne Hieronymus ignorabat? IV. Romæ diaconus nomine Fatuus, aut, ut aliis placet, Falcidius, presbyteris omnibus diaconos antiſtare jactabat. Unde Hieronymus (*d*): *audio quemdam in tantam erupiſſe vecordiam, ut diaconos presbyteris, id eſt, epiſcopis anteferret*. V. Quo igitur ipſe oſtenderet, presbyteros non ſolum ſuperiores eſſe diaconis, ſed epiſcopis ipſis quodammodo æqua-

(*a*) Totus in *cit. Comment.* Hieronymus eſt, ut adſtruat, primitus communi conſilio, & miniſterio, quoniam epiſcopi ſimul, & ſimplices presbyteri miniſtrare tenebantur, Eccleſias optime fuiſſe gubernatas. Variata autem non poteſtate intrinſeca epiſcopi, ſed modo dumtaxat miniſterii, ſolo eo ſcilicet potiſſimum gubernante, & ordinante presbyteros, monet ipſe cum Paulo Hieronymus, presbyteros merito, & dotibus requiſitis ornatos, non gratia, aut alio humano intuitu eſſe conſtituendos. Ex quo adparet, de ſola illum loqui Eccleſiaſtici regiminis œconomia.

(*b*) *Supr. cit. Comment.*

(*c*) *Supr. cit. Comment.*

(*d*) *Cit. Epiſt.* CI.

æquales, ea omnia, quæ commemoravimus, commemorat, eodem ſcilicet nomine *presbyterorum*, antiquitus epiſcopos, & ſimplices presbyteros dictos fuiſſe; communi utrorumque conſilio gubernatas Eccleſias; & ad ſchiſmata tollenda unum a presbyteris eligi, cui Dominici gregis cura committeretur. Ita autem loquens, uſum tantum, & exercitium externi cujuſdam Eccleſiaſtici regiminis ſpectavit Hieronymus, in quo presbyteros epiſcopis coæquavit, & in cujus partem ii ab iſtis vocabantur: numquam vero utriſque communem fecit characterem, Ordinem ipſum divinitus inſtitutum, atque intrinſecam vim juriſdictionis, ab eo deſcendentem. Multis hæc idem S. Doctor ſuadet. I. Quia exæquans epiſcopum presbytero, expreſſe excipit ordinationem (*a*): *quid enim facit, excepta ordinatione, epiſcopus, quod presbyter non faciat?* II. Si inquit (*b*): *epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate presbyteris eſſe majores*; non negat, ſed ſupponit jure etiam divino, ſeu *diſpoſitionis Dominicæ veritate*, iis epiſcopos præſtare. III. Exempla adducit Moyſis (*c*), *qui quum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, Septuaginta elegit, cum quibus populos judicaret*; Imperatoris, qui ab exercitu creatur (*d*): *quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat*: & Aaronis, cum filiis ſuis (*e*): *quod Aaron, & filios ejus, hoc eſſe epiſcopum, & presbyteros noverimus*. Certe & Moyſes univerſo populo, & Imperator exercitui, & Aaron filiis antecellebant.

§.IX.

(*a*) *Cit. Epiſt.* CI.
(*b*) *Supr. cit. Comment.*
(*c*) *Supr. cit. Comment.*
(*d*) *Cit. Epiſt.* CI.
(*e*) *Epiſt.* XXXIV. (ex novo ord.) *ad Nepotianum*.

§. IX. *Davidis Blondelli pro Hieronymi ſententia exceptiones.*

Quum hæc vero ita ſint, placuit nihilominus Davidi Blondello patronum ſe gerere Calvini, & integrum ſcribere libellum (*a*), ut Hieronymianam ſententiam vindicaret. Univerſum ipſius ſyſtema circa hæc vertitur. Diviſo triplicem in *Sectionem* libro, in I. propoſitis Hieronymi ſuperius laudatis textibus, duo ſubjicit *Obſervanda*, in quorum primis (*b*), epiſcopos eoſdem fuiſſe, ac presbyteros breviter probat; in alteris hæc præcipue adfert (*c*): *quorum eædem functiones ſunt, hæc eadem ſunt inter ſe. Epiſcopatus, & presbyterii eædem ſunt functiones, paſcere, ſuperintendere, vigilare* &c. *Ergo epiſcopatus, & presbyterium, eadem ſunt inter ſe.* Et mox: *quorum iidem ſunt characteres; eadem eſt eſſentia... Epiſcopatus, & presbyterii iidem ſunt characteres. Ergo epiſcopatus, & presbyterii eadem eſt eſſentia.* In II. Loca XLIV. antiquorum Scriptorum profert, exordiens a Clemente Papa, uſque ad Hincmarum, epiſcopum Remenſem (*d*), quos ſententiæ Hieronymi favere opinatur. In III. Veterum urget formulas, a quibus voces πρεσβυτερος, *ſenior*, *major natu*, *presbyter*; πρεσβυτεριον, *presbyterium*: συμπρεσβυτερος, *compresbyter*; συλλειτουργος, *comminiſter*, *collega*; & *frater* (*e*), paſſim uſurpantur; tum multa differit de chorepiſcopis, qui eadem, ac iidem epiſcopi, plerumque uſi fuere poteſtate (*f*). Deinde vetuſtiorum Synodorum, & Pontificum decreta enumerat, quibus vel totum Cleri

ri

(*a*) Is eſt *Apologia pro ſententia Hieronymi de epiſcopis, & presbyteris* (*Amſtel.* 1646.).

(*b*) Cit. *Apol. Sect.* I. *pag.* 3. *& ſeq.*

(*c*) Cit. *Apol. Sect.* I. *pag.* 7.

(*d*) Cit. *Apol. Sect.* II. *pag.* 8. *uſque ad pag.* 88.

(*e*) Cit. *Apol. Sect.* III. *pag.* 89. *& ſeqq.*

(*f*) Cit. *Apol. Sect.* III. *pag.* 93. *uſque ad pag.* 132.

ri corpus duobus ordinibus comprehenſum adfirmatur, epiſcopis ſcilicet, & miniſtris (*a*); vel in quibus judicia æqualitatis adparent, ex confectione chryſmatis, ex confirmatione per manus impoſitionem, ex baſilicarum, & virginum confecratione, ac pœnitentium reconciliatione, aut ordinationibus (*b*). Probat vero a presbyteris factas etiam aliquando ordinationes, tum quia ſine *presbyterio* eæ nunquam obtinuere, unde etiam ex Pontificali Romano presbyteri pariter manus imponunt; tum quia id etiam chorepiſcopis licuit, *dependenter* licet ab epiſcopis, quibus ex ſola Eccleſiarum conſuetudine, *χειροτονια*, h. e. *manus impoſitio*, reſervata fuit (*c*). Demum facta quædam veteris Eccleſiæ in ſuæ ſententiæ præſidium revocat, & quæ prius dixerat, recentare videtur, nempe Eccleſias communi epiſcoporum, & presbyterorum regimine fuiſſe gubernatas, presbyteriſque ipſis confirmandi, conſecrandi, ac reconciliandi poteſtatem fuiſſe *&c.* (*d*)

§. X. *Depelluntur.*

SED miſerum Blondellum, qui ob udum Amſtelodami cælum, oculis laboravit! miſeriorem, qui ob Proteſtantium ibi ſtudium, a Religione aberravit (*e*)! Ac I. ſane nihil inde ipſe conficit, quod communi vocabulo *presbyterorum*, epiſcopi etiam adpellati. Jam enim monuimus (*f*), ob externi tantum regiminis communem adminiſtrationem, non ob communionem characteris, & originariæ poteſtatis, id obtinuiſſe. Nec vero

(*a*) *Cit. Apol. Sect.* III. *pag.* 135.
(*b*) *Cit. Apol. Sect.* III. *pag.* 141. *uſque ad pag.* 157.
(*c*) *Cit. Apol. Sect.* III. *pag.* 257. *& ſeqq.*
(*d*) *Cit. Apol. Sect.* III. *pag.* 181. *uſque ad pag.* 309.
(*e*) Ex Catalauno in Gallis, Amſtelodamum accitus Blondellus, ut Hiſtoriam doceret. Ibi & Miniſter fuit Proteſtantium, & ob cæli inclementiam captus oculis evaſit. Obiit an. 1655. annos natus 64.
(*f*) *Supr. pag.* 187.

ro *eædem functiones* ſemper eamdem rerum arguunt eſſentiam. Nam & Rex legem condit, imperatque; imperat etiam, conditque legem Prorex. Neque hinc tamen pares ſunt, quia ille nativa, hic demandata fungitur juriſdictione. Non ſolum igitur, ut *eadem* ſit *functio*, ſed ut idem ſit *functionis* principium, requiritur. Porro, etiamſi communi conſilio per epiſcopos, & presbyteros Eccleſiæ primum regerentur, epiſcopos tamen Spiritus-ſanctus ad regendam Eccleſiam poſuit, non autem presbyteros. Quod autem ab iiſdem *characteribus* ſumitur argumentum, falſum omnino eſt. Supponitur enim, non probatur eumdem eſſe characterem, Epiſcopalem ſcilicet, & presbyteralem: quum contra diverſi inter ſe ſint, eo quod, ut diximus (*a*), Epiſcopatus diverſum a presbyteratu ſacramentum eſt. II. Quod ad Patres attinet, nec eos ſigillatim recenſere ſtuduimus, nec eiſdem ſigillatim reſpondere ſtudebimus. Adeo ſuſque-deque, confuſe, & ad rem ii faciant, necne, a cæcutiente Blondello laudantur! Satis eſt generatim dixiſſe, ita eos eſſe intelligendos, ſive quod utrique epiſcoporum, & presbyterorum cœtui commune officium ſit, idemque miniſterium; ſive quod eadem conficiendæ Eucharistiæ utrique polleant poteſtate; ſive etiam quod unum Eccleſiæ corpus componant, cui pari ſtudio debeant inſervire. III. Sæpius dictum, a Veteribus vocabula *πρεσβυτερος*, & *συμπρεσβυτερὸς*, fuiſſe uſurpata, non ut naturam Epiſcopalis, & presbyteralis poteſtatis, ſed ut indolem externi regiminis, utrique ſane communem, denotarent. Alibi quoque obſervatum (*b*), chorepiſcopos aliquando etiam ornatos fuiſſe Epiſcopali charactere, ut propterea ordines conferre, & Epiſcopalia munia, quæ a charactere dependent, obire potuerint. Ad hæc, non æqualitatem exprimunt poteſtatis, ſed communionem indicant regiminis decreta Synodorum, &

Pon-

(*a*) *Supr. pag.* 184.
(*b*) *Tom.* II. *pag.* 316.
Lupoli Jur. Eccl. Tom. III.

Pontificum, quibus dicitur presbyteros unum efformare ordinem cum epiſcopis, vel iiſdem facultatem eſſe conficiendi chriſma cum ſuo epiſcopo, vel virgines conſecrandi, vel cæremonialem adhibendi manus impoſitionem, ſive in reconciliandis pœnitentibus, ſive in ordinationibus peragendis. Sacramentalis quippe χειροτονία fiebat per *presbyterium*, h. e. per collegium non ſimplicium presbyterorum, ſed epiſcoporum, (quod quidem hac voce diximus (*a*) deſignari); aut etiam per chorepiſcopos, ſi quando Epiſcopali charactere inſigniebantur. Factis denique, quæ a Blondello opponuntur, veteris Eccleſiæ, nihil reponimus, ne crambem coctam iterum recoquamus.

§. XI. *Presbyteratus ſacramentum eſt. Quædam adponuntur.*

Atqui non Epiſcopatui ſolum, ut dictum eſt, ſed presbyteratui etiam ratio ineſt ſacramenti. Reperitur enim *ſignum ſenſibile*, videlicet impoſitio manuum, cum oratione conjuncta: de qua Paulus, & Barnabas (*b*): *& quum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias presbyteros, & oraſſent*, Tum *inſtitutio divina*, quum Chriſtus, teſte Tridentino (*c*), Apoſtolis, ejuſque in ſacerdotio ſucceſſoribus, facultatem dederit conſecrandi ſuum Corpus iis verbis (*d*): *hoc facite in meam commemorationem*; dimittendi vero peccata, ubi poſt Reſurrectionem iiſdem dixit (*e*): *accipite Spiritum-ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Et *gratiæ* demum *collatio*, *quam* ea, quibus per Ordinem gratiam donari ſuperius probavi-

(*a*) *Supr. pag.* 173.
(*b*) *Act.* XIV. 22. Græce pro *conſtituiſſent* eſt χειροτονήσαντες, h. e. *quum manus impoſuiſſent*.
(*c*) *Seſſ.* XXII. *de ſacr. Miſſ. cap.* I.
(*d*) *Luc.* XXII. 19.
(*e*) *Joan.* XX. 22. & *ſeq.*

vimus (*a*), evincunt. Atque hinc nonnulla obſervanda. I. Trina per epiſcopum novis presbyteris manus fit impoſitio: poſt Litanias; tum paullo mox; tum in fine Miſſæ, quum ait *accipe Spiritum-ſanctum* &c. Certum eſt autem neque priorem *eſſentialem* eſſe, cui nulla adjunguntur verba; neque tertiam, quæ ſupponit presbyteros conſecratos, & in qua verba *accipe Spiritum-ſanctum*, (quæ procedentibus temporibus acceſſere), ad majorem ſollemnitatem, & in acceptæ jam poteſtatis ſignificationem enuntiantur; ſed ſecundam, quum præter epiſcopum, (qui tamen eodem tempore oratione, quæ una rationem habet *formæ*, ſolus fundit), ab aliis etiam præſentibus ſacerdotibus in novos presbyteros, ut ipſorum in presbyterale miniſterium cooptatio ſignificetur, manus imponuntur (*b*). II. Officia presbyteri ex Pontificali Romano hæc numerantur: *ſacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, & baptizare*. III. Nec denique omittendum, quod Tridentinum ſanxit (*c*), ut nemo ad presbyteratus Ordinem, *ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum, promoveatur*.

§.XII.

(*a*) *Pag.* 172.

(*b*) Diſerte Carthaginenſe IV. an. 368. Can. 3. *presbyter, quum ordinatur, epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum epiſcopi ſuper caput ejus teneant*. Et Tridentinum *Seſſ.* XIV. *de extr. Unct. cap.* 3. docens, quinam ſint miniſtri ſacramenti Extremæ Unctionis, inquit, quod ſint *aut epiſcopi, aut ſacerdotes, ab ipſis rite ordinati per impoſitionem manuum presbyteri*. In ſola autem hac ſecunda Epiſcopali manus impoſitione, impoſitio etiam accedit manuum presbyterorum.

(*c*) *Seſſ.* XXIII. *in Decret. de Reform. cap.* 12.

N 2

§. XII. *Diaconatum ſacramentum eſſe contra Calvinum oſtenditur. Occaſio autem inſtitutionis a fine ejuſdem diſtinguenda.*

Sacræ litteræ de diaconatu ita etiam ſermonem habuere (*a*): *in diebus autem illis, creſcente numero diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum adverſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. Convocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum, dixerunt: non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo, fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu-ſancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus. Nos vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus. Et placuit ſermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum* &c. Ex his Theologi ſic diaconatum ſacramentum eſſe demonſtrant. Quæ tria ad ſacramenti rationem communiter requiruntur, minime in diaconatu deſiderantur. Nec enim deeſt *ſignum ſenſibile*, impoſitio ſcilicet manus, cum oratione, ſeu forma. Ita quippe de ſeptem primis diaconis (*b*): *hoc ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus*. Neque *collatio gratiæ:* unde Stephanus, ſtatim in diaconum conſecratus, dicitur (*c*) *plenus gratia, & fortitudine*. Nec demum *inſtitutio divina*. Numquam enim, niſi a Chriſto edocti, juſſique, ritum illum Apoſtoli uſurpaſſent, & Eccleſiæ ſervandum tradidiſſent. Adprime Ignatius martyr (*d*): *ſubjecti eſtote epiſcopo, & presbyteris, & diaconis. Qui enim his ſubjectus eſt, obedit Chriſto, qui hos conſtituit*. Obſtat hic more ſuo Calvinus, & diaconos ad puram *bonorum Eccleſiaſticorum diſtributionem*, Apoſtolica, non divina voluntate, in-

(*a*) *Act*. VI. 1. *& ſeqq.*
(*b*) *Ibid. v.* 6.
(*c*) *Ibid. v.* 8.
(*d*) *Epiſt.* VI. *ad Epheſios*.

inſtitutos docet (*a*). Verum occaſionem inſtituendorum diaconorum a fine ipſius inſtitutionis diſtingui oportet. Occaſionem ſane dedit *murmur Græcorum adverſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum*. Finis vero, ut non ſolum ſcilicet curam pauperum haberent, ſed ut altari etiam miniſtrarent (*b*), ſatis evincitur, tum ex dotibus, quæ in eligendis diaconis requirebantur, ut *pleni* eſſent *Spiritu-ſancto*; tum ex officio, cui addicebantur, non communibus modo, ſed ſacris etiam menſis (*c*) inſerviendi; tum ex ſacra impoſitione manus, quam Apoſtoli adhibuerunt; tum denique ex eo, quod Stephanus dicatur tanto ſtudio Chriſtum nuntiaſſe, ut Judæi illum lapidibus obruerint (*d*); & Philippus narretur Æthiopem, eunuchum reginæ Candacis, baptizaſſe (*e*), variiſque luſtratis urbibus, evangelizandi cauſſa, Cæſaream tandem veniſſe (*f*).

§. XIII.

(*a*) *Inſtit. Chriſt. Relig. lib.* IV. *cap.* V. *num.* 15. Ibi ludere nos *Eccleſiam cum iſto mendacii diaconatu*, cui nulla ineſt pauperum cura, adfirmat. Tum vero *cap.* XIX. *num.* 32. Eccleſiaſticam diaconorum inſtitutionem cum præſenti eorum officio comparans, ita Catholicos ridet: *poſthac ergo ne diaconos eſſe mentiantur, quos nonniſi ad hiſtrionicos ſuos ludos inſtituunt*.

(*b*) Tria officia diaconi ex Pontificali Rom. *ſup. pag.* 95. indicata ſunt.

(*c*) Quod inter communes menſas Euchariſtia etiam initio Eccleſiæ diſtribueretur, jam ſatis conſtat. Communem cibum denotat Apoſtolus I. *ad Cor.* XI. 21. *unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt* &c. Euchariſticum explicat iis verbis v. 27. *quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & ſanguinis Domini*. Nomine igitur *quotidiani miniſterii*, cui deputabantur diaconi, utriuſque menſæ adminiſtratio veniebat.

(*d*) *Act.* VII. 57.

(*e*) *Act.* VIII. 38.

(*f*) *Ibid. v.* 40.

§. XIII. *Vox χειροτονια contra Calvinum explicatur.*

Graviter patitur Calvinus, a χειροτονια h. e. *manus impoſitione*, Catholicos argumentum ſumere ad probandum Epiſcopatus, presbyteratus, & diaconatus ſacramentum. Et quoniam negare non audet, Scripturas, Synodos, Patres de ea luculenter meminiſſe, ſemper ac de ſacramento Ordinis mentionem fieri oportuit, illius ſaltem vim, atque indolem ita minuere, ac peſſumdare auſus eſt (*a*): *refert enim Lucas conſtitutos eſſe per Eccleſias presbyteros a Paulo, & Barnaba: ſed rationem, vel modum ſimul notat, quum dicit factum id eſſe ſuffragiis: χειροτονησαντες, inquit, πρεσβυτερυς κατ' εκκλησιαν. Creabant ergo ipſi duo: ſed tota multitudo, ut mos Græcorum in electionibus erat, manibus ſublatis declarabat, quem habere vellet. Nempe ſic Romani hiſtorici non raro loquuntur, Conſulem, qui comitia habuerit, creaſſe novos magiſtratus, non aliam ob cauſſam, niſi quia ſuffragia receperit, & populum moderatus ſit in eligendo. Non eſt certe credibile Paulum plus conceſſiſſe Timotheo, & Tito, quam ſibi ipſe ſumſerit. Videmus autem ipſum ex populi ſuffragiis epiſcopos creare ſolitum . . . non aliter adſcribitur Matthias Apoſtolorum collegio, nec aliter ſeptem diaconi creantur* &c. Sed, etſi damus apud profanos Scriptores, vocem χειροτονια, *extenſionem manus* ſignificare in ſuffragiis ferendis; apud Eccleſiaſticos tamen, & uſu quidem vulgatiſſimo, pro *ſacramentali* etiam *manus impoſitione*, ſive in Confirmatione, ſive in Ordine, adhibita ea eſt. I. Vox το χειροτονησαντες in adlato textu, non ad multitudinem, ſed ad Paulum, & Barnabam referuntur, ita ut non plebs, ſed ipſi manus *impoſuiſſe* dicantur. II. Monuerat Paulus

(*a*) *Inſtit. Chriſt. Relig. lib.* IV. *cap.* III. *num.* 15. Ibi Præſulum fuiſſe ait, ut electioni præeſſent, multitudinis vero, ut ſuffragia ferret.

lus Timotheum (*a*): *manus cito nemini impoſueris*, *neque communicaveris peccatis alienis*. Si impoſitio manuum fuiſſet populi in ſignum ferendi ſuffragii, quomodo ea in re Timotheus *communicaſſet peccatis alienis*? Certe tum eum alterius peccato communicaturum intelligimus, ſi ipſe per ſe indigno *manus imponere* non dubitaſſet. III. Referens Lucas ordinationem ſeptem diaconorum, factam ab Apoſtolis inquit (*b*): *& orantes impoſuerunt eis manus*. Formam igitur, ac materiam conjunxit, alteram per *το orantes*, alteram per *το impoſuerunt manus* deſignans. Orationem autem, ſeu formam, nonniſi Apoſtoli recitarunt: *impoſitionem* proinde *manuum*, ſeu materiam, iidem ipſi adhibuerunt. IV. Luculenter Paulus *impoſitioni manuum* ſuarum gratiam adnexuit. Unde ad Timotheum (*c*): *admoneo te*, *ut reſuſcites gratiam Dei*, *quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Quænam itaque ea in re pars populi? V. Denique Scripturarum loquendi uſum Concilia, & Patres, non Græci ſolum, ſed etiam Latini, confirmarunt, apud quos *χειροτονια* pro *impoſitione manuum* uſurpata eſt (*d*).

§. XIV.

(*a*) I. *ad Timoth.* V. 22.
(*b*) *Act.* VI. 6.
(*c*) II. *ad Timoth.* I. 6.
(*d*) Videte *Epiſt. Conc. Nicæni ad Eccleſ. Alexandr.* apud Theodoretum *Hiſt. Eccleſ. lib.* I. *cap.* IX. ubi interdicitur Meletio *manus impoſitio*; Chryſoſtomum *Homil.* I. *in* II. *Epiſt. ad Timoth. cap.* 1. tum *Homil.* XVI. *in* I. *ad Timoth. cap.* 5. & Hieronymum *in Iſaiam cap.* 58. Cæterum *χειροθεσιαν* ſemper pro *impoſitione ſacramentali*; *χειροτονιαν* tum pro *Epiſcopali*, tum quandoque pro *reconciliatrice* acceptam fuiſſe putavit Petav. *de Eccl. Hier. lib.* II. *cap.* VI. *num.* 9.

§. XIV. *Subdiaconatum, ceteroſque minores Ordines, non eſſe proprie ſacramenta, contra Bellarminum adſeritur. Quid tamen de iis ſentiendum.*

JAMVERO ad alia pergamus. I. Probabile duxit Bellarminus (*a*), cum plerisque aliis, quos laudat, ſubdiaconatum, ceteroſque minores ordines, vera eſſe ſacramenta. Sed pace Eminentiſſimi viri, aliter dicendum eſt, ſi preſſe, ac theologice loqui velimus. Deſtituuntur enim *ſigno ſenſibili*, h. e. χειροτονια, *impoſitione manuum*, & oratione invocationis Spiritus-ſancti, quæ duo ad ſacramentum Ordinis *eſſentialiter* requiri docuimus. Tum proinde *collatione gratiæ*, quæ ex Scripturis, & Patribus, numquam ab *impoſitione* ſeparatur (*b*). Tum denique *inſtitutione divina*. Nullibi enim in Scripturis, & Traditione veſtigium extat, quod ſubdiaconatus, aliique ordines minores, fuerint a Chriſto inſtituti. Certe eorum nomina, & miniſteria *ab Eccleſiæ initio* obtinuiſſe, dumtaxat tradidit Tridentinum (*c*). II. Tres dumtaxat ordines Hierarchici recenſentur ab Ignatio martyre (*d*), Hie-

(*a*) *Lib.* I. *de ſacr. Ord. cap.*7. & 8. Miror adſerere Bellarminum, quod ſubdiaconatus, & minores ordines, quibus deeſt *impoſitio manuum*, ſint ſacramenta; quum mox *cap.* 9. propugnet, hanc *ad eſſentiam ſacramenti Ordinis pertinere*.

(*b*) Quare Tridentini Patres *Seſſ.* XXIII. *de ſacr. Ord. cap.* 3. ubi adfirmant Ordinem eſſe ſacramentum, laudant teſtimonium Apoſtoli II. *ad Timoth.* I. 6. (quod paullo ante memoravimus): *admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Adeo rati fuere *impoſitionem manuum* cum adnexa eidem *gratia*, ad eſſentiam Ordinis ſpectare.

(*c*) *Cit. Seſſ.* XXIII. *de ſacr. Ord. cap.* 2. Et ſane in Occidente, ſubdiaconorum prima mentio occurrere videtur apud Cyprianum *Epiſt.* 8. & in Oriente apud Synodum Laodic. an. 319. *Can.* 21. & 22.

(*d*) *Epiſt. ad Smyrneos*, & *Epiſt. ad Trallenſes*.

Hieronymo (*a*), Auguſtino (*b*), aliiſque Veteribus. Igitur inferioris ordinis miniſtros Apoſtolica ætate nullos fuiſſe putandum eſt. Omnia enim, quæ ad altaris, & Eccleſiæ miniſterium minus proprie pertinebant, per diaconos peragebantur. Ad rem S. Thomas (*c*): *in primitiva enim Eccleſia ſolum erant tres ordines... ſcilicet epiſcoporum, presbyterorum, & miniſtrorum, & non dividebantur per diverſos gradus, ſed omnia erant in uno Ordine propter paucitatem miniſtrorum, & propter novitatem Eccleſiæ*. Et apertius Cardinalis Bona (*d*): *contigit nimirum Eccleſiæ, quod hominibus ſolet, qui dum tenue patrimonium habent, uno ſervo contenti ſunt, qui ſolus omnia adminiſtrat: ſi vero reditus augeantur, ſervorum etiam augetur numerus, eoque magis creſcit familia, quo illi locupletiores, & ſpectabiliores evadunt. Sic Evangelicæ prædicationis initio parvula adhuc, & latitans Eccleſia, paucis indiguit Eccleſiaſticorum functionum miniſtris: creſcente autem credentium multitudine, & auctis facultatibus ex fidelium oblationibus, quum ſoli diaconi non poſſent omnibus incumbere, diverſa onera, & officia diverſis perſonis diſtributa ſunt*. Nec abludit Tridentinum, ubi inquit (*e*): *quum autem divina res ſit tam ſancti ſacerdotii miniſterium: conſentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri poſſet, ut in Eccleſia ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diverſi eſſent miniſtrorum ordines*. Quæ quum ita ſeſe habeant, potius adfirmandum videtur, ſubdiaconatum, & minores ordines, non eſſe quidem ſacramenta, ſed partes, explicationes, & diſtributa officia diaconorum, quæ in ſacramento ipſo diaconatus *implicite* primum continebantur, & deinde ſigillatim per varios inferiores gradus *explicite* diſtincta fuerunt.

§.XV.

(*a*) *Epiſt.* CI. *ad Evangelum*.
(*b*) *Epiſt.* CXLVIII. *ad Valer. epiſc. Hippon. num.* 21.
(*c*) *Lect.* II. *in cap.* 3. *Epiſt.* 1. *ad Timoth.*
(*d*) *Lib.* I. *rerum Liturg. cap.* 25. *num.* 17.
(*e*) *Supr. cit. Seſſ.* XXIII. *de ſacr. Ord. cap.* 2.

§. XV. *Pauca de ſubdiaconis, & inferioribus miniſtris ſubnotantur.*

Postremo hoc loco de ipſis ſubdiaconis, (qui Græce ὑποδιάκονοι, & ὑπηρέται dicuntur), & de inferioribus ipſis miniſtris, pauca non differenda. I. Subdiaconatus eſt ordo ſacer, quo poteſtas confertur miniſtrandi diacono, & ſacerdoti in Miſſæ ſacrificio. Munia ſubdiaconorum ex Pontificali ſunt calicem, & patenam diacono in uſum ſacrificii offerre; ſacerdoti, ſacris operanti, aquam fundere; oblationes Fidelium ſuſcipere; epiſtolam legere; pallas, & corporalia abluere. Obligationes vero ſunt caſtitatem perpetuo ſervare, & divinum officium recitare, ad quod ex conſuetudine quidem tenentur. II. Acolythatus eſt ordo, quo poteſtas datur miniſtrandi ſubdiacono, & diacono in Miſſæ ſacrificio. Græce enim ἀκόλυθος, Latine eſt *famulus*, vel *pediſſequus*. Ejus officia ſunt parare vinum, & aquam in urceolis, quos exhibent ſubdiacono; deferre lumina, dum evangelium ſollemniter a diacono cantatur; Eccleſiæ luminaria accendere, & ſervare (*a*). III. Exorciſtatus eſt ordo, quo poteſtas datur expellendi dæmones a corporibus catechumenorum, ſive baptizatorum. Id enim Græce ſignificat ἐξορκίζειν, h. e. *adjurare*. Quare hoc exorciſtæ officium eſt, ut per eum *voce humana, & poteſtate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur diabolus*, quemadmodum loquitur Cyprianus (*b*). IV. Lectoratus eſt ordo, quo datur poteſtas legendi in Eccleſia ſacram Scripturam,

(*a*) Antiquitus Acolythi mandata epiſcopi ad alios perferebant: unde de Narico Acolytho fit mentio *Epiſt.* 7. apud Cyprianum; & eulogias, ſeu panes benedictos, (de quibus agit Cabaſſutius *Diſſert.* XI. *in notit. Concil.*), ad abſentes deportabant, ut adſtruitur ex Innocentio I. *Epiſt. ad Decentium, epiſc. Eugubinum*.

(*b*) *Epiſt.* 69. *ad Magnum*. Ne tamen tantum hoc miniſterium in contemtum, & deriſum vertatur, ſine venia epiſcopi exerceri non poteſt.

ram, & ſcripta S. Patrum. Lectoris officia ſunt legere Scripturas, ut dictum eſt, ſcripta Patrum orthodoxorum, rudioribus fidem explanare, & divinas laudes decantare. V. Oſtiariatus eſt ordo, quo præficitur clericus ad cuſtodiam Eccleſiæ, & ſacræ ſupellectilis. Oſtiarii munus eſt januas Eccleſiæ indignis claudere; pulſare campanam, populumque ad Eccleſiam convocare; ſervare vaſa, & ſacram ſupellectilem; ac curare, ne laici propius ad altare accedant. VI. Denique enumeratis hiſce minoribus ordinibus accenſenda eſt tonſura clericalis, quæ eſt ritus ab Eccleſia inſtitutus, quo ad ſuſcipiendos ordines diſponitur. De iis autem, qui clericali tonſura initiandi ſunt, ita ſtatuit Tridentinum (*a*): *prima tonſura non initientur, qui ſacramentum Confirmationis non ſuſceperint; & fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere, & ſcribere neſciant; & de quibus probabilis conjectura non ſit, eos non ſæcularis judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.*

CAPUT VIII.

De Matrimonio.

§. I. *Matrimonium verum eſſe novæ Legis ſacramentum, contra Lutherum, & Calvinum demonſtratur.*

MATRIMONIUM, a Deo ante peccatum Adæ ad procreationem ſobolis inſtitutum (*b*), confirmatum

(*a*) *Seſſ.* XXIII. *in Decret. de Reform. cap.* 4. Plura de ſacris, & minoribus miniſtris nuper erudite edidit Cl. Moriſanus, Can. Reginus, *Inſtit. milit. Cleric. Tom.* III. *cap.* 6. *& ſeqq.*

(*b*) Ita Deus *Geneſ.* II. 18. *non eſt bonum, hominem eſſe ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*. Duo prænotanda. I. Etiamſi Adam non peccaſſet, uſus tamen matrimonii, abſque

tum in lege Moſaica (*a*), in Evangelica tandem a Chriſto ad rationem ſacramenti evectum fuit. Denegarunt hanc illi dignitatem Duumviri impietatis, Lutherus, & Calvinus. Ille enim adfirmavit (*b*): *Matrimonium non eſt ſacramentum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum.* Hic vero ita ſcripſit (*c*): *poſtremum eſt Matrimonium, quod ut a Deo inſtitutum fatentur omnes, ita pro ſacramento datum nemo uſque ad Gregorii tempora viderat. Et cui umquam ſobrio in mentem veniſſet?* Sed verum eſſe tamen ſacramentum, nemini dubitandum eſt. Adeſt enim *ſignum ſenſibile*, mutuus ſcilicet conjugum conſenſus, externe expreſſus, qui quidem ſymbo-

que concupiſcentia, fuiſſet, ob præcipuum ejus finem, h. e. bonum prolis. Unde S. Thomas in *Addit.* ad 3. *Part. quæſt.* XLI. *art.* 1. inquit, Matrimonium eſſe de jure naturæ; & *quæſt.* XLII. *art.* 2. probat, eumdem ob finem, inſtitui debuiſſe ante peccatum. Et Auguſtinus *lib.* XIV. *de Civit. Dei cap.* 23. *quiſquis autem dicit, non fuiſſe coituros, nec generaturos, niſi peccaſſent, quid dicit, niſi propter numeroſitatem Sanctorum neceſſarium hominis fuiſſe peccatum?* Videte eumdem *lib.* I. *Retract. cap.* 10. & 13. atque Eſtium in 4. *lib.* 2. *Diſt.* 20. §. 1. *& ſeqq.* II. In lege Naturæ, aut Scripta, dici poteſt, latiore ſenſu, Matrimonium ſacramentum fuiſſe, prout nempe ſymbolum fuit unionis futuræ Chriſti cum Eccleſia. Quo ſpectant Patres, quum inquiunt, Adam e ſomno expergefactum, prophetico adflatum ſpiritu, pronunciaſſe: *hoc nunc os ex oſſibus meis* &c. inter quos eſt Tertullianus *lib. de anima cap.* XI. Hieronymus *Comment. in Epiſt. ad Epheſ. cap.* 5. Auguſtinus *lib.* IX. *de Gen. ad litter. cap.* 1. & confirmavit Tridentinum *Seſſ.* XXIV. *in doctr. de ſacr. Matr.*

(*a*) Sic *Deuteron.* XXV. 5. *quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui. Et primogenitum ex ea filium nomine illius adpellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Iſrael.* Advertendum, quod Matrimonium ſicut ante peccatum fuiſſe officium naturæ, ſic poſt prævaricationem verſum fuit in remedium concupiſcentiæ, non nova conſtitutione, ſed rei mutatione.

(*b*) *Lib. de Captivit. Babyl. cap. de Matrim.*

(*c*) *Inſtit. Chriſt. Relig. lib.* IV. *cap.* XIX. *num.* 34.

bolum eſt rei ſacræ, unionis ſcilicet Chriſti cum Eccleſia. Unde Paulus (*a*): *ſacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia* (*b*). Tum *gratiæ collatio*. Nam inquit Apoſtolus (*c*): *ſanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem: & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt*. In quæ ſic Maldonatus (*d*): *quo loco manifeſtum eſt, Divum Paulum non agere de ſanctitate perſonarum propria: nam infidelis, propterea quod ſit matrimonio conjunctus fideli, non accipit ullam veram ſanctitatem gratiæ ... Neque loquitur de ſpe ... quaſi dicat ſpem eſſe, ut vir infidelis ſanctificetur per mulierem* (*fidelem ſcilicet*), *id eſt, convertatur, quia addit ſtatim Apoſtolus* alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt: *ubi filios vocat ſanctos, quaſi natos de legitimo matrimonio. Quum ergo de illis generaliter loquatur, & tamen non omnes filii unius parentis Chriſtiani, alterius infidelis, fierent Chriſtiani; neceſſe eſt, ut loquatur de Matrimonio, quod ſemper erat ſanctum, quamvis alter conjux eſſet infidelis*. Et denique *inſtitutio divina*. Diſerte enim Patres, & Concilia adſeruerunt, in Cana, oppido Galilææ, nuptiis, quas deſcripſit Joannes (*e*), Chriſtum per ſe adfuiſſe, ut præſentia ſua eas honeſtaret, & benedictione ſan-

---

(*a*) *Ad Epheſ.* V. 32.

(*b*) Contendunt Proteſtantes non Matrimonium, ſed unionem Chriſti cum Eccleſia, eſſe *magnum ſacramentum*. Sed I. convincuntur a particula demonſtrativa *hoc*, ut propterea *ſacramentum hoc* referatur ad Matrimonium Chriſtianorum, de quo prius dixerat Apoſtolus *propter hoc relinquet homo* &c. II. a Græco textu *cit. Epiſt. ad Epheſ.* V. 32. qui ſic habet: εγω δε λεγω εις Χειςον, και εις την εκκλησιαν, h. e. *ego autem dico in Chriſtum, & Eccleſiam*, nempe quod Matrimonium *magnum* eſt *ſacramentum*, prout tamen refertur ad Chriſtum, & Eccleſiam, tamquam ad rem ſignificatam.

(*c*) I. *ad Corinth.* VII. 14.

(*d*) *Diſput. de ſacr. Tom.* II. *quæſt.* I. *de Matrim.*

(*e*) *Joan.* II. *I.* & *ſeqq.*

ſanctificaret (*a*). Quare merito Tridentinum (*b*): *ſi quis dixerit, Matrimonium non eſſe vere, & proprie unum ex ſeptem legis Evangelicæ ſacramentis a Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre; anathema ſit.*

§. II. *De materia, forma, miniſtro, & effectu ſacramenti Matrimonii.*

Multa hinc ſequuntur. I. Materia, quam dicunt *ex qua*, ſeu qua conſtat hoc ſacramentum, ſunt actus contrahentium, ſeu mutuus conſenſus, legitime expreſſus (*c*). II. Forma eſt, quam proponit Tridentinum (*d*): *ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen.* Ea nimirum & actus contrahentium ad τὸ *eſſe ſacramentale* determinantur, & præcipuus Matrimonii effectus exprimitur. III. Miniſter ſacramenti, de quo loquimur, eſt ſacerdos, tum quia ad perfectionem ſacramenti, præter materiam, & formam, intentionem etiam miniſtri Eugenius IV. ut alibi diximus (*e*), neceſſariam voluit, nec vero contrahentes poſſunt & ſuſcipere ſimul, & ſibi ipſis virtutem ſacramenti miniſtrare (*f*); tum quia ad

(*a*) *Juenin de ſacr. Diſſ.* XI. *de Matr. quæſt.* I. *cap.* 2.

(*b*) *Seſſ.* XXIV. *de ſacr. Matr. Can.* I.

(*c*) Adnotavit S. Thomas 3. *Part. quæſt.* LXXXIV. *art.* I. *ad* 1. quod in ſacramentis, in quibus plenitudo gratiæ, quæ confertur, ſuperat facultatem actus humani, materia eſt res corporalis, ut aqua in Baptiſmo, oleum in Confirmatione &c. In Pœnitentia vero, & Matrimonio, *quæ habent effectum correſpondentem humanis actibus*, (in quibus ſcilicet gratia modum ſequitur diſpoſitionis), ipſi actus humani locum tenent materiæ: quo pacto emplaſtra proxime per ſe operantur, exercitationes deambulatoriæ proſunt ſanitati pro modo earumdem.

(*d*) *Seſſ.* XXIV. *in Decret. de Reform. cap.* I.

(*e*) *Supr. pag.* 25.

(*f*) Sola primum ratio contractus civilis inerat Matrimonio: acceſſit deinde per Chriſtum ratio ſacramenti. Quare illus,

ad Matrimonii celebrationem ſacra ſemper, & ſollemnis benedictio a Veteribus requiſita eſt, ad nuptias ſanctificandas, & obſignandas; & quidem non ad ſollemnitatem ritus, ſed ad effectum gratiæ, & ſanctificationis conſequendum: ut propterea merito Tridentinum edixerit, quod clandeſtina matrimonia Eccleſia Dei *ſemper deteſtata eſt*, *atque prohibuit* (*a*). IV. Quum tria ſint commoda, quæ ex Matrimonio proficiſcantur, bonum ſcilicet prolis, fidei, & ſacramenti; triplex pariter effectus gratiæ ſacramentalis eſſe videtur, h. e. ut liberi amanter ſuſcipiantur, ac religioſe educentur; ut conjuges in pace, & caſto amore mutuam ſibi fidem ſervent; ut demum inter eoſdem conjunctio, quæ Chriſti cum Eccleſia perpetuam ſignificat conjunctionem, perpetuo etiam perſeveret, nullo modo, niſi ob mortem, diſſolvenda.

§. III. *Cœlibatus in mundi exordiis interdictus, in lege Moſaica toleratus, in Evangelica commendatus, demum per Eccleſiam miniſtris ſuis ſapienter impoſitus.*

Quoniam bonum prolis, Matrimonii utilitatem, ac neceſſitatem ſuadet; bonum fidei, *pluralitatem* uxorum excludit; bonum denique ſacramenti, vinculum conſtituit *indiſſolubile*; hinc ſigillatim ſingula examinanda ſunt. Ac principio quidem in mundi exordiis, omnes naturali lege ad nuptias, perinde ac ad conſer-

van-

---

lius, prout contractus eſt, æque ac ceterorum contractuum civilium, ipſi per ſe contrahentes cauſſæ ſunt, & miniſtri. Sed de eodem, qua ſacramentum eſt, non idem certe dicendum. Adminiſtratio enim ſacramentorum nonniſi ad Eccleſiam, & ad miniſtros, qui loco ipſius ſunt, prorſus pertinet; excepto ſolum Baptiſmo, qui in caſu neceſſitatis a laico etiam, Eccleſiæ locum tenente, miniſtratur. Qui igitur ſacramenti Matrimonii miniſtros ipſos eſſe conjuges arbitrantur, rationem contractus civilis a ratione ſacramenti minime omnium diſtinguere videntur.

(*a*) *Cit. Seſſ.* XXIV. *in Decret. de Reform. cap.* I.

vandam cibo vitam, obligari quivis concedet (*a*). Nullo enim alio modo genus humanum potuiſſet propagari. Creſcente autem ſufficienter hominum gente, incolumi jure divino naturali, potuerunt quidam cœlibem vitam traducere. Quod tum Joſue, Eliam, Eliſæum, Hieremiam, alioſque tempore legis Moſaicæ, quo Iſraeliticus Populus frequentior increbuerat, factitaſſe accepimus (*b*); tum & Chriſtus, ejuſque, excepto Petro (*c*), Apoſtoli, ſui ipſorum exemplo comprobarunt. Quorum cœlibatum reprehendiſſent certe Judæi, ſi unuſquiſque contrahendis nuptiis obſtringeretur. In lege autem Evangelica ſatis diſerte commendatus ille eſt iis Chriſti Domini verbis (*d*): *& ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum.* Cui congruit Apoſtolus, ſcribens ad Corinthios (*e*): *volo enim omnes vos eſſe ſicut meipſum.* Et iterum (*f*): *igitur & qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.* Quare Tridentinum (*g*): *ſi quis dixerit ſtatum conjugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cœlibatus, & non eſſe melius, ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi* ma-

---

(*a*) Quidam præceptum divinum nubendi iis verbis *Geneſ.* I. 28. *creſcite, & multiplicamini, & replete terram*, contineri opinantur. Sed quoniam non homini ſolum, ſed brutis etiam animantibus id dictum; potius tum benedictionem, ac fœcunditatem creatis rebus impertitam fuiſſe adfirmabimus.

(*b*) In veteri Teſtamento laus caſtitatis potiſſimum habetur *Judith.* XV. 11. & XVI. 26. *Pſal.* XLIV. 15. *Sapient.* III. 13. & IV. 1. *Eccleſiaſtic.* VI. 28.

(*c*) Ita Hieronymus *lib.* I. *adverſus Jovin. quamquam excepto Apoſtolo Petro, non ſit manifeſte relatum de aliis Apoſtolis, quod uxores habuerint; & quum de uno ſcriptum ſit, ac de ceteris tacitum, intelligere debemus ſine uxoribus eos fuiſſe, de quibus nihil tale Scriptura ſignificet.*

(*d*) *Matth.* XIX. 12.

(*e*) I. *ad Corinth.* VII. 7.

(*f*) *Cit. loc. v.* 38.

(*g*) *Seſſ.* XXIV. *de ſacr. Matr. Can.* 10.

matrimonio ; anathema ſit. Tandem Eccleſia multis de rationibus miniſtris ſuis cœlibatus legem impoſuit (*). Eæ autem, quæ apud Patres, & Synodos paſſim adſignan-

(*) Uſus Eccleſiæ Græcæ ab uſu Latinæ diſtinguendus eſt. Sane in Oriente numquam licuit epiſcopis, & presbyteris uxores ducere poſt ordinationem. Teſtis eſt Synodus Neocæſareenſis *Can.* I. an. 314. Immo ab uxoribus ante ordinationem ductis ii etiam olim abſtinere ſolebant, nulla quidem univerſali lege id neceſſario præcipiente, ſed peculiari diſciplina laudabiliter ſuadente, ſeu, (ut inquit Epiphanius *hæreſ. Catharorum* LIX. *lib.* 2. *num.* 4.), *ubi Eccleſiaſtici Canones adcurate ſervantur*. Permiſſum nihilominus diaconis, qui in ordinatione conteſtati fuiſſent ſe continentiam ſervare non poſſe, ut vel ordinati nuptias inirent. Porro ex Synodo Quiniſexta, ſeu Trullana, *Can.* XII. an. 692. ſub depoſitionis pœna prohibitum fuit epiſcopis cum uxoribus ante ordinationem ductis cohabitare, & conſuetudinem habere. Quod tamen non interdictum presbyteris, diaconis, & ſubdiaconis; quibus ex eadem, *Can.* XIII. uxores, quas ante ordinationem duxerint, retinere etiamnum licet. Contra in Occidente lex cœlibatus ſeverius injuncta, & adcuratius fuit obſervata. Non ſolum enim numquam legimus, majoribus Clericis licuiſſe poſt ordinationem uxores habere: ſed iis antea ductis numquam etiam uti potuiſſe accepimus. Certe de unis ſubdiaconis varia in variis Eccleſiis & praxis fuit, & diſciplina. Tournelyus *de ſacr. Ordinis quæſt. ult. art.* II. *Concluſ.* 1. Tria attamen advertimus. I. Si qui majores Clerici poſt ordinationem nuptias adtentabant, depoſitione quidem plectebantur, non autem eæ irritæ declarabantur. Primum omnium fortaſſe Lateran. an. 1139. *Can.* 1. Ordinem ſacrum eſſe dirimens impedimentum Matrimonii definivit; quod Remenſe an. 1148. *Can.* 7. aliæque deinde paſſim Synodi, & Trident. *Seſſ.* XXIV. *de ſacr. Matr.* 9. confirmarunt. II. Mediis plerumque ſæculis Clerici, & monachi vel concubinas alebant, vel poſt Ordines nuptiis ſtudebant. Rom. Pontifices, præſertim Leo IX. & Gregorius VII. collapſam diſciplinam reſtituere, & ad cœlibatum Clerum revocare ſategerunt. III. Apud Latinos, ii qui uxores ante Ordinationem habuerant, non jubebantur eas in monaſterium includere, qui mos Græcorum fuit; ſed ſecum illas tamquam ſorores retinere ſolebant. Quod quum incontinentiæ locum plerumque daret, cautum fuit ab Alexandro III. in Cap. *ſane* VI. Extr. *de*

gnantur, huc potiſſimum ſpectant. I. Divina eſt ſanctitas, ac puritas tremendorum myſteriorum, quibus propterea contrectandis, & miniſtrandis, puritas, & ſanctitas quanta maxima neceſſaria videtur. II. Monuerat Paulus Timotheum (*a*): *nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus*. Nihilne ſacerdotem implicabit uxoris, & liberorum cura? III. Scripſit idem Apoſtolus ad Corinthios, ut continentiam ii ad tempus ſervent, quo incumbant orationi (*b*): *nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi*. Merito itaque ab eo tantum offerendum erit, ut inquit Origenes (*c*), *ſacrificium indeſinens, qui indeſinenti, & perpetuæ ſe devoverit caſtitati*. IV. Conſtat ſacerdotes veteris Legis, tempore vicis ſuæ, Templo miniſtrantes, ſeſe a conjugibus abſtinere debuiſſe. Quanto nunc id magis de miniſtris novæ Legis dicendum (*d*)?

§. IV. *Auctoris lib.* Del matrimonio degli Eccleſiaſtici, *& Abbatis de Saint-Pierre, declamationes.*

NEQUE vero anonymo nupero Scriptori, qui neceſſarium hodiernis moribus, utileque quam maxime eſſe Matrimonium Eccleſiaſticorum, edito eam in rem ſingulari libello (*e*), probare adgreditur, omnino eſt auſcul-

---

converſ. conjug. ne in epiſcopum quis ordinaretur, *niſi uxor, prius profeſſa continentiam ſacram, velamen ſibi imponat, & religioſam veſtem adſumat.*

(*a*) II. *ad Timoth.* II. 4.

(*b*) I. *ad Corinth.* VII. 5.

(*c*) *Homil.* XXIII. *in Numer. cap.* 28.

(*d*) Adeatur Hieronymus *Comment. in Epiſt. ad Tit. cap.* I. ubi hujuſmodi argumentum brevi gravitate proſequitur.

(*e*) Inſcribitur *Della neceſſità, ed utilità del matrimonio degli Eccleſiaſtici* &c. cui adnectitur *Progetto dell' Abate di S. Pierre. Part.* I. II. *an.* 1770. Locus editionis, & nomen auctoris tacentur. Opus tamen eſſe Itali cujuſdam presbyteri ſæcu-

ſcultandum. Potiora hujuſce ſyſtematis hæc ſunt. I. Deploranda calamitas multorum eſt, qui aut vi, aut imprudentia, aut ſine dono vocationis in Clerum ſunt adoptati (*a*). Pontifex autem quodcumque ligandi, & ſolvendi, a Chriſto habet poteſtatem. Ipſius igitur, utpote patris, partes ſunt, ut liberos ſuos ab incommodo liberet caſtitatis (*b*). II. Matrimonium, qua ſacramentum, res ſancta eſt, & ſanctificans: ſacro hinc charactеri nihil repugnabit. Unde & multos olim epiſcopos, & presbyteros, conjugatos fuiſſe accepimus (*c*). III. Sanctos vult Deus eſſe Chriſtianos, non perpetuæ addictos virginitati: quare numquam legitur cœlibatum præcepiſſe. Neceſſarium igitur, ut epiſcopi, & presbyteri ſancti ſint: non neceſſarium, ut cœlibes vivant (*d*). IV. Dixerat Apoſtolus (*e*): *melius eſt enim nubere, quam uri*. Ecquid ad cœlibatum, & orationem exhortatus Corinthios non eſt (*f*)? V. Apoſtoli numquam uxores dimiſere, & Petrus ſive quum Antiochiam, ſive quum Romam contendit, tum conjugem, tum filiam Petronillam ſecum tulit (*g*). Quo ſane ſpectavit Paulus (*h*): *numquid non habemus poteſtatem mulierem ſo-*

---

cularis, cui ſacerdotalis caſtitas inviſa nimium fuit, conjicitur tum ex eo, quod præmiſit: *la carità Chriſtiana, la compaſſione verſo gl' infelici, il noſtro proprio tormento, ſono ſtati i motivi, che ci hanno indotto a dare al publico queſto libro* &c. tum ex iis, quæ *Part.* I. *pag.* 80. *& ſeq.* habet: *io non ſo, ſe Dio m' abbia chiamato al ſacerdozio, o no: ma io ſo, che a motivo della forte inclinazione, che egli mi ha data per il matrimonio, ricuſavo conſtantemente di eſſer prete: contuttociò ad onta delle mie reſiſtenze, i miei ineſorabili genitori hanno vinta la battaglia. Eſſi ſe ne pentono adeſſo* &c.

(*a*) *Part.* I. *cap.* I. *pag.* 1. *& ſeqq.*
(*b*) *Ibid. cap.* II. *pag.* 11. *& ſeqq.*
(*c*) *Ibid. cap.* II. *pag.* 27. *& ſeq.*
(*d*) *Ibid. cap.* III. *pag.* 40.
(*e*) I. *ad Corinth.* VII. 9.
(*f*) *Ibid. cap.* IV. *pag.* 45. *& ſeqq.*
(*g*) *Part.* II. *cap.* VIII. *pag.* 7. *& ſeqq.*
(*h*) I. *ad Corinth.* IX. 5.

ſororem circumducendi, *ſicut & ceteri Apoſtoli*, *& fratres Domini*, *& Cephas?* VI. Conjugati plerumque majori pollent conſilio, & rerum experientia. Quare ipſe Paulus Eccleſiis præficiendos mandat conjugatos, non cœlibes. A vero autem abhorret Hieronymus, ratus Joannem præ aliis a Chriſto diligi, eo quod virgo eſſet; quum potius ſingularis illa dilectio præmaturum præmium eſſet fidelitatis, quam Joannes erga Magiſtrum ſuum ad mortem uſque erat conſervaturus (*a*). VII. Beatiorem putavit Apoſtolus ſtatum cœlibatus, ſcribens ad Corinthios (*b*): *exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem*, h. e. propter perſequutiones, ne in iis non ſolum epiſcopi, & presbyteri, ſed eorum etiam uxores ad necem peterentur. Hac de cauſſa Græci nubendi libertatem ſibi conſervarunt, eo quod in Oriente nec acerbior umquam, nec frequentior gladius ſæviit perſequutionis. In hac igitur pace Eccleſiæ, non adeo incongruæ Eccleſiaſticis forent nuptiæ (*c*). VIII. Memorantur in veteribus monumentis *epiſcopæ*, *presbyteræ*, nedum *diaconiſſæ*, *& ſubdiaconiſſæ*, uxores ſcilicet Eccleſiaſticorum. Quænam igitur hodierna hæc novitas (*d*)? IX. Anonymus tandem in ſuæ ſententiæ præſidium ad Abbatem provocat, vulgo *S. Petri* (*e*), cujus univerſum ſyſtema in his vertitur, h. e. ſi Eccleſiaſticis connubia permitterentur, & Regna facile ſubditis adimpleri, & Regibus benemoratos fore cives, & Eccleſiæ majorem fidelium numerum comparari (*f*). X. Tum exemplo Petri, qui fuit conjugatus, uxores concedit Epiſcopis omnibus, Cardinalibus, & Romano Pontifici, eo quod non tenentur perfectiores eſſe ipſo Pe-

(*a*) *Ibid. cap.* VIII. *pag.* 16. *& ſeqq.*
(*b*) I. *ad Corinth.* VII. 26.
(*c*) *Ibid. cap.* IX. *pag.* 39. *& ſeqq.*
(*d*) *Ibid. cap.* IX. *pag.* 44. *& ſeq.*
(*e*) Carolus Irenæus in Caſtro *de Saint-Pierre* in Northmannia natus eſt an. 1658. & an. 1743. Pariſiis deceſſit. Scripſit *Annales politiques*, & *Diſcours ſur la Polyſynodie*.
(*f*) *Ibid. cap.* XII. *pag.* 119. *& ſeq.*

Petro; atque exemplo miniſtrorum Proteſtantium, qui familiæ ſimul, & Eccleſiæ bene præſunt, idem per Eccleſiaſticos Catholicos ſimul bene præſtari poſſe concludit (*a*).

§. V. *Contemnuntur*.

QUAM fatua tamen Scriptoris malignitas! quam magna fatuitas! Nec enim alia mente, quæ ſæculum concoquet, effutitque, vobis propono, Adoleſcentes, niſi ut & fatuis ſapientiam, & malignis probitatem opponatis. I. Neminem Eccleſia cogit ad ſui miniſterium, nec patitur quemquam ad ſubdiaconatum, cui votum adnectitur caſtitatis, accedere, niſi annum XXII. attigerit: qua ætate facile quis, quid ſibi conveniat, cognoſcit. Sapienter autem miniſtros ſuos cœlibes eſſe mandavit, ut nempe ſancta ſancte adminiſtrentur. Si cui interea onus caſtitatis intolerabile videtur, ſe potius, non Eccleſiaſticam legem accuſet, memoretque non eſſe homini *impoſſibile* donum illud; *quum*, ut ait Tridentinum (*b*), *Deus id recte petentibus non deneget*, *nec patiatur nos ſupra id*, *quod poſſumus*, *tentari*. Porro Eccleſia poteſtate, qua pollet, ad ſanctitatem ſacri miniſterii, non ad laxitatem fovendam, uti debet (*c*). II. Non quod ſacra-

---

(*a*) *Ibid. cap.* XII. *pag.* 122. *& ſeq.*

(*b*) *Seſſ.* XXIV. *de ſacr. Matr. can.* 9.

(*c*) Philippus Melancthon, Lutheri diſcipulus, Epiſtolam ad Henricum VIII. qui ſeceſſionem a Rom. Eccleſia fecerat, ex Francofurto an. 1539. miſit, rogans, ut *excuſſa Rom. epiſcopi tyrannide*, cœlibatum etiam Eccleſiaſticorum tolleret. (Extat apud Burnet *Hiſtor. Reform. Eccleſ. Anglic. Tom.* I. inter *Addenda pag.* 249. *& ſeqq. Genev.* 1689.). Legati Principum Germaniæ Epiſtolam aliam an. 1538. Regi eidem, inter cetera rem eamdem precantes, obtulerunt, eo quod cœlibatus ſit *contra Scripturam*, *contra leges naturæ*, *& contra omnem honeſtatem*. (Extat *ibid.* apud *cit.* Auctorem *pag.* 252. *& ſeqq.*). Quid ad hæc Henricus? Retinendum illum reſpondit, optimumque eſſe probavit ex Scripturis, Patribus, & ratione (*Ibid. pag.* 261. *& ſeqq.*).

ſacramentum Matrimonii opponatur ſacramento Ordinis, ſed quod cœlibatus magis conveniat ſtatui ſacerdotali, Eccleſia miniſtris ſuis caſtitatem injunxit. Sane olim, quo modo ſuperius dictum eſt (*a*), nonnulli ex epiſcopis, & presbyteris fuerunt conjugati. Verum Eccleſia dilatandæ, conſervandæque fidei intenta, nec prævere omnia, nec rebus ſingulis conſulere poterat. III. Vult quidem Deus quemlibet Chriſtianum ad ſanctitatem adſpirare, ſed intra certos tamen fines: conjuges ſcilicet, prout conjugalis fert ſtatus; Eccleſiaſticos autem miniſtros, qui Deo caſtitatem voverunt, ſervata prorſus lege cœlibatus. Secus, dicendum eſſet aut non tenuiſſe votum, quod emiſerunt, aut nihil de adimplendo eodem eſſe curandum. IV. Adlato Apoſtoli textu maxime freti Novatores, relaxationem voti caſtitatis enixe flagitarunt. Tridentini Patres nihil quidquam eis iſthac in re obſecundandum duxerunt. Quoniam Paulus non de iis, qui in ſacris ordinati divino ſe miniſterio manciparant, ſed de *non nuptis*, & *viduis*, quæ ſeſe continere non poterant, loquutus eſt (*b*). V. Dictum ex Hieronymo (*c*), ſolum Petrum ex Apoſtolis fuiſſe conjugatum. Eſto, id etiam de aliis verum fuerit! Certe, ex quo ii Chriſtum ſequuti ſunt, ab uxoribus perpetuo abſtinuere. Unde illud Petri (*d*); *ecce nos reliquimus omnia*, & *ſequuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* Cui Dominus (*e*): *omnis*, *qui reliquerit domum*, *vel fratres*, *aut ſorores*, *aut patrem*, *aut uxorem* &c. In quæ ita Hieronymus (*f*): *adſumti in Apoſtolatum*, *relinquunt officium conjugale*. Unde id etiam ſequitur, numquam Petrum ſecum uxorem tuliſſe (*g*), ſed religioſas

(*a*) *Pag.* 209.
(*b*) I. *ad Corinth.* VII. 8. & *ſeq.*
(*c*) *Supr. pag.* 210.
(*d*) *Matth.* XIX. 27.
(*e*) *Ibid. v.* 29.
(*f*) *Lib.* I. *adverſus Jovin.*
(*g*) Ne nomen quidem uxoris Petri certum accepimus. *Concordiam*, vel *Perpetuam* vocatam fuiſſe quidam opinantur.

Cle-

ſas tantum quaſdam mulieres, quæ loco ſororum habebantur, ſe ei, aliiſque Apoſtolis, ſocias addidiſſe, ſive ut victum pararent, ſive ut faciliorem præſtarent Evangelii prædicationem iis in locis, quæ unis mulieribus patebant (*a*). VI. Ipſa plerumque ætas, & agendarum rerum frequentia, non vero per ſe conjugium, hominem prudentiorem reddit. Et vero Paulus epiſcopum *unius uxoris virum* deſiderat (*b*), non quidem *abſolute*, ut nemo ſcilicet in epiſcopum ſeligatur, niſi uxorem habeat; ſed *conditionate*, ut nempe, ſi opus eſſet, (quod primo eo Eccleſiæ tempore facile uſuveniebat), digniorem aliquem ad Epiſcopatum promovendum, qui tamen uxorem habuerit, non inde eam is ob cauſſam repellatur, dummodo *unius uxoris* vir ſit, conſervetque ideo ſymbolum unionis Chriſti cum una Eccleſia. Nec vero hujus, aut alterius Doctoris, ſed Eccleſiæ ipſius ſententia eſſe videtur, Joannem nempe, utpote virginem, Chriſto præ ceteris amari. Sic enim illa in feſto ejus die: *diligebat autem eum Jeſus, quoniam ſpecialis prærogativa caſtitatis, ampliore dilectione fecerat dignum: quia virgo electus ab ipſo, virgo in ævum permanſit*. VII. Quum multa antea de Matrimonio diſſeruiſſet Apoſtolus, tum de virginibus quædam propoſiturus, *hic bonum eſſe* inquit, *propter inſtantem neceſſitatem*, videlicet ut omnes, ſive uxorem habeant, necne, impenſe Domino ſerviant, ſcientes, quod *præterit figura hujus mundi*, & brevi neceſſe ſit ad aliam vitam demigrare. Ubinam hic de perſequutionibus, quas præterea, ut ſuæ cauſſæ ſerviat Anonymus, raro etiam in Oriente exarſiſſe

---

Clementis Alexandrini auctoritate freti Fleuryus, Orſius, aliique, martyrem fuiſſe tradunt. Quod vero ad Petronillam pertinet, Baronius *Annal. Eccleſ.* ann. Chriſt. 69. *num.* 33. ſatis probavit, eam non naturalem, ſed ſpiritualem Petri filiam fuiſſe.

(*a*) Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. ſæc.* IV. *Diſſ.* XIX. *Prop.* III. *Object.* 10.

(*b*) I. *ad Timoth.* III. 2.

ſiſſe comminiſcitur? VIII. Monitum (*a*), uxores epiſcoporum, presbyterorum, aliorumque miniſtrorum, apud Græcos in monaſterium ſecedere, apud Latinos loco ſororum eſſe conſueviſſe. Dictæ autem *epiſcopæ*, *presbyteræ* &c. a gradu, ad quem ipſarum viri, earumdem conſenſu, promovebantur (*b*). IX. Singulæ fere gentes populoſæ ſunt. Et vero præter milites, qui, ut armis ſolummodo incumbant, nuptiis interdici ſolent, innumeri etiam ex privatis cœlibes ſunt. Ecquid hi ſobolem non curant? Quo vero cives evadant moratiores, non liberi ab Eccleſiaſticis ſuſcipiendi, ſed ab aliis ſuſcepti antiqua ſeveritate educandi, aut ſeveritatis ſaltem opinione puniendi. Numerus demum Clericorum nimis hodie excreſcere viſus eſt. Eccur ampliorem cupis? X. Ita melius ratiocinaberis: Petrus, ut Domino adhæreret, uxorem dimiſit: nonne turpius, ut tu, poſtquam Domino adhæſiſti, nuptias concupiſcas? Jamvero accepimus, inter miniſtros Proteſtantes eos quoque magis populo probari, qui cœlibes ſunt. Adeo verum eſt, in miniſterio Eccleſiaſtico non ſpectandum eſſe, an cura familiæ cum regimine Eccleſiæ conjungi poſſit; ſed deſiderandum, ut ſanctitas miniſtri ſanctitati officii quam proxime accedat!

§. VI. *Polygamia* ſucceſſiva, *non* ſimultanea *permiſſa eſt. Quomodo veteribus Patriarchis plures ſimul habere licuit uxores, inveſtigatur.*

Porro ex bono fidei, (quod alterum eſſe diximus Matrimonii bonum), unitas commendatur nuptiarum, proindeque reprobatur polygamia. Circa quam nonnulla ſunt diſtinguenda. I. Polygamia alia *ſucceſſiva* dicitur, quum decedente alterutro conjuge, alter ad ſecundas tranſit nuptias; *ſimultanea* alia, quum ſcilicet uni viro

(*a*) Supr. pag. 210.
(*b*) Gonzalez *Comment. in* cap. *ſane* VI. Extr. *de converſ. conjug.*

viro plures uno tempore ſunt uxores (*a*). II. Contra Montaniſtas, & Novatianos, ſenſit quidem Eccleſia, ſecundas (*b*) nuptias minime eſſe illicitas (*c*), quemadmodum Apoſtolus edixerat (*d*): *ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri: ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro*. Et alibi (*e*): *quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult, nubat: tantum in Domino*. Verumtamen ex conſilio ipſius Apoſtoli, qui *beatiorem* adpellavit ſtatum viduitatis (*f*), exoptavit ea ſemper, ut iiſdem Fideles abſtinerent. Quare Hieronymus (*g*): *ego etiam nunc libera voce proclamo, non damnari in Eccleſia digamiam, immo nec trigamiam; & ita licere quinto, & ſexto, & ultra, quomodo & ſecundo marito nubere: ſed quomodo non damnantur iſtæ nuptiæ, ita nec prædicantur. Solatia miſeriæ ſunt, non laudes continentiæ* (*h*). III. Polygamia *ſimultanea* repu-

---

(*a*) Numquam licuiſſe, ut uni feminæ plures eſſent viri, probat Auguſtinus *lib. de bono conjug. cap.* 17. *n.* 20. eo quod maxime id repugnat primario fini Matrimonii, qui eſt bonum prolis.

(*b*) *Secundarum* nuptiarum nomine, tertiæ, quartæ, & ulteriores continentur, ut optime advertit Gothofredus in Tit. Codicis *de ſecundis nuptiis*.

(*c*) Hieron. *Epiſt. XI. ad Ageruchiam de monogam.* refert ſe, (an. Ch. 384. Valentiniano II. imperante), plebejum hominem vidiſſe, qui, quum XX. habuiſſet uxores, iterum aliam, cui XXII. fuerant viri, adclamante plebe, domum ducebat. Exitum Romani expectabant: & mortua demum uxore, vir ſuperſtes, coronam capite, manu palmam geſtans, tamquam victor, eam ad tumulum ſequutus eſt. Adite etiam *le Beau in Contin. Stor. degl' Imper. Tom.* XVIII. *pag.* 194. (*Siena* 1777.).

(*d*) *Ad Rom.* VII. 3.

(*e*) I. *Ad Corinth.* VII. 39.

(*f*) *Cit. loc. ad Corinth. v.* 40.

(*g*) *Apolog. lib. adv. Jovin.* ſeu *Epiſt.* 30. *ad Pammach.*

(*h*) Prioribus ſæculis in Eccleſia Græca ſeverior pœnitentia iis, qui iterum nubebant, imponebatur. Eam deſcribit Baſilius *Epiſtol. Canonic. ad Amphiloch. Can.* 4. apud Labbeum *Tom.* II. *Concil.*

pugnat primævæ conjugii inſtitutioni. Poſtquam enim tradidit Moyſes, unum Adamum cum una Heva conjunctum fuiſſe, ſubjecit (*a*): *quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*. Quo ſpectavit Chriſtus, quum referens Moyſis verba, concluſit (*b*): *itaque jam non ſunt duo, ſed una caro*. Ad rem præclare ipſe Hieronymus (*c*): *etiam de Paradiſo expulſus Adam, unam uxorem habuit. Primus Lamech maledictus, & ſanguinarius, & de Cain ſtirpe deſcendens, unam coſtam diviſit in duas*. IV. Conſtat tamen, Veteribus, qui ante Legem, ſive tempore Legis vixere, puta, Abrahamo, Jacobo, Davidi, aliiſque, plures fuiſſe concubinas, ſeu uxores (*d*). Et quidem nonniſi ex divina diſpenſatione (*e*); ſive ad ſo-bo-

---

(*a*) *Geneſ.* II. 24.
(*b*) *Matth.* XIX. 6.
(*c*) *Epiſt.* V. *ad Salvinam de ſervanda viduitate*.

(*d*) *Concubinarum* nomine non hic veniunt mulieres domi retentæ, quarum uſum lex civilis aliquando permiſit, Canones ſemper abhorruerunt; ſed legitimæ quædam uxores, minori cum ſollemnitate ductæ, & ad ſuſcipiendam tantum prolem admiſſæ, quæ inferiores erant uxore præcipua, *ancillæ* propterea etiam dictæ, quarumque filii non ad hereditatem paternam, ſed ad legata quædam vocabantur. Hujuſmodi fuerunt Agar, Cethura, Bala, Zelpha, aliæque, quæ apud Geneſim modo *uxores*, modo *concubinæ* nominantur. Nec aliter dicendum de concubinis Salomonis, ob quas, non prout illegitimas uxores, ſed ut ex Gentibus ductas, & quæ eidem cauſſa fuerunt apoſtaſiæ, ille in Scripturis reprehenditur. De iiſdem pariter accipiendus eſt Canon Concil. Toletani apud Gratianum Can. *is qui* II. *Diſt.* 34.

(*e*) Veſtigium hujuſce diſpenſationis adparet, ubi *Gen.* XXI. 12. dixit Dominus ad Abraham: *omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus*. Dixerat autem Sara ad Abraham *cap.* XVI. 2. *ecce concluſit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios*. Quinimmo communem inde eam fuiſſe conſuetudinem apud Hebræos, innuit ipſe Deus, ubi inquit ad Moyſen *Deuter.* XXI. 15. *ſi habuerit homo uxores duas* &c. Neque dicendum, toleratam eam po-

bolis multiplicationem: unde Auguſtinus (*a*): *eo tempore*, *quando multiplicandæ poſteritatis cauſſa plures uxores lex nulla prohibebat*; ſive ad myſterium aliquod ſignificandum: quaproter Paulus (*b*): *Abraham duos filios habuit*, *unum de ancilla*, & *unum de libera* . . . *hæc enim ſunt duo teſtamenta* (*c*). V. Verum, quum polygamia adverſetur juri naturali, & primævæ Matrimonii inſtitutioni, ut dictum eſt; qua ratione, inquies, ea in re a Deo potuit diſpenſari? Sane, quæ natura intrinſece mala ſunt, &, ſecluſa etiam divina prohibitione, *inſeperabilem* habent turpitudinem, nulla diſpenſatione honeſtari poſſunt, eo quod per ſe turpia dominio Dei non ſubjiciuntur, cujuſmodi eſt idololatria, luxuria, *&c.* Quæ vero non repugnant primario naturæ fini, ſed natura mala eſſe dicuntur, eo quod naturali inclinationi conſentanea non ſunt; ea certe, quibus malitia non ex ſe *inſeparabilis* eſt, ſed ex voluntate Auctoris naturæ, nova ejuſdem diſpenſatione, ob novas temporum, & locorum circumſtantias, honeſta evadunt. Hujuſmodi eſt uxorum *pluralitas*, quæ, licet contraria aliis Matrimo-

potius fuiſſe. Numquam enim facinus ejuſmodi a Prophetis objectum Judæorum genti deprehendimus. Quare merito Innocentius III. in cap. *gaudemus* VIII. Extr. *de divortiis*: *proteſtamur*, *quod nulli umquam licuerit inſimul plures uxores habere*, *niſi cui fuit divina revelatione conceſſum*.

(*a*) *Lib.* XVI. *de Civit. Dei cap.* 38. Idem adfirmavit Chryſoſtomus *Homil.* 56. *in Gen. num.* 3.

(*b*) *Ad Galat.* IV. 22. & *ſeqq.*

(*c*) Ceſſante duplici hac ratione, nemo non videt per legem Evangelicam ceſſaſſe etiam hujuſmodi privilegium. Quare ſummum nefas fuit Lutheri, Melancthonis, aliorumque, Philippo Landgravio Haſſiæ, ſuperſtite adhuc ejus uxore Chriſtina, Georgii Saxoniæ Ducis filia, alteram permittere, h. e. Margaritam *de Saal*. Adite Boſſuetum in *Hiſtor. Variat. Tom.* II. *lib.* VI. ubi & *Inſtructionem*, quam Landgravius Martino Bucero dedit ad hanc veniam a Luthero obtinendam, & *Conſultationem*, quam per diſcipulum Melancthonem Lutherus ſcripſerat, retulit.

monii commodis, ac finibus, non eſt tamen contra præcipuum illius bonum, ſeu, ut inquit Auguſtinus (*a*), *contra naturam nuptiarum*. Nimirum, ut idem monuit (*b*), *plures feminæ ab uno viro fætari poſſunt, una vero a pluribus non poteſt*.

§. VII. *Multiplici jure Matrimonium eſt* indiſſolubile, *præcipue tamen ex ratione ſacramenti*.

Tertium denique Matrimonii bonum eſt *indiſſolubilitas*. Naſcitur ea I. quidem ex jure ipſo naturali, ſive ut animorum, corporumque conjunctio, in individua vitæ ſocietate arctius, ac certius conſervetur, qua in re natura Matrimonii ſita eſt; ſive ut certæ proli, ejuſque neceſſariæ educationi provideatur, qui quidem finis eſt nuptiarum (*c*). II. ex ipſa ſui inſtitutione, quum Adamus e ſomno, in quo Deus coſtam ab illius latere extractam in mulierem ædificarat, excitatus pronuntiavit (*d*): *hoc nunc os ex oſſibus meis... quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una*. Quod & Tridentinum etiam confirmavit (*e*). Tum III. ex jure

(*a*) *Lib. de bono conjug. cap.* 17. *num.* 20.

(*b*) *Ibid. cit. loc.*

(*c*) Dices: aliquando conjuges diſcordes inter ſe ſunt, aut nulla iis ſuſcipiendæ prolis ſpes eſt, ob ægritudinem, ſenectutem, captivitatem. Ecquid non ſolvitur tum Matrimonii vinculum? At enim I. in omnibus legibus divinis, humaniſque, attendendum quod omnibus proſit, non quod aliquibus per *accidens* noceat. II. Semper aliquid inde commodi nihilominus habetur. Nam in ſterilibus ni officium naturæ, aut remedium eſt infirmitatis, aut individua vitæ ſocietas. Ex diſcordibus proles etiam ſuſcipi poteſt. Finge vero ob aliquod ejuſmodi incommodum facultatem dari conjugibus ſeſe invicem dimittendi! Qui inde in familiis motus? Quæ in Republica turbatio?

(*d*) *Geneſ.* II. 23. *& ſeqq.*

(*e*) *Seſſ.* XXIV. *in doctr. de ſacr. Matr.*

jure divino, quod ſtatuit Chriſtus iis verbis (*a*): *quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Quo ſpectavit quoque Apoſtolus (*b*): *iis autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere*. Attamen, ſi verum amamus, ex ratione potiſſimum ſacramenti majorem Matrimonio firmitatem accedere dicendum eſt. Unio enim perpetua, atque *indiſſolubilis* Chriſti cum Eccleſia, perfectius, ac nobilius in Matrimonio Fidelium exprimitur. Quare Auguſtinus (*c*): *non tantum fœcunditas, cujus fructus in prole eſt, nec tantum pudicitia, cujus vinculum eſt fides; verum etiam quoddam ſacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis, unde dicit Apoſtolus*: viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam. *Hujus procul dubio ſacramenti res eſt, ut mas & femina connubio copulati, quamdiu vivunt, inſeparabiliter perſeverent*. Et Eugenius IV. (*d*); *tertium* (bonum), *indiviſibilitas Matrimonii, propter hoc, quod ſignificat indiviſibilem conjunctionem Chriſti, & Eccleſiæ*.

§. VIII. *Quibus in cauſſis, & quonam modo Matrimonium ſolvi poſſit, nec ne, diſcutitur*.

MULTA hoc loco explicanda. I. Verum, ac legitimum eſt Matrimonium inter infideles, & licet *ſtricte* ſacramentum non ſit, latiore tamen ſenſu *ſacramentum conjugii* ab Innocentio III. vocatur (*e*), prout nempe ſignum eſt unionis Chriſti cum Eccleſia. Si autem, ut inquit idem Innocentius (*f*), *alter infidelium conjugum* *ad*

(*a*) *Matth*. XIX. 6.
(*b*) I. *ad Corinth*. VII. 10.
(*c*) *Lib*. I. *de nupt. & concup. cap*. X. *num*. 11.
(*d*) *In Decret*. ſeu *Inſtruct. Armenorum*.
(*e*) In cap. *gaudemus* VIII. Extr. *de divort*.
(*f*) In cap. *quanto* VII. Extr. *de divort*.

Digitized by Google

ad fidem Catholicam convertatur ; altero vel nullo modo , vel ſaltem non ſine blaſphemia divini nominis , vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente (*a*) ; fideli ad alias nuptias tranſeundi (*b*) facultas permiſſa eſt (*c*). Rationem ipſe Pontifex adſignat

(*a*) Quid ſi unus ex fidelibus conjugibus in hæreſim , aut Gentilitatem labatur? Non rumpi vinculum reſpondit olim Innoc. III. in *cit.* cap. *quanto* VII. Extr. *de divort.* & definivit poſtea Tridentinum *Seſſ.* XXIV. *de ſacr. Matr. Can.* 5. Quid deinde, ſi uterque conjux fidem amplectatur? Remanent etiam conjuncti, inquit in *cit.* cap. *gaudemus* idem Pontifex, *quum per ſacramentum Baptiſmi non ſolvantur conjugia, ſed crimina dimittantur*.

(*b*) Vinculum non rumpitur, quum infidelis baptizatur, ſed quum alteras init nuptias. Quare ſi baptizato infideli, & nondum contracto iterum matrimonio, conjux altera ad fidem etiam devenerit, priorem in infidelitate conjugem ipſe *recipere compelletur*, ut ait Innoc. III. in *cit.* cap. *gaudemus* VIII. *de divort.* Quod non ita eſſet, ſi uxor amplius non fuiſſet. Ex his habes. I. Vir infidelis, ad fidem converſus, uxorem duxit. Statim hac decedente, prior uxor ab infidelitate fidem quoque amplexa eſt. Haud ille ad eam, tum fidelem, accedere tenetur, ſoluto ſemel vinculo prioris Matrimonii. II. Infidelis conjux baptizatus haud alias contraxit nuptias. Quæ in infidelitate remanſit, alteri nupſit. Nunc eadem baptizata, ab altero hoc ſeparanda eſt. Remanente enim adhuc vinculo cum priore viro, non potuit ad alias nuptias in infidelitate convolare. Solvendi enim Matrimonii privilegium fideli ob periculum ſubverſionis, non infideli datum eſt. III. Fideli nuptias contrahente, vinculum ex parte etiam infidelis rumpitur, ut valide iterum nubat in infidelitate.

(*c*) Dixerat Paulus I. *ad Corinth.* VII. 12. *ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Quibus verbis non divinum, ſed Apoſtolicum dumtaxat mandatum adparet contineri. Congruum quippe eo tempore videbatur, ut fidelis ab infideli non diſcederet, modo hæc pacifice, & ſine contumelia Creatoris cum eo habitare voluiſſet: tum ob ſpem Chriſtianæ inſtructionis, & converſionis, tum ne ab amplectenda fide pagani avocarentur. Contra Concilium Tolet. IV. Can. 62. an. 633. voluit, ne fideles uxores cum viris Judæis, nondum

gnat (*a*): *nam etſi Matrimonium ſit verum*, *quod inter infideles exiſtat*, *non eſt tamen ratum*, ſeu non habet eam firmitatem, ac perfectionem, quæ in Matrimoniis Fidelium reperitur (*b*). II. Per *libellum repudii* (*c*), conjugale vinculum apud Hebræos, Deo ſic diſpenſante, ſolvebatur. Unde qui, rite dimiſſa uxore (*d*), aliam ducebant, non

---

dum ad fidem converſis, remanerent, ob periculum ſcilicet ſubverſionis. Adulta itaque Eccleſia, & ſpe haud plerumque adfulgente converſionis, uſu illicita facta eſt cohabitatio conjugis fidelis cum infideli, quæ renueret converti, pacifice autem, & ſine fidei detrimento converſari promitteret.

(*a*) *Cit.* Cap. *quanto*.

(*b*) Matrimonium vel infidelium eſt, & dicitur *verum*, aut *legitimum*; vel Fidelium, atque hoc vel *ratum* eſt, vel *conſummatum*. Differunt in gradu dumtaxat perfectionis, & roboris. Nam *verum* ſolvitur, ſi alteruter conjux ad fidem veniat, & vivens cum infideli periculum incurrit ſubverſionis: ſolvitur etiam *ratum* per ſollemnem religionis profeſſionem: numquam vero, niſi ſola morte, *conſummatum* diſſolvi poteſt. Ratio adducitur ab Innoc. III. in Cap. *debitum* V. Extr. *de bigamis non ord.* quod ſcilicet Matrimonium *ratum* ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia per caritatem, quæ ob grave peccatum amitti poteſt; *conſummatum* eamdem exprimit Chriſti unionem cum humanitate per Incarnationem, quam numquam ipſe erit dimiſſurus.

(*c*) Hujuſmodi fuiſſe forma *libelli repudii* creditur: *ego dedi ei libellum repudii in manu*, *ſchedam abſciſſionis*, & *ſignaculum diviſionis*, *ut ſit a me abjecta*, & *abeat quocumque voluerit*, *ducique poſſit ab omni viro*, *nec eam quiſquam prohibere præſumat*, *juxta Conſtitutiones Moyſis*, & *Iſrael*.

(*d*) Plura requirebantur. I. Non uxori marito, ſed marito dare uxori *libellum* licebat. II. Nec niſi in ſcripto, ut conſtaret dimiſſam fuiſſe ab alio mulierem, eamque alteri nubere non prohiberi. III. A publicis ſcribis *libellus* erat exarandus, ut ſedandæ iracundiæ viri quid temporis daretur, & ut ſcribæ ipſi, ſi legitima non foret dimiſſionis cauſſa, *libellum* non ſcriberent. IV. Repudiatæ uxori *libellus* dabatur, ut nulla adulteriis, aut litibus pateret via. V. Legitima cauſſa, *fœditatis* nomine (*Deuter.* XXIV. 1.) exprimebatur. Quælibet igitur erat turpitudo, gravis tamen, ſive animi, ſive corporis; quæ nec oportebat,

non ſolum tamquam adulteri puniri non poterant, ſed a peccato etiam excuſabantur. Ita Moyſes (*a*): *ſi acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam e domo ſua*. Si leges ſenſu obvio, ac naturali, ſemper ſunt intelligendæ; aperte videtur, non hoc loco tolerari repudium, tamquam minus malum, ſed ut licitum permitti: præſertim quum mox addatur (*b*), quod, ſi repudiata ab uno, ab altero etiam repudietur, *non poterit prior maritus recipere eam in uxorem*. Quæ non ita forent, ſi per *repudium* prioris Matrimonii vinculum minime ſolutum fuiſſet. Porro cauſſam diſpenſationis hujuſmodi habes a Chriſto, qui Judæis ea de re interrogantibus reſpondit (*c*): *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras*; ſeu, ut explicat Chryſoſtomus (*d*), ad præcavenda majora mala, & pericula uxorum, quas Hebræi ob duram eorum indolem ſæpiſſime interfeciſſent, ſi inviſas ſibi adacti fuiſſent retinere (*e*). III. Profeſſio etiam in adprobata Religione vinculum ſolvit Matrimonii *rati*, non autem *conſummati*, ut declararunt Alexander III. (*f*), & Innocentius III. (*g*); atque ipſum Tri-

bat, ut diſtincte in *libello* exponeretur. Videte Toſtatum, vulgo Abulenſem, in *cap.* XIX. *Matth. quæſt.* 52. 56. & *ſeqq.*

(*a*) *Cit. Deuter.* XXIV. 1.

(*b*) *Ibid.* v. 4.

(*c*) *Matth.* XIX. 8.

(*d*) Ita *Homil.* XXXII. in *cap.* XIX. *Matth. dimidium mali permiſit, vos dare libellum repudii, quia melius judicavit permittente lege Matrimonium ſolvi, quam odio compellente homicidium fieri*.

(*e*) Qui plura deſiderat, adeat Bellarminum *lib.* I. *de matr. cap.* XVII. *object.* 14. ubi reſpondens Bucero, multis probavit, Matrimonium apud Hebræos, quoad vinculum, ſolvi conſueviſſe.

(*f*) In Cap. *verum* II. & Cap. *ex publico* VII. Extr. *de converſ. conjug.*

(*g*) In Cap. *ex parte* XIV. Extr. *de converſ. conjug.*

Tridentinum ſub anathematis pœna definivit (*a*). Rationem reddidit ipſe Alexander III. (*b*), quod ſcilicet verba *erunt duo in carne una*, unde perfecta naſcitur *indiſſolubilitas*, dumtaxat de Matrimonio *conſummato* intelligenda ſint; ut proinde in *rato* non ſint adhuc conjuges *una caro* (*c*). IV. Nullo autem pacto per adulterium ſolvitur vinculum Matrimonii. De qua quidem re quamvis dubie olim ſcripſerit Auguſtinus (*d*), & contraria fuerit Orientalis Eccleſiæ praxis (*e*); hodie

(*a*) *Seſſ.* XXIV. *de ſacr. matr. Can.* 6.

(*b*) *Cit.* Cap. *verum*.

(*c*) Quædam advertas. I. A jure divino, quod traditione nobis innotuit, facultas hæc deſcendit, ſolvendi Matrimonium *ratum* per profeſſionem. II. Per ingreſſum unius in monaſterium ante conſummationem Matrimonii, non fit injuria alteri conjugi, qui forte erit invitus, teſte Alexand. III. in *cit.* cap. *verum*. Si enim poteſt alter, invito altero, periculo ſe mortis objicere, cauſſa martyrii, aut ob defenſionem patriæ, ecquid non poterit, perfectioris ſtatus ratione? III. Poſt *ratum* Matrimonium, conceditur ab Alexand. III. in *cit.* Cap. *ex publico* bimeſtre tempus alterutri conjugi ad deliberandum, utrum velit Religionem ingredi. Intra quod tempus ſi unus ita deliberavit, & conjugale debitum alteri interim negare, & Religionem ingredi tenetur. Qui vero in ſæculo remanet, commonendus eſt, velitne continentiam ſervare. Si nolit, expectare debet annum probationis, poſt quem juxta Trident. *Seſſ.* XXV. *cap.* 15. *de Regularibus*, ſollemnis profeſſio emittenda eſt. Immo ſi deſponſata puella fuerit duodennis, quum ipſa ex *cit.* Trid. *non ante* XVI. *annum expletum* profiteri poſſit, eatenus expectandum eſt. IV. Per ſuſceptionem denique Ordinis Epiſcopalis, aut ſacerdotalis, Matrimonium *ratum* non ſolvi declaravit Joan. XXII. Extravag. *antiquæ* Cap. unic. *de voto*.

(*d*) *Lib. de fide & operib. cap.* XIX. *num.* 35. *& lib.* II. *Retract. cap.* 57.

(*e*) Leges Civiles repudium adulterii cauſſa permiſere, ut patet ex *L. conſenſu* 8. C. *de repud.* & ex Chryſoſtomo, qui *Homil.* XIX. in illud Apoſtoli I. *ad Cor.* VII. 39. *mulier adligata eſt legi* &c. docens ſola morte diſſolvi nuptias, ea in re non leges Civiles, ſed Evangelicas, ſecundum quas Deus judicat, attendendas eſſe oſtendit. Præterea obſcura adhuc erat ſen-

die tamen, ob expreſſam Tridentini definitionem (*a*); amplius non licet dubitare (*z*).

§. IX.

---

tentia verborum Chriſti apud *Matth.* XIX. 9. *quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Et plerumque apud Græcos ita laudata verba accipiebantur, ut nulla ſcilicet ex cauſſa, ſed tantum ex adulterio, & dimitti priorem uxorem, & alteram duci liceret. Permiſſio itaque ex lege Civili, & mala Evangelici textus interpretatio, in cauſſa fuiſſe videntur, ut in Eccleſia Græca mos inoleverit, ex adulterii crimine novum iniri poſſe Matrimonium.

(*a*) *Seſſ.* XXIV. *de ſacr. matr. Can.* 7. qui ſic habet: *ſi quis dixerit, Eccleſiam errare, quum docuit, & docet, juxta Evangelicam, & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi . . . anathema ſit*. Statuitur igitur, *Evangelicam, & Apoſtolicam doctrinam* eſſe, quod per adulterium Matrimonium non diſſolvatur; a qua Romana Sedes numquam receſſit. Et ſane refert Benedictus XIV. *De Syn. Diœceſ. lib.* XVI. *cap.* XXII. *num.* 4. tempore, quo ipſe a Secretis erat Congr. Concilii, a Græco quodam catholico hoc dubium propoſitum fuiſſe, an permittendum ſibi eſſet ſecundam ducere uxorem vivente prima, quam ex cauſſa adulterii, in judicio probati, repudiaverat; eo quod apud Græcos ea praxis adhuc vigeret: & re mature diſcuſſa reſponſum fuit, id Greco illi minime licere. Præterea idem Benedictus XIV. in Conſtit. *etſi paſtoralis* an. 1742. exponens, quid Italo-Græcis credendum ſit, ubi §. 8. agit Matrimonio, *divortia quoad vinculum, & ſi qua de facto præceſſerunt, nulla* declaravit. Solent porro hoc loco quærere Theologi, an dogma fidei ſit, per adulterium Matrimonium ſolvi non poſſe. Conſentit Habert in *Tract. de matr. cap.* II. §. 6. & Tournelyus *de ſacr. matr. quæſt.* V. *art.* II. *concl.* 7. adſeverare non audet, eo quod Tridentini Patres Canonem principio conceptum cum anathemate in eos, qui contra ſentirent, in gratiam Græcorum, qui Venetæ Reipublicæ ditioni ſubjiciebantur, eo modo, quo extat, temperarunt. Ita interim rem capio, ita ſapio. Aliud eſt expreſſus, & *formalis* fidei articulus; aliud doctrina ipſa fidei. Ad primum requiritur *immediata*, & *directa* propoſitio Eccleſiæ, quæ, ut *Tom.* I. *pag.* 168. diximus, eſt *proponens* regula veritatis: quo pacto Tridentinum, ad fidei articulos adſerendos, Canones ſancivit, & anathema adjecit. Ad ſecundum ſufficit judicium Eccleſiæ, non *immediata* defi-

ni-

§. IX. *De ſollemnitatibus, quæ Matrimonium præcedunt, ac primo de ſponſalibus.*

His ita expoſitis, ad ſollemnitates, quæ Matrimonii celebrationem ſive præcedunt, puta, ſponſalia, proclamationes, conſenſus parentum; ſive comitantur, cujuſ-

---

nitione prolatum, ſed traditione, praxi, Fidelium conſenſu, Pontificiis Conſtitutionibus, non ad omnem, ſed ad particularem docendam Eccleſiam propoſitis, (cujuſmodi eſt *cit.* Conſtit. *etſi paſtoralis* ad Italo-Græcos directa), declaratum: qua ratione, ante expreſſam, & *immediatam* Concilii definitionem, doctrina catholica erat, non autem expreſſus fidei articulus, quod validum erat Baptiſma ab Hæreticis collatum. Hiſce poſitis, *cit.* Tridentini Canon *immediate* ſpectat Novatores, qui jactabant erraſſe Eccleſiam, docentem per adulterium vinculum Matrimonii haudquaquam diſſolvi. Quare hic *formalis* fidei articulus eſt, Eccleſiam hac in re neque erraſſe umquam, nec errare. Verba autem illa *juxta Evangelicam, & Apoſtolicam doctrinam*, licet neceſſario, non tamen *directe* poſita ſunt, ut proinde doctrinam fidei certam, non vero *explicitum* & *formalem* fidei articulum conſtituant. Manet igitur, *explicitum* eſſe fidei articulum, Eccleſiam hac in parte non errare; doctrinam autem eſſe catholicam, aut, ſi placet, *implicitum* eſſe fidei articulum, ab *explicito* dependentem, & cum eo connexum, per adulterium nempe vinculum matrimoniale abrumpi non poſſe.

(z) Judæi quacumque ex cauſſa, etiam leviſſima, uxores dimittebant, & alias præterea ducebant. Docuit autem Chriſtus, non dimittendam eſſe uxorem, niſi gravi de ratione, cujuſmodi eſt fornicatio, violatio ſcilicet tori conjugalis; mœchari verum illum, qui priore etiam juſte dimiſſa, aliam duceret. Ita ſemper Eccleſia ea Chriſti verba *Matth.* XIX. 9. intellexit: *quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Quare illa *niſi ob fornicationem*, ad priorem tantum orationis partem, ſeu ad *quicumque dimiſerit uxorem ſuam*; non ad poſteriorem, ſeu *& aliam duxerit*, referenda ſunt, perinde ac ob fornicationem & dimitti unam, & aliam duci liceret: quo pacto nonnulli falſo interpretati ſunt. Et ſane exceptionem illam *fornicationis* nec retulit Lucas XVI. 18. ubi inquit: *omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur.* Nec Marcus X. 11. ubi habet: *quicumque*

P 2 *dimi-*

juſmodi eſt voluntas contrahentium, & Parochi, ac teſtium præſentia, accedamus. Ac principio ſponſalia, a *ſpondendo* dicta (*a*), *ſunt mentio, & repromiſſio nuptiarum futurarum* (*b*). Ea ante ſeptennium ita nulla habentur, ut nec impedimentum *publicæ honeſtatis*, de quo inferius, producant (*c*). Poſſunt tum autem parentes ſponſalia pro filiis inire: ſed expectanda eſt legitima ætas, quæ eſt annorum XII. in feminis, XIV. in maſculis (*d*), velintne iis ſtare, aut ab iiſdem reſilire; *niſi forte carnis commixtio ante intervenerit* (*e*). Præterea nihil ad follemnitatem ſponſaliorum in Jure, aut a Tridentino ſtatutum eſt; ut proinde ex laudabili uſu Eccleſiæ (*f*), non ex mera neceſſitate, præter teſtes, Parochi

dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit. Nec Paulus, qui *Ad Rom.* VII. 3. ſic generatim pronuntiat: *igitur vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro*. Dicendum propterea, apud Matthæum exceptionem *fornicationis*, non de libertate aliam ducendi, ſed adulteram tantum dimittendi, omnino eſſe intelligendam.

(*a*) Mos Romanorum fuit, ut qui ſub cura, aut poteſtate puellam habebat, alteri in uxorem ſponderet. Quare qui ſpondebat, *ſponſor*: quæ ſpondebatur, *ſponſa*; ille, cui ſponderetur, *ſponſus* dicebatur.

(*b*) *L.* 1. *D. de ſponſal.*

(*c*) Alex. *III.* in Cap. *litteras IV.* & Cap. *acceſſit V.* Extr. de *deſponſ. impub.* Tum Clemens *III.* in Cap. *ad diſſolvendum XIII. cit. tit.*

(*d*) Huiuſmodi ætas ab utroque jure ad contrahendas nuptias definita eſt. Unde Matrimonium de præſenti ab impuberibus contractum, reſolvi in pura ſponſalia inquit Clemens III. in Cap. *tuæ* ult. *de deſponſ. impub.* Ceterum nonniſi *aliqua urgentiſſima neceſſitate interveniente, utpote pro bono pacis*, indulſit Nicolaus Pontifex in Cap. *ubi non eſt* II. Extr. *de deſponſ. impub.* ut paullo ante pubertatem, ſponſi conjungerentur, modo ſcilicet & aptitudo eſſet ad generandum, & malitia ſuppleret ætatem. Quam diſpenſationem ab epiſcopo etiam dari poſſe, tuetur Gonzalez *Comment.* in *cit.* Cap. *num.* 7.

(*e*) Alex. III. in Cap. *a nobis* VII. *cit. tit.*

(*f*) Baptiſmi, Ordinis, & Matrimonii candidatos certis quibuſdam ritibus Eccleſia duxit præparandos, exercendoſque, eo

chi etiam præſentia requiratur. Duplex denique eorumdem effectus eſt, impedimentum ſcilicet *publicæ honeſtatis*; & obligatio ſub gravi peccato ſtandi invicem promiſſis (*a*), dummodo ſane *rationabilis cauſſa* non aliter ſuaſerit (*b*). Cauſſæ autem ſolvendorum ſponſaliorum ſunt I. *mutuus diſſenſus*, qui tamen quodammodo ſit rationabilis (*c*). II. *fornicatio* (*d*), ex parte nempe innocentis, non vero fornicantis, ne ex crimine is commodum conſequatur. Quapropter pars delinquens, ſi altera velit, ad nuptias merito compelletur. III. *diuturna abſentia*, ſi ſcilicet, inſcia, & inconſulta ſponſa, in longinquas terras ſe ſponſus tranſtulerit (*e*); aut domicilium

eo quod novum vitæ genus amplectuntur. Quare ſponſalia tyrocinium quoddam ſunt ſtatus conjugalis: quo tempore curandum ſponſis, ut conjugatorum munera erudiantur, ad ſacramenti gratiam percipiendam comparentur, & conditiones, ſi quæ in ſponſalibus adpoſitæ ſunt, per ipſos adimpleantur. Auguſtinus *lib.* VIII. *Confeſſ. cap.* 3. aliam addidit rationem, ſcilicet *ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiraverit ſponſus dilatam*.

(*a*) S. Thom. in 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 2. *art.* 1. *ad* 2.

(*b*) Alex. III. in Cap. *ex litteris* X. Extr. *de ſponſ. & matr.* ſub excommunicationis pœna adſtrinxit ſponſum, ut ſponſam in uxorem duceret, niſi tamen in contrarium *rationabilis cauſſa extiterit*. Ceterum monitione potius, quam coactione, hac in re procedendum eſt, *maxime quam coactiones difficiles ſoleant exitus habere*; ut ad rem monuit Lucius III. in Cap. *requiſivit* XVII. *cit. tit.*

(*c*) Innoc. III. in Cap. *præterea* II. Extr. *de ſponſ. & matr.*

(*d*) Innoc. III. in Cap. *quemadmodum* XXV. Extr. *de jurejur.* tum quod ſub ea conditione promiſſio facta cenſetur, ne alteruter ſponſaliorum fidem frangat; tum quod ſi fornicatio conjugis juſta cauſſa eſt divortii, juſta quoque erit ſolvendorum ſponſaliorum.

(*e*) Si cauſſa diſceſſionis juſta fuerit, ex *L. ſi is* 2. *C. de ſponſ. & arr. ſponſ.* biennium intra provinciam; ex *L. liberum* 2. *de repud.* triennium extra provinciam expectandum puellæ eſt.

cilium alio tranſmutarit (*a*). Creditur enim juri ſuo renunciaſſe. Nec contra cogenda eſt ſponſa migrantem ſponſum ſequi, aut, incontinentiæ periculo, ipſius reditum diu expectare. IV. *tempus*, quod videlicet ad finiendam obligationem ſponſaliorum definitum, elapſum tamen eſt (*b*). V. *Ordo*, ſacer nimirum. Quod enim eſt Matrimonium ratum ad ſponſalia, id profeſſio ſollemnis eſt ad votum ſollemniter profitendi. Atqui per ſollemnem profeſſionem ſolvitur Matrimonium ratum, ut ſuperius (*c*) dictum eſt. Ergo per votum ſollemniter profitendi, ſponſalia etiam diſſolvi dicendum eſt (*d*). Idem dicas de ingreſſu in adprobatam religionem (*e*).

VI.

(*a*) Alex. III. in Cap. *de illis* V. Extr. *de ſponſ. & matr.* Diſcordes ſunt autem Canoniſtæ, quantum temporis legitime expectandum ſit, ut adpoſite notat Gonzalez in *Comment.* in *cit.* Cap. Prudenter tamen agere ur, ſi ſignificetur ſponſo, intra certum tempus ſibi redeundum eſſe: ſecus, ſui juris fore ſponſam.

(*b*) Argum. Cap. *ſicut* XXII. Extr. *cit. tit.* Dictum ad *finiendam* obligationem. Aliter enim dicendum, ſi ad ſtatuendam eamdem, vel ad ſtatutam exequendam, certum tempus adjectum eſſet. Puta; ſi quis ita promiſerit: *ducam Kalendis Auguſti*. Duplex eſt obligatio, ducendi altera, altera eo tempore ducendi. Si forte poſterior obligatio adimpleta non ſit, h. e. contractæ nuptiæ non ſint *Kalendis Auguſti*; adimplenda nihilominus manet prior obligatio, h. e. ducendi, ubi commode fieri poteſt, uxorem.

(*c*) *Pag.* 222.

(*d*) Quid, ſi ex ingreſſu in religionem, aut ex voto ſollemni, (non autem ex voto ſimplici perpetuæ caſtitatis, quo ſponſalia minime ſolvuntur, ut communiter tenent contra S. Thomam in 4. *Diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 3.), infamia timenda ſit ſponſæ, fortaſſe quod per ſponſum gravida facta ſit? Tum votum, haud Deo gratum, non obligabit.

(*e*) Alexander III. in Cap. *veniens* V. & Cæleſt. III. in Cap. *rurſus* VI. Extr. *qui Cler. vel vovent* &c. Nec Alex. III. ſibi idem contradicit in Cap. *commiſſum* XVI. Extr. *de ſponſ. & matr.* ubi *tutius* eſſe ſponſo adfirmat Matrimonium *contrahere*, *& poſtea*, *ſi elegerit*, *ad diſtrictionem religionis migrare*. Ibi enim ſponſus non commigrarat jam religionem, ſed migrare propoſuerat tantum, atque in ea deliberatione moras longius pro-

VI. *ſubſequens Matrimonium*, cum altero ſcilicet contractum (*a*). VII. *morbus*, gravis certe, aut etiam deformis mutilatio (*b*). VIII. *adfinitas*, de qua inferius, ſive ſit *carnalis*, puta, ſi ſororem ſponſæ ſuæ carnaliter ſponſus cognoverit (*c*); ſive *ſpiritualis* (*d*). IX. *fama publica*, inter eos nempe, qui nupturi ſunt, eſſe impedimentum. Quam ad rem unius *perſonæ gravis* teſtimonium ſatis eſſe adfirmavit Innocentius III. (*e*). X. *reclamatio*, quum ſcilicet qui impuberes promiſerunt, adveniente poſtea pubertate diſſentirent (*f*). Quæ quidem cauſſæ omnes hoc Diſticho continentur:

Diſſenſus, *crimen*, *tempus*, *&* *Ordo*, *ſecundo*,
Morbus, *&* *adfinis*, *vox publica*, *quumque reclamant*.

§. X. *De proclamationibus*, *&* *conſenſu parentum*.

PRÆCEDERE etiam Matrimonium ſolent proclamationes, & parentum conſenſus. De utriſque hoc loco. I. Proclamationes, quæ apud Germanos, & Gallos *banna*

protrahebat. Quare Pontifex *tutius* eſſe reſpondit, juratam ſponſaliorum fidem præſtare.

(*a*) Innoc. III. in Cap. *ſicut* XXII. & Gregorius IX. in Cap. *ſi inter* XXXI. Extr. *de ſponſ. & matr.* Intellige etiamſi ſponſalia fuerint jurata, ut *ibid.* advertit Pontifex, Idem ſtatuitur in Cap. *duobus* I. Extr. *de ſponſa duorum*. Finge vero mortuam uxorem, quacum quis, contra fidem ſponſaliorum, contraxerat. Teneturne is viventis adhuc ſponſæ promiſſis ſtare? Sane obligatio ſponſaliorum, ſemel ſoluta, numquam amplius reviviſcit.

(*b*) Urbanus III. in Cap. *litteras* III. *de conjug. leproſ.* & Innoc. III. in Cap. *quemadmodum* XXV. Extr. *de jurejur.*

(*c*) Innoc. III. in Cap. *fraternitati* VII. Extr. *de eo, qui cognov. conſang.*

(*d*) Innoc. III. in Cap. *veniens* VI. Extr. *de cognat. ſpiritual.*

(*e*) In Cap. *quum in* XXVII. Extr. *de ſponſ. & matr.*

(*f*) Alex. III. in Cap. *de illis* VII. Extr. *de deſponſ. impub.*

banna dicuntur, ſunt publicæ denuntiationes Matrimonii, inter certas perſonas ſequuturi. Eædem ni ex ſacramenti (*a*), ſaltem ex præcepti neceſſitate requiruntur. Unde ad exemplum Lateranenſis IV. (*b*), præcepit Tridentinum (*c*), *ut in poſterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus feſtivis, in Eccleſia inter Miſſarum ſollemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum* (*d*). Nimirum ut impedimentum, ſi quod ſit, innoteſcat (*e*), & malis, quæ inde ſequi poſſent, occurratur. Facultatem autem diſpenſandi a proclamationibus, ſive ut una pro tribus, ſive ut nulla fiat, ab eodem Tridentino habet Epiſcopus (*f*), & Præ-

(*a*) Irritum non eſt Matrimonium ſine præviis proclamationibus contractum, tum quod numquam id declaratur a Tridentino *Seſſ.* XXIV. *de matr. cap.* 1. quo pacto nullas fore nuptias clandeſtinas ſancitum eſt; tum quod ex eodem Tridentino quibuſdam in cauſſis ommitti poſſunt; tum quod a judicibus quandoque etiam nonnulli compelluntur ad ſtatim nuptias ſine proclamationibus ineundas cum muliere aliqua, quacum rem fortaſſe habuerunt.

(*b*) Can. 51. Et refertur in Cap. *quum inhibito* III. Extr. *de cland. deſponſ.*

(*c*) *Ibid. loc. cit.*

(*d*) De *proprio* Parocho paullo inferius. Illud ex Barboſa obſervat Van-Eſpenius *Juris Eccleſ. Part.* II. *tit.* XII. *cap.* 3. *num.* 9. denuntiationes hujuſmodi *fieri poſſe alio die, quam feſto, ſi ob aliquam ſollemnitatem in Eccleſia celebrandam, quamvis ſine feſto in populo, magnus ad Eccleſiam fiat populi concurſus.*

(*e*) Origo ſponſaliorum a conſuetudine eorum repetenda eſt, qui epiſcopos, & ſacerdotes conſulere ſolebant, antequam nuptias inirent, ne ſcilicet cum Judæo, aut cum hæretico quopiam contraherent. Quem morem deſignat Ignatius Martyr *Epiſt. ad Polycarp. num.* 5. & Tertullianus *lib.* II. *ad uxorem cap.* 9. Curavit proinde ſemper Eccleſia, ut ſi qua inter nubentes forent impedimenta, manifeſtarentur, & præcaverentur. Quare Van-Eſpenius *ſupr. cit. cap.* III. *num.* 12. probat non excuſari a peccato eum, qui impedimentum non revelet, eo quod *judicialiter* probare non poſſit.

(*f*) *Cit. Seſſ.* XXIV. *cap.* 1. Ibi pro legitima cauſſa diſpen-

& Prælatus inferior, qui juriſdictione gaudet quaſi Epiſcopali, *privative ad Epiſcopum*, ut ait Fagnanus (*a*). h. e. ſi præſit plebi, in quam nullam habet Epiſcopus juriſdictionem. II. Peccabunt quidem filii contra pietatem paternam, & *illicitas* contrahent nuptias, ignorantibus, & *rationabiliter* invitis parentibus, numquam tamen *invalidas*. Nec jure *naturali*, quod hominem, judicio, & ætate pollentem liberum eſſe jubet, in iis quæ perſonalem præſertim, ſtatum ſpectant (*b*). Nec *divino*, eo quod Eſau duxit tres uxores, Judith, & Baſemath (*c*), atque inde Maheleth (*d*); Jacob præter Rachelem, Liam quoque, Balam, aliaſque ſibi copulavit (*e*); & Tobias Saram accepit (*f*). Nec vero conjugia hujuſmodi, quæ inſciis ſaltem parentibus inita ſunt, infirmata propterea fuiſſe accepimus. Nec *Eccleſiaſtico*, quod a Tridentino non immutatum, ſed confirmatum, aut declaratum magis fuit (*g*), anathemate iis

penſandi adfertur *probabilis ſuſpicio*, *Matrimonium malitioſe impediri poſſe*. Non aliæ autem excluduntur, puta, ſi periculum adſit ſcandali, quum conjugibus ſimul habitantibus, & detecto interea impedimento dirimente, ſecreto conſenſus inter eos iterum renovandus eſt. Aut ſi infirmus morti proximus cum ea contrahere paratus ſit, cui fidem dederat, & ab ea prolem ſuſcepit. Ceterum quum *ibid.* Tridentinum *prudentiæ*, *&* *judicio* epiſcopi id reliquerit, gravis adeſſe debet cauſſa diſpenſandi a duabus, graviſſima ab omnibus. Nimiam hac in re veniæ facilitatem, præſertim in conjugiis nobiliorum, non autem pauperum, caſtigat more ſuo Van-Eſpenius *Jur. Eccl. Part.* II. *tit.* XII. *de ſponſ. & matr. cap.* III. *num.* 23. *& ſeqq.*

(*a*) In Cap. *quum inhibitio* III. *de cland. deſp. num.* 7.

(*b*) Matrimonia, vota, mutuum filiorumfamilias, non vero emancipatorum, ex jure Civili pater poterat irritare. Si eadem huic fuiſſet poteſtas ex jure naturali, ecquid non idem ei licuiſſet in emancipatos?

(*c*) *Geneſ.* XXVI. 34.

(*d*) *Geneſ.* XXVIII. 9.

(*e*) *Geneſ.* XXIX. *& ſeq.*

(*f*) *Tob.* VII.

(*g*) Antiquis quibuſdam Canonibus nullas, atque irritas pror-

iis incuſſo, qui adfirmarent (*a*) *Matrimonia a filiisfamilias ſine conſenſu patrum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe* (*b*).

§. XI. *De ſollemnitatibus, quæ Matrimonium comitantur, cujuſmodi conſenſus eſt contrahentium, & Parochi, ac teſtium præſentia.*

Ad ſollemnitates, quæ Matrimonium comitantur, tum contrahentium ipſorum conſenſum, tum Parochi, ac duorum, vel trium teſtium præſentiam diximus pertinere, de quibus ſigillatim. I. Ut malis, quæ ex clandeſtinis conjugiis oriuntur, provideretur; *qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio ſacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles* reddidit, *& hu-*

---

prorſus fieri nuptias filiorumfamilias ex defectu patrii conſenſus, tuetur Tournelyus de *ſacr. matr. quæſt.* VI. *art.* III. *concl.* 1. Theologi, ne adfingant Tridentino, a Veterum ipſum ſententia receſſiſſe, illorum verba non de Matrimonio per ſe *invalido*, ſed *illicito* coram Eccleſia, & in foro externo, communiter interpretantur. Quippe primitus non erant preſſæ rerum diſtinctiones, quæ deinde obtinuerunt. Sed eſto, ut placeet Tournelyo! Certe hujuſmodi Canones particularium Synodorum fuerunt, non Concilii cujuſdam Œcumenici. Ex quo fit, ut vera totius hac in re Eccleſiæ ſententia nondum fuerit per ea tempora certius cognita, & ubique recepta: quo pacto doctrina validitatis Matrimonii, ne per adulterium quidem diſſolvendi, aut alterius fidei capitis, non fuit olim diſerte declarata. Potuit itaque Tridentinum rem, de qua agimus, adcuratius perpendere, & Eccleſiæ ſenſum pro certo proponere.

(*a*) *Seſſ.* XXIV. *de matr. cap.* 1.

(*b*) Jure tamen Civili irrita declarantur Matrimonia, ſine conſenſu patrum contracta, ut fuſe in noſtris *Juris Imperialis Prælect.* Sed quis ignorat, Quiritium gentem patriæ in filios poteſtati plus æquo indulſiſſe, adeo ut & vendendi eos, necandique, aliquando etiam copiam fecerit? Verum de hac re in *cit. Prælect.*

& hujuſmodi contractus irritos, *& nullos eſſe* decrevit (*a*). Qua in re non materia Matrimonii, ſeu conſenſus contrahentium mutatus eſt, ſed eidem a legitima poteſtate modus, ſeu conditio, quam dicunt *ſine qua non*, adjecta eſt; ut ſcilicet non aliter præſtaretur conſenſus, niſi eo dumtaxat modo, h. e. præſente Parocho, ac teſtibus, qua conditione, aut modo non ita poſito, haud poſitus intelligeretur conſenſus (*b*). Quo pacto leges Civiles non mutarunt voluntatem teſtandi, quam quis ex jure Gentium habet de rebus ſuis diſponendi; ſed modum præfixerunt, quo voluntas ipſa declararetur, h. e. præſente ſeptenario teſtium numero. II. Parochi præſentia *moralis* eſſe debet, quæ ſcilicet ad actum humanum, (qui ſemper eſt cum rationis advertentia), requiritur. Quare nuptiæ coram Parocho dormiente, aut rei neſciente celebratæ, nullæ omnino dicendæ ſunt; ſive Matrimonii miniſter ſacerdos ſit, uti tradidimus (*c*), ſive ſint ipſi contrahentes, quod præ aliis placuit Fagnano (*d*). Semper enim verum erit, ea in occaſione nec legitimi eum miniſtri, nec teſtis perſonam ſuſtinuiſſe (*e*). Porro *proprius* adhibendus eſt Parochus ad Matrimonium contrahendum, is nempe, qui *proprius ſacerdos* dicitur (*f*) ad confeſſiones audiendas, & in cujus interim Parochia habitant ſponſi (*g*). Quod ſi alter in una, in altera pars altera nuben-

(*a*) *Seſſ.* XXIV. *de ſacr. matr. cap.* 1.

(*b*) Bened. XIV. Conſtit. *paucis abbinc* an. 1758.

(*c*) *Supr. pag.* 206.

(*d*) In Cap. *quod nobis* II. Extr. *de cland. deſp. num.* 49. *& ſeqq.*

(*e*) Quid, ſi coram Parocho invito, & per vim adhibito, ſponſi invicem contrahant? Valere Matrimonium reſpondit S. Congr. apud Fagnanum in Cap. *litteræ* I. Extr. *de matr. contr. int. num.* 14.

(*f*) In Cap. *omnis utriuſque* XII. Extr. *de Pœnit. & rem.*

(*g*) Quærit Fagnanus in Cap. *ſignificavit* V. Extr. *de paroch. num.* 21. *& ſeqq.* an, ut quis parochianus fiat, requiratur domicilium, animuſque perpetuo ibi commorandi. Et variis

bentium degat, Parochus utriuſque loci *proprius* eſt. Uſu tamen receptum, ut de venia Parochi viri, Matrimonium celebretur coram Parocho mulieris (*a*), poſtquam hic *teſtimoniales* litteras acceperit, in Parochia ſcilicet viri factas proclamationes, nec nullum detectum impedimentum (*b*). Denique, quum epiſcopus, (cujus nomine venit Vicarius Generalis, Capitulum ſede vacante, necnon Vicarius Capitularis), in tota Diœceſi ſit ordinarius ſacramentorum miniſter, poteſt tum per ſe Matrimonio adſiſtere, tum & alteri ſacerdoti eam veniam delegare. Et quidem invito ipſo Parocho: quod ta-

---

riis adductis exemplis, & definitionibus S. Congr. concludit *num. 36.* ſatis eſſe, ut aliquo abhinc tempore, eo in loco, in quo contrahitur, habitaverit. At quid, ſi I. incolæ loci, in quo Tridentinum promulgatum fuit, tranſeant per locum, ubi promulgatum non eſt? Aut II. in eum ſe locum transferant, animo contrahendi ſine Parocho & teſtibus, habitationem tamen non mutantes? Aut III. ſi eo transferant habitationem, animo tantum ita nubendi? Quæſivit hæc Archiep. Colonienſis ab Urbano VIII. qui Conſtit. *exponi* an. 1627. confirmans Decretum S. Congr. ad I. & II. reſpondit, non legitimum eſſe Matrimonium inter ſic tranſeuntes, & ſe transferentes cum fraude; ad III. vero, validum eſſe Matrimonium, ſi vere transferunt domicilium. Hujuſce Conſtit. Urbani meminit Bened. XIV. in *cit.* Conſtit. *paucis*, & ut quis domicilium in loco aliquo habere dicatur, ſaltem unius menſis ſpatium, antequam nuptiæ contrahantur, requirit.

(*a*) S. Congreg. apud Fagnanum in *cit.* Cap. *quod nobis num.* 34.

(*b*) Quum præſentia *proprii* Parochi ad valorem nuptiarum neceſſaria ſit, nihil officit, utrum Parochus nondum ſacerdos ſit; (licet in praxi tutius ageretur, ſi alteri ſacerdoti hoc munus id demandaret, ob ſententiam nempe Theologorum, qui volunt ſacerdotem eſſe Matrimonii miniſtrum); aut ſit ſuſpenſus, excommunicatus, irregularis; vel in aliena Parochia ſponſos in Matrimonium conjungat; vel etiamſi eumdem interdixerit Ordinarius, ne Matrimonio adeſſet. Officiet contra, ſi Parochus non fuerit legitimus, puta, intruſus, & *titulum* non habens; aut *notorie* hæreticus, dummodo tamen in ejus Parochia publicatum fuerit Decretum Tridentini.

Digitized by Google

tamen *raro*, *& nonniſi urgente de cauſſa faciendum* (*a*), ne ordinarium alteri jus adimi videatur. Parochus quoque ex Tridentino auctoritatem hanc adſiſtendi alii ſacerdoti demandare poterit, voce ſcilicet, aut ſcripto (*b*). Et quidem ſufficit licentia generalis, adminiſtrandi nimirum omnia ſacramenta, puta, ſi ſermo eſt de Vicario ipſius Parochi. Non ſufficit autem tacita, ſed requiritur expreſſa, ſi agitur de ſacerdote non Vicario (*c*). Ceterum hac etiam facultate, h. e. dandi alteri ſacerdoti veniam Matrimoniis adſiſtendi, potiri etiam Vicarios temporales, ad nutum amovibiles, Parochialis Eccleſiæ, deciſum eſt. III. Præterea duos, aut tres etiam teſtes Tridentinum requiſivit, qui ſcilicet non *ſucceſſive*, ſed *ſimultanee* celebrationi Matrimonii intereſſe debent, & quorum nec ætatem, nec ſexum, nec dotes adſignavit, ne validitas inde nuptiarum in dubium vocaretur. Quare ipſi vel conſanguinei, aut mulieres admitti poſſent, dummodo ſint rationis capaces (*d*).

§. XII.

(*a*) Van-Eſpenius *Jur. Eccleſ. Part. II. tit. XII. cap. V. num.* 22.

(*b*) Finge, ſacerdotem, de Parochi venia præſumentem, Matrimonio interfuiſſe, & ipſius adſiſtentiam ratam deinde Parochum habuiſſe! Invalidum fuiſſe Matrimonium ex Barboſa putat Van-Eſpenius *ibid. num.* 19. eo quod ratihabitio æquiparatur quidem mandato, ſed non ubi lex ad validitatem actus præſentiam requirit corporalem.

(*c*) S. Congreg. apud Fagnanum in *cit.* Cap. *quod nobis num.* 32.

(*d*) Quærit Sanchez *lib. II. de Matr. diſp.* 37. *num.* 1. an qui Matrimonium contraxit coram Parocho, ac teſtibus, nullum tamen ex defectu conſenſus, aut aliquod ob impedimentum, teneatur, obtenta diſpenſatione, denuo illud contrahere coram Parocho, ac teſtibus. Et ex Decreto S. Congr. reſpondet conſenſum ſecrete præſtandum eſſe, impetrata diſpenſatione, ſi ſecretum fuerit impedimentum; publice vero, ſi publicum fuerit, aut ſi deinceps innotuerit.

Digitized by Google

§. XII. *Impedimenta Matrimonii*, impedientia *alia*, *alia* dirimentia. *De* impedientibus *primum*.

Sequuntur impedimenta, jure ſuo ab Eccleſia vel confirmata, vel conſtituta (*a*), quæ duplicis ſunt generis, *impedientia* alia, quæ contrahendum Matrimonium

(*a*) I. Quædam impedimenta ſunt ex jure naturali, ut *error*, *vis*, *amentia*. Ea Eccleſia confirmare potuit, inſtituere non potuit. II. Quoniam Matrimonio præter rationem contractus civilis, ratio etiam ſacramenti adhæret; neceſſe eſt illud quoad civilia Principibus, quoad ſpiritualia ita Eccleſiæ ſubjacere, ut hæc potiori jure gaudeat impedimenta *dirimentia* conſtituendi. Errarunt propterea Novatores, alia omnia comminiſcentes, contra quos ſtatuit Tridentinum *Seſſ. XXIV. de ſacr.* Matr. *Can.* 4. : *ſi quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendi erraſſe; anathema ſit*. Atque erraſſe etiam Launojum demonſtravimus *Tom. I. pag.* 18. *& ſeqq.* qui in libello *Regia in Matrimonium poteſtas*, ita jura conſtituendi impedimenta Regibus vindicavit, ut Eccleſiæ denegarit, novoque figmento adfirmaverit *Eccleſiæ* nomine, de qua in *cit. Can.* IV. Tridentini, ſolos Principes eſſe intelligendos, quorum vice, ac poteſtate, Synodus impedimenta ſancivit. Enimvero, (præterquam quod *diſparitas cultus* ab Apoſtolo originem ducit, qui I. ad *Corinth.* VII. 15. permittit uxori fideli diſcedere a viro infideli, cauſſa diſparis cultus, quum ſcilicet ſine contumelia Creatoris cohabitare invicem non poſſunt), uſu certe antiquo, perpetuo, ante Imperatorum converſionem, nec ab iis jam Chriſtianis impugnato, Eccleſia auctoritatem ſuam functa eſt, pleriſque, ſive inductis, ſive revocatis impedimentis. Quam & ipſi quidem Principes agnoverunt, vel Canonicas leges circa Matrimonia commendando, vel ad Pontifices pro diſpenſatione confugiendo, vel edictis ſuis civiles ſe tantum Matrimonii effectus attingere declarando. III. Nemini etiam dubium eſt, Politicæ poteſtati innatum etiam jus eſſe impedimenta Matrimoniis ſtatuendi in iis, quæ civilem contractum ſpectant; licet pietati Chriſtianorum Regum debeatur, quod ea auctoritate a priſcis uſque ſæculis uſi non ſint, niſi adprobante, vel conſentiente Eccleſia.

nium impediunt quidem, ſed contractum non diſſolvunt; alia *dirimentia*, quæ contractum penitus dirimunt. Priora Matrimonium *illicitum* dumtaxat; poſteriora *illicitum*, & nullum etiam reddunt. *Impedientia* quatuor hodie ſunt (*a*), quæ hoc verſiculo continentur:

Eccleſiæ vetitum, votum, ſponſalia, tempus.

Dirimentia vero quindecim, quæ his verſibus comprehenduntur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Amens, adfinis, ſi clandeſtinus, & impos,
Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto.
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

De omnibus ſigillatim, atque hic primum de *impedientibus*. I. *Eccleſiæ vetitum*, prohibitio nimirum, legitimam ob cauſſam facta, ne Matrimonium contrahatur; puta, antequam conſenſus parentum obtineatur, vel quod non conſtet nupturientes liberos eſſe ad contrahendum, nullumque inter eos impedimentum extare (*b*). II. *Votum*, ſimplex ſcilicet, vel caſtitatis, vel religionis (*c*); ad differentiam voti ſollemnis, in quo non promiſſio ſolum, ſed traditio etiam fit proprii corporis ad continentiam ſervandam. III. *Sponſalia*, ne data fides infringatur, præſertim ſi ea ſint juramento firmata (*d*).

IV.

(*a*) Antiquitus duodecim erant, a quibus recenſendis ſuperſedemus. Videſis apud Canoniſtas.

(*b*) Innoc. in Cap. *quum inhibitio III.* Extr. *de cland. deſponſ.*

(*c*) Alex. III. in Cap. *meminimus* III. Cap. *conſuluit* IV. & Cap. *veniens* V. Extr. *qui cler. vel vovent.* Excipe hinc tamen, ſi uxor, quæ veniam fecit marito ſacros Ordines ſuſcipiendi, ipſa interim perpetuam in ſæculo continentiam vovit. Certe eo defuncto, non poteſt tum ex ſimplici voto caſtitatis valide ſecundas nuptias celebrare, ut adnotavit Gloſſa in Can. *quia ſunt X. Diſt* 28. verb. *fuiſſe*; & apertius habetur ex Can. *ſeriatim XIV. Diſt.* 32.

(*d*) Innoc. III. in Cap. *præterea ii* II. & Alex. III. in Cap. *ex litteris* X. Extr. *de ſponſ. & matr.*

IV. *Tempus*. Etenim Tridentinum (*a*) *ab Adventu Domini noſtri J. C. uſque in diem Epiphaniæ*, & *a feria quarta Cinerum uſque in Octavam Paſchatis incluſive*, nuptiarum celebrationem prohibuit, iiſque, qui dixerint, *prohibitionem ſollemnitatis nuptiarum certis anni temporibus ſuperſtitionem eſſe tyrannicam, ab Ethnicorum ſuperſtitione profectam*, anathema inflixit (*b*).

§. XIII. *De impedimentis* dirimentibus.

Inter impedimenta *dirimentia* obtinet I. *Error*, qui vel eſt perſonæ, vel *qualitatis* ejuſdem. Alter vertitur circa *ſubſtantiam*, unde tollit conſenſum, & nullum reddit Matrimonium (*c*); alter circa *accidens* verſatur, nec vitiet contractum; puta, ſi quæ dives, nobilis, virgo credebatur, inops, plebeja, aut corrupta detecta eſt (*d*). Excipe, tum *ſi error nobilitatis, vel dignitatis redundat in errorem perſonæ*, ut inquit S. Thomas (*e*), h. e. inſervit ad determinandam magis, & diſtinguendam

dam

(*a*) *Seſſ.* XXIV. *in Decret. de reform. matr. Cap.* 10.

(*b*) *Cit. Seſſ. XXIV. de ſacr. matr. Can.* 11. Sane abſonum videretur, ut quibus diebus Fideles jejuniis incumbunt, nuptias inirent. Alia & eſt ratio de Græcis, apud quos diebus jejunii non peragitur ſacrificium, intra quod benedictio fit nuptiarum.

(*c*) Hac de ratione nullum fuit Matrimonium Jacobi cum Lia, utpote qui conſentiebat in Rachelem. Quaptopter opus fuit, ut Labani ſuaſioni adquieſceret, & pro Lia ille iterum conſenſum præberet. *Geneſ.* XXIX. 28.

(*d*) Gratianus *cauſ.* XXIX. *quæſt.* 1. Inquies: non duxiſſet ſponſus, ſi ſponſam pauperem, aut ignobilem eſſe ſciviſſet, proindeque nec conſenſiſſe dicendus erit. Sed ſi ita res eſſet, vix ullus contractus valeret, quum plura plerumque latere ſoleant, quæ ſi nota fuerint, a contrahendo abſterrerent. Standum itaque *actuali* conſenſui, qui ponitur dum contrahitur, non *præſumtivæ* voluntati, quam quis, ſi noſſet perſonæ *qualitates*, non fuiſſet poſiturus.

(*e*) In *Addit. ad* 3. *Part. quæſt. LI. art. II. ad* 5.

dam perſonam : nempe, ſi quis, ut idem ait (*a*), *directe intendit conſentire in filium Regis*, *quicumque ſit ille*, *tunc ſi alius præſentetur ei*, *quam filius Regis*, *eſt error perſonæ*, *& impedietur Matrimonium*; tum ſi *qualitates* hujuſmodi adponuntur tamquam conditiones, e quibus pendeat conſenſus in perſonam. Quæ quidem ſi deficiant, hic etiam defeciſſe dicendus eſt. II. *Conditio*, ſervilis nempe, quam perſona libera ignorabat (*b*). Alias, ſi conſcia erat, valebat Matrimonium (*c*). III. *Votum* perpetuæ caſtitatis, non quidem ſimplex, (quo illicitum redderetur Matrimonium, non invalidum), ſed ſollemne, quod, ut ait Bonifacius VIII. (*d*), *ſollemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri Ordinis*, *aut per profeſſionem expreſſam*, *vel tacitam* (*e*), *factam alicui* de

(*a*) *Ibid. cit. loc.*

(*b*) Alex. III. in Cap. *propoſuit* II. & Urbanus III. in Cap. *ad noſtram* ult. Extr. *de conjug. ſerv.* Excipe, ſi liber, poſtquam novit uxorem ſuam ancillam eſſe, carnalem cum ea habuerit conſuetudinem. Tum enim opus eſt, (inquit Alex. in *cit.* Cap.) *ut eam ſicut uxorem accipiat*, *& maritali cura pertractet*.

(*c*) Zacharias Papa in Can. *ſi quis* II. *cauſ.* XXIX. *quæſt.* 2. Et Julius Papa in Can. *ſi femina* V. *ibid.* Quid, ſi ſervi, ignorantibus, & invitis dominis, conjugia inter ſe iniiſſent? Jure Civili invalida erant, eo quod ſervus, cujus corpus domino mancipabatur, non poterat, eo invito, alteri tradi. Unde inter ſervos *contubernium*, non Matrimonium dabatur. Eccleſia hujuſmodi morem diu toleravit. A ſæc. autem fere XII. conjugia ſervorum rata fuere, ut adparet ex Cap. *dignum I.* Extr. *de conjug. ſerv.*

(*d*) In Cap. *quod votum* unic. *de voto*, *& voti redem.* in VI. Idem confirmarunt Alex. III. in Cap. *meminimus* III. Extr. *qui Cler. vel vovent.* Innoc. II. in Lateranenſi II. Can. 7. & 8. ac Tridentinum *Seſſ.* XXIV. *de Matr. Can.* 9.

(*e*) Jure communi profeſſio tacita inducebatur per voluntariam ſuſceptionem habitus religioſi poſt pubertatem. Et quidem, ſi indiſtinctus erat, communis ſcilicet novitiis, & profeſſis, præcedente probatione, h. e. per annalem illius geſtationem : ſi vero proprius profeſſorum, ſine annali ejuſdem geſtatio-

de religionibus per Sedem Apoſtolicam adprobatis (*a*). IV. *Cognatio*, quæ triplex eſt, *naturalis*, *legalis*, & *ſpiritualis*. *Naturalis*, quæ proprie dicitur *conſanguinitas*, eſt *vinculum* perſonarum *ab eodem ſtipite deſcendentium*, *carnali propagatione contractum* (*b*). Ea per lineas, & gradus diſtingui ſolet (*c*). In linea recta dirimit

---

tione, ſed cum tridui in eodem habitu perſeverantia. Hodie quum per Tridentinum *Seſſ.* XXV. *cap.* 15. *de Regul.* expreſſa profeſſio ante expletum annum XVI. & ante exactum annum probationis, pro nulla habeatur; tacita etiam ante eumdem annum emiſſa, pro nulla habenda eſt. Verum non ſublatam fuiſſe tacitam profeſſionem poſt annum XVI. a Tridentino, ſæpius S. Congr. definivit. Itaque hodiernis quoque moribus, ſi qui ab anno XVI. per integrum alium annum probationis, indiſtinctum habitum geſtaret; aut præcedente anno probationis, ab anno XVI. habitum ſumſerit profeſſorum, tum, nec cum tridui etiam perſeverantia, is *tacite* profeſſus dicendus eſt. Videte Fagnanum in Cap. *ad noſtram* VIII. Extr. *de Regular. num.* 1. *& ſeqq.* in Cap. *nullus* I. Extr. *de Regul. & tranſ. ad relig. num.* 4. *& ſeqq.* & in Cap. *quum virum* XII. Extr. *de Regular. num.* 8.

(*a*) Ex Gloſſa non dirimitur Matrimonium contractum ab eo, qui quum profitebatur, credebat adprobatam eſſe religionem, quæ talis non erat; aut qui, ſacros Ordines ſuſcipiens, putabat eſſe epiſcopum, qui verus epiſcopus non erat.

(*b*) S. Th. in *Addit. ad* 3. *Part. quæſt. LIV. art. I. arg. I.* Advertas, ad obtinendam diſpenſationem ſemper ſtare conſanguinitatem, ſive conſanguinei ſint legitime, ſive illegitime conjuncti.

(*c*) Linea eſt *collectio perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium*. *Stipes* dicitur perſona, a qua ducitur origo. Duplex autem linea eſt, *recta*, vel *tranſverſalis*; Recta vel eſt *adſcendentium*, inter perſonas nempe, per quarum unam ad alteram adſcenditur, ut per filium ad patrem, per patrem ad avum; vel *deſcendentium*, inter perſonas ſcilicet, quarum una ab altera deſcendit, ut filius a patre, nepos a filio. *Tranſverſalis* eſt inter perſonas, quæ ab eodem ſtipite, ſed non quarum una ab altera, deſcendunt, ut fratres, conſobrini, *&c.* Atque hæc vel *æqualis* eſt, quum plures a communi ſtipite æquali gradu diſtabunt, ut nempe duo fratres a patre; vel *inæqualis*, quum ab eodem ſtipite diſtant gradu inæquali, ut patruus, & nepos.

mit nuptias uſque in infinitum (*a*). Repugnat enim pudori naturali, ut inter perſonas, quæ parentum, ac liberorum loco ſunt, illæ contrahantur. In linea vero collaterali uſque ad quartum gradum *incluſive* (*b*). *Legalis*, quæ hodie non obtinet, & naſcebatur ex adoptione perfecta, quæ *adrogatio* dicebatur, de qua nos (*c*) alibi, quæque erat *perſonæ extraneæ adſumtio in filium, aut nepotem, cum jure ad hereditatem* (*d*). *Spiritualis* oritur ex Baptiſmo, vel Confirmatione (*e*). Et quidem:

---

pos. Porro gradus *eſt diſtantia unius perſonæ præ alia a communi ſtipite*. In numerandis gradibus ex jure Canonum triplex regula adſignari ſolet. I. *In linea recta adſcendentium, & deſcendentium, tot ſunt gradus, quot perſonæ, dempto ſtipite*. Quare filius uno gradu a patre, nepos duobus ab avo, pronepos tribus a proavo diſtabit. II. *In linea tranſverſali æquali, perſonæ tot inter ſe gradibus diſtant, quot a communi ſtipite*. Hinc duo fratres uno inter ſe diſtabunt gradu, quoniam a communi ſtipite, h. e. patre, uno etiam diſtant gradu. III. *In linea tranſverſali inæquali, perſonæ tot inter ſe diſtant gradibus, quot perſona remotior diſtat a communi ſtipite*. Unde patruus, & nepos diſtant inter ſe ſecundo gradu, quia nepos, qui eſt perſona remotior, nonniſi ſecundo gradu diſtat ab avo. Dixi *ex jure Canonum*. Nam graduum numeratio ex jure Civili aliter procedit, de qua re in noſtris *Juris Imperialis Prælect.*

(*a*) Nicolaus I. *ad conſulta Bulgarorum num.* 39. Attamen S. Th. 2. 2. *quæſt.* CLIV. *art.* IX. *ad* 3. & in *Addit. ad* 3. *part. quæſt.* LIV. *art.* 3. *in corp.* ſentire videtur, quod tantum in primo gradu ex jure naturali in linea recta Matrimonium interdicatur. Cui adſentit Fagnanus in Cap. *vir qui* IX. Extr. *de conſang. & adfin. num.* 32. *& ſeqq.*

(*b*) Innoc. III. in Lateranenſi IV. *Can.* 50.

(*c*) In noſtris *Juris Imperialis Prælect.*

(*d*) Eruditionis cauſſa notamus, quod in linea recta dirimebatur Matrimonium uſque ad quartum gradum *incluſive*; in linea collaterali, in primo tantum; & inter adoptantem, & uxorem adoptati, ac viciſſim inter adoptatum, & uxorem adoptantis adfinitas oriebatur. Præterea ſoluta adrogatione, ceſſabat in linea collaterali cognatio *legalis*, non vero in linea recta, nec in linea, (ut ita pœne dicam), *quaſi* adfinitatis.

(*e*) Baptiſmus eſt ſpiritualis quædam regeneratio, quæ perfici-

dem: (ut antiquum jus omittamus, de quo paſſim Canoniſtæ), ex Tridentino (*a*) inter ſuſceptores, & ſuſceptum, ejuſque patrem, ac matrem; necnon inter miniſtrum ipſorum ſacramentorum, & eum, cui conferuntur, ejuſque patrem, ac matrem (*b*). V. *Crimen*, homicidii

ficitur Confirmatione. Quum autem miniſtri, & ſuſceptores ſint veluti patres ſpirituales, (unde & ſuſceptores *patrini*, & *matrinæ* vocantur); ſapienter voluit Eccleſia a primis fortaſſe uſque ſæculis, ut cognatio hujuſmodi ſpiritualis dirimens inter eos eſſet impedimentum, in quo, utpote arctioris vinculi, difficilius diſpenſari ſolet, quam in impedimento carnalis adfinitatis.

(*a*) *Seſſ. XXIV. de ſacr. matr. cap.* 2.

(*b*) Rogabis. I. Contrahiturne cognatio *ſpiritualis* in Baptiſmo ſub conditione? II. Si infans baptizetur domi non ſolemniter? III. Si in caſu neceſſitatis? IV. Si idem levatur e ſacro fonte per procuratorem? V. Si plures ſint patrini? VI. Si parentes baptizati, vel confirmati, ſint infideles? Reſpondemus. I. Quemadmodum verus potuit eſſe Baptiſmus, ita verum inde exurgere poterit impedimentum. In dubio itaque tutius erit diſpenſationem petere. II. Non ſemper admittuntur patrini extra Eccleſiam. Sed eſto, quod ita ſit! Quum in jure non diſtinguatur publicus privato Baptiſmo, & quum in hoc vere nihilominus infans baptizetur, contrahi adfinitatem dicendum eſt. III. Non diſtinguunt jura inter baptizantem cum neceſſitate, aut ſine neceſſitate. Quivis igitur, ſive obſtetrix, ſive laicus, qui forte baptizat, in adfinitatem incurret. Excipe patrem, ſi id fecerit ex neceſſitate, ut ex Can. *ad limina* VII. *cauſ. XXX. quæſt. I.* Vide *ſupr. pag.* 94. *&* 95.; aut ex ignorantia, Cap. *ſi vir* II. Extr. *de cognat. ſpirit.* aut etiam ex malitia, ut a conjuge ſeparetur, *Cit.* Cap. *ſi vir*. Ceterum is conjugale debitum petere non poſſet, reddere teneretur. IV. Non a procuratore cognationem ſpiritualem contrahi ſibi, ſed mandanti decidit S. Congreg. apud Fagnanum in Cap. *veniens* VI. Extr. de *cognat. ſpirit. num.* 19. V. Contrahent qui duo ex pluribus fuerint deſignati a parentibus, vel Parocho. Quod ſi vel nullus, vel omnes deſignati fuerint, omnes contrahere adfirmavit S. Congr. apud Fagnanum in Cap. *ex litteris* VIII. Extr. *eod. num.* 5. eo quod Tridentinum prohibuerit, ne plures quam duo patrini admitterentur, ſed non antiquavit jus vetus, quo plures etiam admittebantur. VI. Infideles nec vitæ ſpi-

cidii ſcilicet, & adulterii. Quod quatrupliciter evenire poteſt, ſive quum quis adulterium commiſit, facta promiſſione adulteram poſt mortem ejus mariti in uxorem ducendi (*a*); ſive quum conjux mortem ſuæ conjugi intulerit, eo animo, ut cum adultera ineat Matrimonium (*b*); ſive quum quis occiderit conjugem, conſentiente, vel conſpirante occiſi conjugis conſorte, ſine tamen adulterio, etiamſi inde novus conjux ad fidem convertatur (*c*); ſive demum quum quis vivente uxore alteram ducere adtentarit, & cum ea, conſcia prioris conjugii, adulterium patrarit. Sane mortua prima, cum ſecunda impedimentum nihilominus dirimens exiſtit (*d*). VI. *Cul-*

ſpiritualis participes eſſe, nec legibus Eccleſiaſticis poſſunt obſtringi. Nulla propterea inter Chriſtianum, & Paganum datur cognatio ſpiritualis.

(*a*) Innocent. III. in Cap. *ſignificaſtis* VI. Extr. *de eo qui duxit in matr.* Notandum I. Nihil intereſt, an promiſſio ſit vera, vel falſa, quum utraque ad adulterium, vel homicidium impellere poſſit; ſitve pura, vel conditionata; præcedatve adulterium, vel ſubſequatur. II. Promiſſio acceptari debet, ſive *explicite*, ſive *implicite*. Ceterum non data fuiſſe creditur, ſi licet acceptata, ante adulterium tamen fuerit revocata. III. Adulterium utrimque ſcienter commiſſum, & conſummatum eſſe debet. IV. Nec ſolum adulterium, ſine fide data futuri Matrimonii; nec ſola promiſſio futuri Matrimonii poſt mortem conjugis, ſine adulterio, impedimentum criminis inducit.

(*b*) Alex. III. in Cap. *ſuper eo* III. Extr. *de eo qui duxit in matr.* Requiritur tamen I. ut adulterium præceſſerit homicidium, Can. *ſi quis* V. *cauſſ.* XXXI. *quæſt. I.* Tum II. ut adultera conſcia fuerit, quod adulter *uxorem haberet viventem*, ut inquit Alex. III. in Cap. *propoſitum* I. Extr. *eod.* Demum III. ut adulterium ſit conſummatum.

(*c*) Cæleſt. III. in Cap. *laudabilem* I. Extr. *de converſ. infidel.*

(*d*) Clem. III. in Cap. *ex litterarum* IV. & Innoc. III. in Cap. *veniens* VII. Extr. *de eo qui duxit in matr.* Nihil tamen intereſt, utrum adulterium commiſſum ſit poſt adtentatum Matrimonium, ut in *cit.* Cap. *ex litterarum*; ſive ante, ut in Cap. *quum haberet* V. Extr. *eod.*

Cultus diſparitas, non quæ inter fidelem, & hæreticum (*a*), ſed quæ inter fidelem, & infidelem intercedit (*b*), de qua ſuperius (*c*). VII. *Vis*, quæ metum gravem h. e. qui cadit in virum conſtantem, ſecum fert, injuſte ab alio (*d*) incuſſum (*e*). Non enim liber omnino adeſſet conſenſus, licet poſtea adponi poſſit (*f*); immo poſitus credendus ſit, ſi pars invita in cohabitatio-

---

(*a*) Quoniam contrahere cum Hæreticis eſt cum iis communicare in divinis, atque ejuſmodi ex nuptiis non ſolum conjugi catholico, ſed naſcituræ proli imminent damna; ideo Eccleſia ſemper eas abominata eſt, ut diſſerit Benedict. XIV. *de Syn. Diœc. lib. VI. cap. V. num.* 3. Ceterum validas ipſas eſſe declaravit idem Bened. XIV. Conſtit. *matrimonia* an. 1741. ſive utroque, ſive alterutro contrahente hæretico, uti fit in Hollandia, & Belgio Fœderato, non ſervata Concilii forma. Quod tamen non intelligendum de Catholicis, inter Hæreticorum regiones degentibus. Quippe tenentur omnino ſtare formæ a Concilio præſcriptæ. Immo ab eodem Pontifice Conſtit. *redditæ* an. 1746. declaratum fuit, nulla eſſe Matrimonia, quæ in Belgio contrahuntur a Catholicis coram *magiſtello* hæretico, præter formam Concilii; atque iis maritalis conſuetudo interdicitur, donec ante præſentiam Parochi, & duorum teſtium idem contractus renovaretur. Adite eumdem Bened. *cit. lib. de Syn. Diœceſ. cap.* 6. *&* 7. late de his rebus diſſerentem.

(*b*) Nec in Veteri, nec in Novo Teſtamento hujuſmodi nuptiæ prohibentur. Moyſes enim, & Joſeph Gentilibus, & Judith Aſſuero; tum Cecilia Valeriano, Monica Patricio, Clotildis Clodeveo, Francorum Regi, nupſerunt. Verum quum plerumque ſubverſionis periculo haud carerent, tum Valentinianus, ac Valens Impp. *lib. III. Cod. Theodoſiani tit.* 14. tum Eccleſia eas abhorruit, prohibuitque, ut Can. *cave* XV. & Can. *ſi quis* XVII. *cauſ.* XXVIII. *quæſt.* 1. adparet.

(*c*) *Pag.* 221. *& ſeqq.*

(*d*) Quare nullum habebitur impedimentum, ſi aut timore carceris, quem judex minatur, contraxit quis cum puella, quam vitiavit; aut ſi alter metu mali, quod non alius, ſed ipſe ſibi fingit, in Matrimonium conſenſit.

(*e*) Alex. III. in Cap. *veniens* XV. Extr. *de ſponſal. & matr.* & Honor. III. in Cap. *Conſultationi* XXVIII. Extr. *eod.*

(*f*) Alex. III. in Cap. *de muliere* VI. Extr. *eod.*

tionem deinceps conſenſerit (*a*). VIII. *Ordo*, ſacer videlicet, de quo alibi (*b*). IX. *Ligamen*, ex Matrimonio nempe legitime contracto, nondum etiam conſummato, quo durante, irritum eſt quodvis aliud conjugium, quamvis conſummatum. Nimirum ſublata eſt per Chriſtum uxorum *pluralitas* (*c*). X. *Honeſtas*, h. e. pro-

(*a*) Clem. III. in Cap. *ad id* XXI. Extr. *eod.*

(*b*) *Pag.* 209. *& ſeq.* Immo nec & Græcis ipſis poſt ſacros Ordines uxorem ducere, ſi ea, quam ante duxerint, occubuerit; nec, niſi habuerint, habere permittitur. Secus, excommunicatione latæ ſententiæ, & depoſitione Ordinis puniuntur a Bened. XIV. Conſtit. *etſi paſtoralis* an. 1742. ubi etiam §. 7. injungitur, ut Græci ipſi conjugati minime accedant ad ſacrificandum, niſi per hebdomadam, aut ſaltem per triduum, ab uxoribus abſtinuerint.

(*c*) Trid. *Seſſ.* XXIV. *de ſacr. matr. Can.* 2. Plura notetis. I. Uxor, quæ abſentis diu viri nullam habet notitiam, ad ſecundas nuptias tranſire prohibetur, donec de illius morte *certum nuntium*, (ut inquit Clem. III. Cap. *in præſentia* XIX. Extr. *de ſponſ. & matr.*), receperit. Idem multo ante ſtatuerat Juſtinianus in Auth. *hodie C. de repud. & jud.* (quæ deſumta eſt ex *Novel.* CXVII. *cap.* XI.), ut ſcilicet expectandum ſit mulieri, uſquedum de veritate conſtiterit, *quantiſcumque annis maritus in expeditione manſerit*; correxitque tum legem Conſtantini in *L. uxor* 7. *C. eod.* qua, poſt quatriennium, mulieri facultas nubendi dabatur; tum *Novellam* XXII. *cap.* 14. ubi quatriennii tempus ad decennium prorogatum fuerat. II. *Certum nuntium* faciunt non leves quædam, aut probabiles *præſumtiones*, ſed depoſitiones plurium, aut ſaltem duorum teſtium oculatorum, vel Inſtrumenta authentica, ab epiſcopo loci, in quo defunctus ſepultus eſt, recognita, & ſubſcripta. Juſtinianus in *cit.* Auth. *hodie*, juratum teſtimonium ducis, *ſub quo militabat* maritus, requiſivit. III. Quid vero, ſi ſequutis ſecundis nuptiis, dubitet adhuc mulier, an abſens vir vivat? Certiora indicia veritatis quærenda ſunt. Interea, ſi nupſit bona fide, & vir alter in bona etiam fide perſeverat; *debitum non deneget poſtulanti, quod a ſe tamen non noverit nullatenus exigendum*, inquit Lucius III. in Cap. *Dominus* II. Extr. *de ſecundis nupt.* Idem procedet, ſi dubium emerſerit circa impedimentum conſanguinitatis, & affinitatis. Ita enim Innoc. III. in Cap. *inquiſitioni* XLIV. Extr. *de ſent. excom.*

e. propinquitas, quam ſponſus contrahit cum conſanguineis ſponſæ, & ſponſa viciſſim cum conſanguineis ſponſi (*a*). Ex Tridentino (*b*) ea oritur ex ſponſalibus validis in primo gradu (*c*), etiam ex mutuo conſenſu, aut per mortem alterutrius ſponſi diſſolutis (*d*); necnon ex Matrimonio rato, non conſummato, uſque ad quartum gradum, ut definivit Pius V. (*e*); etiamſi nullum fuerit quacumque ex cauſſa, præterquam ex defectu conſenſus (*f*). XI. *Amentia*, eo quod qui talis eſt, nec uſum rationis habet, nec conſenſum præſtare poteſt. XII. *Adfinitas*, ſeu propinquitas inter feminam, & conſanguineos viri, & inter virum & conſanguineos feminæ (*g*). Naſcitur ex copula licita uſque ad quartum gra-

---

quum conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili, & diſcreta, quamvis non evidenti, & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet, ne in alterutro, vel contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ, committat offenſam.

(*a*) Dicitur *cum conſanguineis*, non cum adfinibus. Unde ſponſus non defunctæ ſponſæ ſororem, quæ eſt ipſi ſponſæ conſanguinea, ſed viduam fratris ſponſæ, quæ eidem eſt adfinis, ducere poſſet in uxorem.

(*b*) *Seſſ.* XXIV. *de ſacr. matr. cap.* 3.

(*c*) Antiquitus etiam ex invalidis ſponſalibus oriebatur, uſque ad quartum gradum.

(*d*) S. Congreg. apud Fagnanum in Cap. *ad audientiam* IV. Extr. *de ſponſ. num.* 29.

(*e*) Conſtit. *ad Romanum* an. 1568.

(*f*) Fagnanus in *cit.* Cap. *ad audientiam num.* 20. *ſeqq.* Et ſane, deficiente conſenſu, contractus erit nullus jure naturæ. Quare mirum non eſt, ſi nullum inde etiam naſcatur impedimentum. Ubi autem eſt hujuſmodi alio ex capite, inducitur nihilominus *publica honeſtas*, eo quod Canones non jus, ſed factum ipſum, externamque decentiam attendere tantum videntur.

(*g*) I. Inter virum, & uxorem non datur proprie *adfinitas*, ſed ipſi ſunt truncus, & initium *adfinitatis*. II. Inter conſanguineos viri, & conſanguineos feminæ nulla paritur adfinitas, quia, ut vulgo dicitur, *adfinitas non parit adfinitatem;*

gradum *incluſive* (*a*), & ex illicita uſque ad ſecundum gradum *incluſive* (*b*). Quomodo autem adfinitatis gradus numerentur, inferius habes (*c*). XIII. *Clandeſtinitas*, quum

---

tem; quod idem eſt, ac dicere, non adfines uxoris fieri adfines viri, aut viciſſim; ſed conſanguineos uxoris adfines viri, & conſanguineos viri fieri adfines uxoris. Quare pater, & filius ex una parte ducere poſſunt matrem, & filiam ex altera; & duæ ſorores cum duobus fratribus; aut frater, & ſoror, cum fratre, & ſorore; vel filia viri, cum filio uxoris nubere poſſunt. III. Inter vitricum, & uxorem privigni; aut novercam, ac virum privignæ, nullum eſt impedimentum *adfinitatis*, ut S. Congr. decidit an. 1721. apud Bened. XIV. *de Syn. Diœceſ. lib.* IX. *cap.* XIII. *num.* 2. *& ſeqq.* adfirmavitque jus Civile a jure Canonum correctum fuiſſe. IV. Galli præſertim Theologi volunt in gradu *adfinitatis* lineæ rectæ impedimentum eſſe *adfinitatis* ex jure naturæ, proindeque in eo Pontificem diſpenſare non poſſe. Ita Paulus I. *ad Corinth.* V. 1. eum graviter reprehendit, *qui uxorem patris ſui* habebat. Atque hinc inter ſocerum, & nurum; aut generum, & ſocrum, nullas ii etiam jure naturæ nuptias ſtatuunt. Bened. XIV. *cit. loc. num.* 4. opinari videtur hujuſmodi impedimentum eſſe ex jure Eccleſiaſtico, & diſpenſari in eo poſſe ex graviſſimis cauſſis; licet ipſe, dum a Secretis eſſet S. Congr. auctor fuerit Bened. XIII. *ut a ſimili diſpenſatione, pro qua rogabatur, abſtineret, prout abſtinuit*. V. In linea tranſverſali, *adfinitas* tantum eſt ex jure Eccleſiaſtico. Unde in lege Moſaica poterat frater viduam fratris ſine liberis defuncti in uxorem ducere; & valuiſſe dicendum eſt Matrimonium, (quemadmodum tot in Europa Academiæ cenſuerunt), quod Henricus VIII. ex venia Julii Papæ contraxerat cum Catharina Aragonenſi, fratris Arthus vidua.

(*a*) Lateran. IV. Can. *non debet* 50. Quod a Trident. *Seſſ.* XXIV. *de ſacr. matr. cap.* 4. immutatum non fuit.

(*b*) *Trid. cit. loc.* Antiquitus extendebatur uſque ad quartum gradum. Poſt reſtrictionem factam a Tridentino, dubitatum eſt, an in tertio, & quarto gradu eſſet ſaltem impedimentum impediens; & Pius V. Conſtit. *ad Romanum* an. 1566. declaravit, nullum inde, neque dirimens, neque impediens naſci impedimentum.

(*c*) Gradus adfinitatis, ſive in linea recta, ſive in collaterali, nonniſi ex gradibus conſanguinitatis computantur. Hæc pro-

quum ſcilicet ſine præſentia Parochi, & duorum teſtium nuptiæ celebrantur, quod impedimentum ſapienter a Tridentino inductum eſt, ut ſupra diximus (*a*). XIV. *Impotentia*, qua qui ex naturali defectu laborant, *frigidi*; qui ex maleficio, *maleficiati* adpellantur. Ea non debet eſſe *temporalis*, quia *ope medicorum*, (ſine peccato tamen, & vitæ periculo), *poterit juvari* (*b*); ſed perpetua *antecedenter* ad nuptias, adeo ut ſi adveniat Matrimonio rato, necdum conſummato, illud etiam dirimat. In dubio de *impotentia*, conceditur cohabitatio per triennium *a tempore celebrati contractus* (*c*): quo elapſo, ſi *inhabilitas* detecta eſt, indicitur ſeparatio, niſi uterque conjux *conſentiunt ſimul eſſe*, ceu frater, ac ſoror (*d*). Porro impotentes, etiam ſunt eunuchi, inter

---

proinde regula datur: *in quo gradu conſanguinitatis quis diſtat a viro, in eodem gradu adfinitatis diſtat ab uxore*. Vel pariter: *in quo gradu conſanguinitatis quis diſtat ab uxore, in eodem gradu adfinitatis diſtat a viro*. Unde filius Sempronius, qui Patri Titio in primo gradu lineæ rectæ conſanguineus eſt, ſi pater iterum contrahet, puta, cum Caja, in primo etiam gradu lineæ rectæ idem filius adfinis fiet eidem Cajæ. Et frater, qui cum altero fratre in primo gradu conſanguinitatis in linea collaterali conjungitur, cum illius etiam uxore in primo adfinitatis gradu in linea collaterali conjungetur.

(*a*) *Pag.* 234. Matrimonium tamen clandeſtinum non eſt confundendum cum Matrimonio *conſcientiæ*, quod omiſſis ex indulto denuntiationibus, celebratur coram Parocho, & duobus teſtibus familiaribus, curatur autem ne innoteſcat, quum alteruter conjux ignobilis ſit. De eo agit Bened. XIV. *de Syn. Diœceſ. lib.* XIII. *cap.* XXIII. *num.* 12. *& ſeq.* tum in Conſtit. *ſatis* an. 1741. ubi, ſi interdum Matrimonia hujuſmodi permittenda ſunt, cautiones quaſdam ab epiſcopis obſervandas, & librum Matrimoniorum ſic contractorum, ſigillo obſignatum, in Cancellaria Epiſcopali retinendum eſſe ſancivit.

(*b*) Alex. III. in Cap. *ex litteris*. III. Extr. *de frigid. & malef.*

(*c*) Cæleſt. III. in Cap. *laudabilem* V. *cit. tit.*

(*d*) Cæleſt. III. *ibid.* Quid, ſi impotens, puta, mulier, poſt diſſolutum Matrimonium alteri nubat, & ab eo prolem ſu-

inter quos irritari nuptias voluit Xyſtus V. (*a*); & impuberes, nondum ad gignendum idonei (*b*). XV. *Raptus* denique, quum puella de loco in locum (*c*), vel contrahendi Matrimonii cauſſa, vel libidinis explendæ (*d*), per vim abducitur; ſive ipſa conſentiens ſit, invitis parentibus, aut tutoribus, ſive hi conſentientes, ea contra invita (*e*). Antiquitus, ne conſentiente quidem puella, aut parentibus, nuptiæ conſtare poterant cum

ſuſcipiat? Ceſſante impedimento, teneturne ad priorem virum redire? Idem Cæleſt. III. in Cap. *fraternitatis* VI. *ibid.* ſtatuit, ſeparandam eam a ſecundo, & reddendam eſſe primo marito, *quum pateat ex poſt facto, quod ipſa cognoſcibilis erat*, ſeu quod *impotentia* fuerit aut ficta, aut ad tempus. Quod intelliges, etiamſi vir primus, qui nihil *impotentia* laborabat, alteram duxerit. Semper enim verum eſt, prius Matrimonium per *temporalem impotentiam* non potuiſſe diſſolvi.

(*a*) Conſtit. *quum frequenter* an. 1582. Ubi tamen & illud declaravit, facta ſcilicet eunuchorum Matrimonia rata eſſe, ſi ii velint ſeparatim ab uxoribus habitare. Porro idem dicendum eſſe Xyſtus voluit de ſpadonibus. *Spadones* proprie ſunt, qui vitio aliquo, aut frigiditate in genitalibus laborant; qui & *thlibiæ* dicuntur, ſi eliſi iis, extritique ſunt teſtes, fortaſſe ex ipſo utero matris, quo adludit Chriſtus *Matth.* XIX. 12. *Eunuchorum* vero nomine veniunt *caſtrati*, qui utroque carent teſte. Facit huc *L. ſpadonum* 128. *D. de verb. ſign.*

(*b*) Clem. III. in Cap. *tuæ nobis* XIV. Extr. *de deſponſ. impub.*

(*c*) Si ab una domus parte in aliam abductio fit, & violatio ſequitur, non proprie virginis, ſed virginitatis *raptum* eſſe notat Gonzalez in Cap. *accedens* VII. Extr. *de raptor. num.* 3.

(*d*) Putat tamen Sanchez *lib.* VII. *de matr. diſput.* XIII. *num.* 3. abductionem virginis, libidinis tantum cauſſa, nec *raptum* eſſe, nec inde impedimentum oriri; quoniam ex hujuſmodi impedimento Tridentinum libertati Matrimonii cavere curavit.

(*e*) Hinc ſi, poſtquam de Matrimonio legitime contrahendo actum eſt, & ſponſalia etiam præceſſerunt, mulier abducta ſit, non eſſe proprie *raptum* definivit Lucius III. in Cap. *quum cauſſam* VI. Extr. *de raptor.*

cum raptore (*a*). Verum Innocentius III. (*b*) id permiſit; & Tridentinum (*c*) declaravit quidem, *quamdiu* (rapta) *in poteſtate raptoris manſerit*, *nullum poſſe conſiſtere Matrimonium*; ſed ſtatuit inſuper, iniri poſſe, *ſi rapta a raptore ſeparata*, *& in loco tuto*, *& libere conſtituta*, conſenſum deinde præbuerit.

CAPUT IX.

De reliquiis, & cultu ſanctarum imaginum.

§. I. *Joannis Tillotſoni*, *Archiepiſcopi Cantuarienſis*, *& Helvetii*, *inter Gallos Philoſophi*, *contra cultum ſacrarum imaginum impietates*.

Alterum a ſacramentis locum tenent inter res Eccleſiaſticas reliquiæ, & imagines Sanctorum. Vetus ſane Gentilium, & Hæreticorum calumnia eſt, quam Novatores renovarunt, & noſtra hac ætate impii quidam homines, ſub pietatis ſpecie, Catholicis opponere non deſiſtunt. Jactant enim Romanam Eccleſiam in *idololatriam* prolapſam eſſe, & nos, qui Cælitibus, divinæ beatitudinis conſortibus, religioſum cultum præſtamus, eorumque, amicorum Dei, lipſana, ſeu *reliquias*, imagines, memoriamque veneramur, tamquam *idololatras* factos, immane quantum abhorrent! Hac ſe nota impietatis duo præ ceteris nobilitarunt, Anglus unus, Joannes Tillotſonus, Archiepiſcopus Cantuarienſis (*d*); & Gallus alter, Claudius-Hadrianus Helvetius, Phi-

---

(*a*) Conſtantinus in *lib.* IX. *Cod. Theodoſ. tit.* 24. *L.* 1. Juſtinianus in L. unic. C. *de rapt. virg.* Gratianus *cauſ.* XXXVI. *quæſt.* 2. & Synodus Meldenſis an. 845. *Can.* 66.

(*b*) In *cit.* Cap. *accedens* VII. *cit. tit. de raptor.*

(*c*) *Seſſ.* XXIV. *de ſacr. matr. cap.* 6.

(*d*) E parentibus, qui ſerico operi navabant, natus Joannes Tillotſonus, Canonicus primum, & Decanus Eccleſiæ Cantua-

Philoſophus ſimul, & Poeta (*a*). Sic ille (*b*): *une troiſieme pratique de leur invention, c'eſt l'adoration des Images: ſuperſtition, qui (malgré toutes les diſtinctions qu'on allégue la-deſſus, les quelles ne ſont pas différentes de celles, dont les Payens ſe ſervoient en pareil cas) eſt auſſi diamétralement oppoſée au Second Commandement de la Loi* &c. Iſte vero (*c*): *eſt-il plus raiſonnable d'édifier ſous les noms de S. Euſtache, de S. Martin, ou de S. Roch, des Eliſes à l'Etre ſupreme? Mais les Payens s'agenouilloient devant des ſtatues de bois, ou de pierre. Les Catholiques en ſont autant, & ſi l'on en juge par les ſignes extérieurs, ils ont ſouvent pour leurs Saints plus de vénération, que pour l'Eternel.*

§. II.

---

tuarienſis, mox Regius Capellanus, tum an. 1691. ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem ſub Rege Guilielmo evectus fuit, demum an. 1694. quum annorum eſſet 65. e vita exceſſit. Extant illius *Sermones* ex Anglicano idiomate a Joanne Barbeyraco, Groningæ Juris Profeſſore, in Gallicum verſi.

(*a*) Natus eſt Pariſiis an. 1715. E coemendis vectigalibus Philoſophiæ, ac Poeſi operam dedit, ut amicus evaſerit Volterii, qui ita ad eum (in *Préface* ad *Poëme le Bonheur pag.* 20. Operum Tom. II.): *vous avez un génie mâle; & j'aime mieux quelquesunes de vos ſublimes fautes, que les médiocres beautés, dont on veut nous affadir.* Fuit etiam dominus oppidi *Voré*, quo obiit an. 1771.

(*b*) *Sérmons ſur diverſes matieres Tom.* II. *Serm.* XI. *De l'incertitude de ſalut dans l'Egliſe Romaine pag.* 90. *num.* 3. (*A Amſterdam* 1744.).

(*c*) Lib. *De l'homme chapitr.* 15. *pag.* 74. *Tom.* III. (*A Liege* 1774.). Liber *De l'Eſprit* vivente Auctore lucem vidit, & damnatus a Sorbona multum in Galliis rumoris excivit, multumque etiam malorum Helvetio attuliſſet, ni ſententiam is ſuam, ficte ſaltem, revocaſſet. Liber vero *De l'homme* poſt fatum ejuſdem Helvetii evulgatus eſt. In utroque tamen impietati Scriptor favet, & in *cit. chapitr.* 15. probare conatur minus nocere Imperio Religionem Paganorum, quam Chriſtianorum. Si Deus faxit, de eo in noſtris *Juris Naturalis, & Revelati Prælect.*

§. II. *Quædam prænotantur. Catholica doctrina ex Tridentino.*

Sed quam inſipienter hæc proferantur, facile cognoſcitur, ſi pauca ſapienter advertamus. I. Triplicis generis cultus eſt, *latriæ* (*a*), qui ſoli Deo, in ſignum ſupremi dominii (*b*); *hyperduliæ*, qui Deiparæ ob eximiam intra creatas res dignitatem; *duliæ*, qui Cælitibus ob eorum ſanctitatem impenditur (*c*). II. Pariter vel

(*a*) Græce λατρευω eſt *ſerviliter colo*, & proprie *ſervitium*, quod in ſignum plenæ ſubjectionis dominis præſtabatur, ſignificat. Non incommode autem ad denotandum cultum, vel ſubjectionem, quam homo debet Creatori ſuo, in recognitionem abſoluti dominii, quo ipſe in creatas res omnes gaudet, ea vox translata eſt.

(*b*) I. Non ſolum tres divinæ perſonæ, ſed Euchariſtia, & Chriſtus homo, (in quo divina hypoſtaſis, h. e. *ſuppoſitum*, aut *perſona*, utramque includit naturam, divinam, & humanam), *latriæ* cultu adorandus eſt. II. Contra humanitas Chriſti, quæ eſt nomen naturæ, non ſuppoſiti, ſi conſideretur ſeorſum a conjunctione cum Verbo, quoniam creata res eſt, non *latria*, ſed *hyperdulia* colenda eſt. III. Idem dixeris de præputio Chriſti, capillis, ſanguine. Si enim poſt reſurrectionem non fuerunt readſumta a Chriſto, non ſunt unita Divinitati, quum actu non ſint partes corporis Chriſti. Nec obſtat Theologorum dictum: *quod ſemel adſumſit, numquam dimittet*. Intelligitur enim de partibus *eſſentialibus* humanitatis, h. e. animo, & corpore, quibus Divinitas ſemper manſit adjuncta, ſive quum Chriſtus fuit in monumento, ſive quum deſcendit ad inferos. IV. Nec aliud putandum de clavis, ſpongia, ſpinis, quæ adſperſa ſanguine Chriſti, ſolius capacia ſunt *hyperduliæ*. Non enim eo contactu communicata illis fuit Divinitas, quo ſpectat *latria*. V. Ceterum non omnia, quæ Chriſtum contigerunt, adorationem merentur, puta, manus illius, qui ei alapam inflixit, aut dorſum aſelli, cui ipſe inſedit. Inde enim manifeſtum ſcandalum oriretur.

(*c*) *Dulia*, & *hyperdulia*, ob excellentiam aliquam ſupernaturalem, quæ in rebus tamen creatis adfulget, præſtantur. Non igitur ex ſui natura, ſed gradu inter ſe quodam diſtabunt.

Digitized by Google

vel *abſolutus* cultus eſt, vel *relativus*. Prior propriam ejus, qui colitur, excellentiam ſpectat, nec ultra progreditur. Poſterior, qui imaginibus quidem exhibetur, ſed *relate* ad prototypum, quod illæ repræſentant. III. Duplex in præſtando cultu actus diſtinguendus eſt, *internus*, & *externus*. Per *internum* cognitam *objecti* præcellentiam veneramur; per *externum* interiorem animi venerationem proteſtamur. IV. Præſtandi cultus ratio, ac modus nihil diſſimilis aliquando eſt, & extrinſecus confunditur: quo pacto Euchariſtiæ, & imaginibus Sanctorum thus adoletur. Ex diverſa tum adoratoris intentione diverſum adorationis genus eſt. V. Denique non religioſus ſolum, ſed *civilis* etiam cultus eſt, quo ſcilicet Reges, Magiſtratus, & viros poteſtate præcellentes proſequimur. Sed hic ceteroqui ad locum hunc non attinet. VI. Ex his liquet, quam inſulſe, indigneque Catholici ab Hæreticis traducantur. Quæ enim in hujuſmodi cultus exhibitione mens ſit Eccleſiæ, oſtendit Tridentinum (*a*), ubi inquit, *Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Chriſto viventium ſancta corpora, quæ viva membra fuerunt Chriſti, & templum Spiritus-ſancti, ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda, & glorificanda, a Fidelibus veneranda eſſe; per quæ multa beneficia a Deo hominibus præſtantur... imagines porro Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquod petendum; vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda; veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant, ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant: ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur.*

§. III.

(*a*) *Seſſ.* XXV. *in Decret. de Purg.*

§. III. *Cultus reliquiarum auctoritate antiquorum monumentorum comprobatur.*

Nihil autem novi Tridentini Patres in Eccleſiam induxerunt; ſed cultum, quem illa ſemper ab ſui primordiis tenuit, commendarunt, & confirmarunt. At I. ſane conſtat, ad *umbram* corporis Petri (*a*), & ad *ſudaria*, & *ſemicinctia* corporis Pauli, infirmos confugere conſueviſſe (*b*), ut ita a ſuis languoribus ſanarentur; *ad oſculanda vincula* martyrum in carcerem Chriſtianos cucurriſſe (*c*); Cathedram Jacobi, Apoſtoli, & Epiſcopi Hieroſolymitani, religioſe a Chriſtianis ſervatam eſſe (*d*); oſſa Polycarpi, Joannis Evangeliſtæ diſcipuli, decentiore in loco ſollemniter recondita (*e*); & reliquias Joannis Baptiſtæ ſummo cum honore Sebaſtæ cuſtoditas fuiſſe (*f*); unde Cæleſtinus Papa Patribus Epheſinis (*g*): *Joannes Apoſtolus, cujus reliquias præſentes honoratis, ad mutuam concordiam, dilectionemque hortatur.* Idem paſſim teſtantur Patres. Ad rem Gregorius Nazianzenus (*h*): *Bethleem venerare, & præſepe adora.* Et Chryſtomus (*i*): *ſepulchra ſervorum Crucifixi Regis aulis ſplendidiora ſunt... nam & is, qui purpura indutus eſt, ad illa ſepulchra ſe confert, ut ea am-*

(*a*) *Act.* V. 15.
(*b*) *Act.* XIX. 12.
(*c*) Tertullianus *lib.* II. *ad uxorem cap.* 4. ubi conjugi, quam mutuo conſenſu a ſe ſeparaverat, auctor eſt, ut a matrimonio cum Gentibus abſtineat, ſi Perſequutionis tempore ipſe prior e vita excederet. Inter alias rationes hanc adducit, quod numquam eam vir Gentilis *in carcerem ad oſculanda vincula martyris reptare patietur.*
(*d*) Euſebius *Hiſt. Eccl. lib.* VII. *cap.* 19.
(*e*) Euſebius *Hiſt. Eccl. lib.* IV. *cap.* 15.
(*f*) Rufinus *Hiſtor. Eccleſ. lib.* II. *cap.* 26.
(*g*) *Epiſt. ad Synod. Epheſ.*
(*h*) *Orat.* 38. *de Chriſti nativit.*
(*i*) *Homil.* XXVI. in II. *ad Corinth.*

amplectatur ; abjectoque faſtu ſupplex ſtans Sanctos deprecatur... quodque ſunt Imperatoribus in palatii janitores, id in tumulo piſcatoris ſunt Imperatores. Necnon Ambroſius (*a*): *cur autem non honorent corpus illud Fideles, quod reverentur & dæmones? quod & adflixerunt in ſupplicio, ſed glorificant in ſepulchro? Honoro itaque corpus, quod Chriſtus honoravit, in gladio, quod cum Chriſto regnabit in cælo*. Pariter Hieronymus contra Vigilantium ſcribens, morem non ſolum Urbis Romæ, ſed totius Orbis laudat, offerendi ſcilicet ſacrificia ſuper martyrum tumulis (*b*); & Auguſtinus contra Gentilium, & Manichæorum obtrectationes, cultum ex antiquo Eccleſiæ uſu martyribus præſtitum memorans, vindicanſque; eorum reliquias & honorifice circumgeſtari ſolitas, & ex ipſarum contactu flores, ac veſtes, virtutem quamdam hauſiſſe, & ad illorum memorias peregrinationes ſuſceptas, & plura identidem miracula patrata fuiſſe, diſerte adfirmavit (*c*).

§. IV. *Ex antiquitatis monumentis pariter cultus imaginum propugnatur*.

Quo tempore gens Judæorum, & ſuperſtitio Gentilium terris dominabatur, Chriſtiana Eccleſia exordium accepit ſuum. Judæi autem, ex præſcripto legis (*d*), a ſimulacris omnino abhorrebant. Gentiles Deorum imaginibus, in quibus aliquid divini latere arbitrabantur, ſupra modum adhærebant. Quapropter Eccleſia, quæ ex utriſque colligenda erat, in utriſque hac in re peri-

(*a*) *Serm.* 13. *de SS. Nazario, & Celſo*.
(*b*) *Lib. contr. Vigilant.* h. e. *Epiſt.* 53.
(*c*) *Lib.* XXII. *de Civit. Dei cap.* 8.
(*d*) *Exod.* XX. 4. *Levit.* XXVI. 1. & *Deuter.* IV. 15. Immo Origenes *lib. IV. contra Celſum* pictores, & ſtatuarios e Republica Judæorum arceri conſueviſſe tradidit, ne populo, in idololatriam proclivi, faciliorem ſuperſtitionis occaſionem præberent.

periculum experimentabatur. Maxime itaque credibile eſt, Apoſtolos de pingendis, colendiſque imaginibus potiſſimum ſiluiſſe, ne illos a Chriſtiana Religione deterrerent, hos vero, adorandis ſimulacris adſuetos, ad eorumdem cultum magis excitarent. Ex quo ſane factum eſt, ut imaginum uſus primis Eccleſiæ ſæculis vel rarior fuerit, vel alicubi etiam interdictus (a). Verum nihilo tamen ſecius quædam adhuc veſtigia ſuperſunt, ex quibus obtinuiſſe jamtum imagines facile dignoſcitur. Quippe ſtatuam æneam, quam mulier, a profluxu ſanguinis per Chriſtum liberata, in accepti memoriam beneficii erexerat, necnon Domini Servatoris, & Petri, ac Pauli depictas effigies, ſe Euſebius vidiſſe teſtatur (b). Quinimmo ſæc. II. adeo communis mos erat Chriſtum in calicibus depingendi, ſub ſpecie Paſtoris, errantem ovem ad ovile humeris ſuis reportantis, ut Catholici contra Montaniſtas, veniam lapſis negantes, argumentum inde deſumerent (c). Porro clariora ſunt monumenta ſæc. IV. ac ſequentium inde ætatum, in utraque ſcilicet Eccleſia, Græca, & Latina. Baſilius ſe gaudere adfirmat, quod pictores penicillo

(a) Concilium Eliberit. an. 405. *Can.* 36. Intellige vel contra Antropomorphitas, qui Deum corporeum credebant; vel ne a Gentilibus, perſequutionis tempore, relictæ imagines fœdarentur.

(b) *Hiſtor. Eccleſ. lib.* VII. *cap.* 18. Ubi iſtiuſmodi morem non ſua ætate natum, ſed a priſco jamtum tempore inductum ſcripſit Euſebius. Ita enim mox ſubjecit: *quippe priſci illi, abſque ullo diſcrimine, cunctos de ſe bene meritos, gentili quadam conſuetudine, tamquam ſervatores colere hujuſmodi honoribus conſueverant.* A primævis autem Eccleſiæ temporibus extitiſſe icones Petri, & Pauli, pingendique utrumque ſollicitam ſibi injeciſſe curam veteres Chriſtianos, obſervavit præterea Excellentiſs. amiciſſimuſque Stephanus Borgia, Sacræ Congr. de propaganda fide a Secretis, in egregio, eruditiſſimoque Opere *Vaticana Confeſſio* (*Romæ* an. 1776.), ubi corpus Petri nonniſi in templo Vaticano adſervatum, & perpetuo honoratum fuiſſe demonſtrat. Videte *pag.* 124. *& ſeqq.*

(c) Tertullianus *lib. de pudicit. cap.* 7. & 10.

lo ſuo felicius, quam ipſemet oratione, martyris Barlaam crematam manum expreſſerint (*a*). Et Chryſoſtomus neminem eſſe ait, qui imaginem S. Meletii non exoptet (*b*). Ambroſius quoque meminit picturæ Apoſtoli Pauli (*c*). Et demum Auguſtinus de S. Stephano prædicavit (*d*): *dulciſſima eſt hæc pictura, ubi videtis S. Stephanum lapidari*. Merito igitur cultum ſacrarum imaginum contra Iconoclaſtas confirmarunt Concilium Nicænum II. (*e*), CPolitanum IV. (*f*), & Tridentinum (*g*).

§. V. *Contra Deiparæ cultum inania Tillotſoni argumenta.*

MULTA reponere ſolent Heterodoxi contra imaginum venerationem, quæ apud Theologos paſſim refutantur (*h*). Quæ Tillotſonus, ſive a ſilentio Scripturarum, ſive ab Epiphanio, adverſus ſanctum Deiparæ cultum, triumphanti pœne oratione potiſſimum urget, non ſunt hoc loco omittenda (*i*). Ita ille

(*a*) *Homil.* 18. *in S. Barlaam*.
(*b*) *Homil.* I. *ad Popul. Antiochenum*.
(*c*) *Lib.* VII. *Epiſt.* 53.
(*d*) *Serm.* 316. *de ſollemnit. S. Steph. cap.* V. *num.* 5.
(*e*) *Act.* VII. *Tomo* 2.
(*f*) *Act.* X. *Can.* 3.
(*g*) *Seſſ.* XXV. *in Decret. de Purg.*
(*h*) Videte præſertim Natalem Alexandrum *Hiſtor. Eccleſ. ſæc.* 1. *Diſſert.* XXV. contra Joannem Dallæum.
(*i*) Ineptivit jam Anglus, uti adnotavimus *ſupr. pag.* 252. contra adorationem imaginum, in eo etiam damnandus, quod & ita priſcam Anglorum fidem damnavit. Conſtat enim & Henricum VIII. quamvis ſchiſmaticum, hujuſmodi tamen cultum retinuiſſe. Boſſuetus *Hiſtor. Variat. lib.* VII. *num.* 26. Conſtat Reginam Eliſabetham, quæ invita Iconoclaſtis faverat, in Regia tamen Capella Crucifixi imaginem ſibi adorandam reliquiſſe. Boſſuetus *ibid. lib.* X. *num.* 3. Conſtat etiam Mariam Stuartam, natam e ſorore primogenita Henrici VIII. veramque Angliæ heredem, quum e carcere, in quo XIX. fere annos

le (*a*): *je défie qui que ce ſoit de me montrer dans toute la Bible un ſeul mot, qui tende là. On ne trouve pas plus de quoi autoriſer cette pratique dans les Auteurs Chrétiens des trois premiers ſiècles. La vérité eſt qu'elle commença à ſe gliſſer parmi quelques peuples ſuperſtitieux, vers le milieu du quatrième ſiecle. Et je me ſouviens en particulier, que St. Epiphane, qui vivoit environ ce temps-là, l'appelle l'héréſie des femmes*. Sed quam doctus in concionando, indoctus in ratiocinando Archiepiſcopus! I. Nonniſi natis paſſim occaſionibus Apoſtolos ad ſcribendum acceſſiſſe, nec vero Scripturas integrum eſſe credendorum catechiſmum, alibi demonſtravimus (*b*). Quid igitur mirum, ſi de cultu erga Virginem eædem ſiluerint, præſertim quum ex Tridentino (*c*), *bonum, atque utile* ſit Sanctos invocare, ac colere, non autem ad ſalutem neceſſarium? Ceterum, ſi probe advertamus, nec apud Scripturas ipſas (*d*), nec potiſſimum in primis etiam Eccleſiæ ſæculis (*e*), luculenta obſequii, quo

nos injuſte detenta fuerat, falſorum rea criminum, ad mortem, manu Crucifixum geſtans, duceretur, ita ad Proteſtantem quemdam, qui ea de cauſſa ipſam irridebat, adfatam fuiſſe, *ſeſe Chriſtum facilius corde conſervaturam, quem tum manu, atque in oculis ferret;* ut videre eſt apud doctiſſimum, amiciſſimumque Nonnottium, (a quo ad nos e Galliis gratiſſimæ datæ ſunt litteræ), in *lib. Erreurs de Voltaire Tom.* I. *cap.* 32. Nunc ecce Tillotſonus idem contra Deiparæ cultum impudenter invehitur. Sed non impune certe hinc abibit!

(*a*) *Supr. cit. Serm.* XI. *pag.* 94. *& ſeq.*

(*b*) *Tom.* I. *pag.* 158. *& ſeqq.*

(*c*) *Seſſ.* XXV. *in Decret. de Purg.*

(*d*) Honor Virgini præſtandus ſatis inſinuatur & a magnifica ſalutatione Angeli, & ab eximia gratulatione Eliſabeth, & a converſione aquæ in vinum nonniſi rogante matre ſtatim facta in Cana Galilææ, & a ſingulari matris ejuſdem a Chriſto moriente apud Joannem commendatione, &, quod caput eſt, a crebra vocabuli *matris Jeſu* in iiſdem Scripturis uſurpatione.

(*e*) Sed apage hanc calumniam! Hujuſmodi trium priorum ſæculorum ſilentium objecerat etiam Dallæus. Natalis *ſupr.*

Digitized by Google

quo Fideles ſemper Deiparam proſequuti ſunt, veſtigia deeſſe videntur. II. Adludit certe Tillotſonus ad illud Epiphanii (*a*), ubi Collyridianos urgens, negat eis Virginem eſſe *adorandam*. Sed non vidit, Epiphanium contra eos ita ſcripſiſſe, qui *latriæ* cultu Deiparam venerabantur. Nimirum *απο της κολλυϱιδος* h. e. *a torta panis*, Collyridiani dicti fuere, eo quod in ea hæreſi mulieres ſtato quodam tempore, Virgini in ſella curuli ſedenti, tortas, & placentas, in illius honorem, tamquam Deæ, offerebant. Quod contra Deipara, ſi *adorationem*, ſeu *latriam* excipias, omni præterea honore adficienda ſit, idem eodem tempore Epiphanius fatetur (*b*): *ita quamvis Maria vel optima fuerit, ac ſancta, & honore digniſſima, non idcirco tamen adoratione proſequenda*. Et inferius: *Maria in honore ſit, Dominus adoretur* (*c*). Certe ſi Cantuarienſis ad concionem ſeſe comparaturus Epiphanium naviter conſuluiſſet, non adeo turpiter contra veritatem declamaſſet (*d*)!

CA-

ſupr. cit. Diſſ. quæſt. II. *art.* II. *propoſ.* II. ſatis convincit, oſtenditque eum cultum ab Apoſtolis, & a priſcis Patribus traditum fuiſſe, ac propagatum: quo pacto Epheſina Synodus, quæ ſæc. V. habita eſt, Virginem *θεοτοκον*, *Dei matrem*, prædicans, priorum ſe fidei ſæculorum conformavit. Ceterum quod ſæc. III. nondum provecto, Deipara a Fidelibus coleretur, habes a Juſtina virgine, quæ, quum ejus pudicitiam adpeteret magica arte Cyprianus, adhuc paganus, *την παρθενον Μαϱιαν ικετευσα βοηθησαι παρθενω κινδυνευουσῃ*, h. e. *Virginem Mariam ſupplex obſecravit, ut periclitanti virgini ſuppetias ferret*, teſte Nazianzeno *Orat.* 18. *in S. Cyprianum num.* 19.

(*a*) *Hæreſ.* 19. *contra Collyridianos*.

(*b*) *Cit. hæreſ.* 79.

(*c*) Quam vero illuſtrius, & manificentius gloriam Virginis prædicarit Epiphanius, ſi qui deſideret, adeat eumdem *hæreſ.* 78. & ipſius Orationem *de laudibus Mariæ*.

(*d*) Duplicem præterea Epiphanii textum paſſim opponunt imaginum oſores. Alter eſt ex *Epiſtol. ad Joann. Hieroſolymit.* ubi is narrat; ſe per vicum quemdam Diœceſeωs Hieroſolymitanæ tranſeuntem, velum, in quo imago depicta erat, conſcidiſſe. Cui argumento multipliciter ſatisfecit Juenin *Diſ-ſert.*

CAPUT X.

De Eccleſiis Chriſtianorum.

§. I. *Antiquitas*, *nomina*, *&* *vetus forma Eccleſiarum deſcribitur*.

ECclesiarum vocabulo hoc loco *ædes ſacræ* deſignantur, quo Fideles ad Religionis functiones rite obeundas conveniunt (*a*). Apoſtolorum tempore eas extitiſſe, patet ex Paulo (*b*): *primum quidem convenientibus vobis in Eccleſiam*, *audio ſciſſuras eſſe inter vos*. Et iterum (*c*): *numquid domos non habetis ad manducandum*, *&* *bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis*, *&* *confunditis eos*, *qui non habent?* Satis ex priſcis Scriptoribus id etiam probavit Bellarminus, qui quatuor præterea ex cauſſis a Chriſtianis Eccleſias ædificatas fuiſſe adnotavit, ad majorem de majeſtate Dei excitandam ideam, & venerationem, ad faciliorem populi inſtructionem, ad certiorem fundendarum precum exauditionem, & ad commodiorem orandi facultatem (*d*). Atque id ſub tempore etiam Ethnicorum Imperatorum ve-

---

ſert. VI. *quæſt*. XIV. *de Chriſti adorat*. *cap*. IV. *art*. 5. *Object*. 2. ubi Vaſqueſii ſententiam quoque adducit, opinantis de imagine profana Epiphanium loquutum eſſe. Alter eſt ex *Epiſt*. *ad Theodoſium Imp*. ubi imagines nec in Eccleſiis, nec in privatis ædibus habendas eſſe probavit. Verum hujuſmodi *Epiſtolam*, aut *Librum*, tamquam falſo Epiphanio adſcriptum, in Nicæno II. *Act*. VI. *Tomo* V. (*Actio* VI. in ſex Tomos, ſeu *Seſſiones* diſtributa fuerat), conſtanter rejecerunt.

(*a*) Hoc ſenſu *Eccleſia* accipitur *Deuter*. XXIII. 1. *Judic*. XX. 2. *Judith*. VI. 21.

(*b*) I. *Ad Corinth*. XI. 18.

(*c*) *Ibid*. *v*. 22.

(*d*) *Lib*. III. *de cultu Sanctorum cap*. 4. Vide quoque Van-Eſpenium *Juris Eccleſ*. *Part*. II. *tit*. XVI. *cap*. 1. *num*. 3. *&* *ſeqq*.

verum eſt, ut evincit Baronius (*a*), præcipue ex eorum Edictis de Chriſtianorum Eccleſiis demoliendis, quæ ab Euſebio memorantur (*b*). Porro variis paſſim nominibus Eccleſias donatas fuiſſe nullus dubitat. Frequentiora in antiquis monumentis occurrunt *Oratoria*, *Dominica*, *Baſilicæ*, *Apoſtolea*, *Martyria*, &c. (*c*). Quod formam denique Eccleſiarum pertinet, eæ, ſub Principibus potiſſimum Chriſtianis, vel navi ſimiles, vel ad crucis inſtar, vel rotundæ, vel ad octoedri ſpeciem ædificabantur, adeo ut exterior facies Occidentem, interior, ſeu Sanctuarium, Orientem ſpectaret. Partes interiores erant *Narthex*, ſive *ferula*, oblongæ ſcilicet figuræ, qui pœnitentibus, audientibus, catechumenis, gentilibus, energumenis patebat; *Navis*, in binas diſſecta partes, in quarum inferiore *proſtrati*, in ſuperiore *conſiſtentes*, & communicantes Fideles detinebantur, quæ propterea *Ambo* dicebatur, ab *αναβαινειν*, *adſcendere*, eo quod ad eam per gradus adſcenderetur; & *Sanctuarium*, ſeu *Bema*, h. e. *Tribunal*, quod cancellis, vel velo cingebatur (*d*), in cujus medio Altare poſitum erat, poſt quod thronus epiſcopi, & ſubſellia ſita erant presbyterorum. Quæ ſuprema *Sanctuarii* pars, ceteris inacceſſa, *Apſis* dicebatur. Jamvero partes Eccleſiarum exteriores erant *Veſtibulum*, quod per *Atrium*, ſeu *Implurium* ab Eccleſia ipſa dividebatur, porticibus ſeptum; *Baptiſterium*, in quo ablutiones fiebant; *Secretarium*, ſeu *Diaconicon*, in quo a diaconis pretioſa Eccleſiæ ſervabantur; & *Paſtophoria*, ſeu ædificia quædam ad utrum-

(*a*) *Annal. Eccleſ. ad an.* 57.

(*b*) *Hiſtor. Eccleſ. lib.* VIII. *cap.* 1.

(*c*) A vocabulo attamen *Templi* Chriſtiani primitus abſtinuere, ne confunderentur cum Gentilibus, qui ea adpellatione utebantur, ut locum ſacrificiis, & cultui Deorum deſtinatum ſignificarent. Occurrunt præterea voces *Matrices*, *Cathedrales*, *Baptiſmales*, & *Capellæ*, conditoria ſcilicet, in quibus Sanctorum reliquiæ adſervabantur, & de quibus multa apud Scriptores antiquitatis.

(*d*) Van-Eſpenius *ibid. num.* 35. *& ſeq.*

trumque Eccleſiæ latus conſtructa, in quibus reliquiæ Euchariſticæ reponebantur.

§. II. *Utroque jure ad ædificandam Eccleſiam epiſcopi conſenſus requiſitus. Certæ ad illius erectionem cauſſæ.*

Non ſolum autem Canones, ſed leges Imperiales, conſcientiam, veniamque omnino Epiſcopi requirunt ad novæ Eccleſiæ conſtructionem. Ita Chalcedonenſes Patres (*a*), & Juſtinianus (*b*) ſtatuerunt, ac paſſim ſequentes Imperatores, Synodique, ut probe advertit Van-Eſpenius (*c*), confirmarunt. Ceterum novas exædificandi Eccleſias non una legitima cauſa eſt. I. Si *populus ita numeroſus ſit, ut unus Rector non poſſit ſufficere Eccleſiaſticis ſacramentis miniſtrandis, & cultui divino peragendo* (*d*); licet ex ſola cauſſa increbreſcentis populi, non novam Parochiam erigendam, ſed potius veteris Eccleſiæ Rectores cogendos eſſe conſtituerit Tridentinum (*e*), *ſibi tot ſacerdotes ad hoc munus adjungere, quot ſufficiant ad ſacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum*. II. Si imminens periculum ſit, ut ex communicatione leproſorum, aut alio morbo laborantium, reliqui Fideles inficiantur. Tunc enim illis permiſſum eſt, ut *Eccleſiam cum cœmeterio ſibi conſtruere, & proprio gaudere valeant presbytero* (*f*). III. Si epiſcopus *in Parochia ſua*, h. e. intra propriæ Diœceſeωs fines, *monaſterium forte conſtruere ... & pro ſuis magnificare voluerit ſepulturis*. Tunc enim novam etiam conſtituere Eccleſiam poterit, & propriis eam rediti-

(*a*) *Can.* 4.
(*b*) *Novell.* LXVII. *cap.* 1. *& ſeq.*
(*c*) *Juris Eccleſ. Part.* II. *tit.* XVI. *cap.* II. *num.* 3.
(*d*) Trident. *Seſſ.* XXI. *cap.* 4. *in Decret. de Reform.*
(*e*) *Ibid. cit. cap.*
(*f*) Alex. III. in Lateran. III. *Cap.* XXIII. quod refertur in Cap. *quum dicat* II. Extr. *de Eccleſ. ædif. & repar.*

ditibus ditare teneretur (*a*). IV. Si novum monaſterium extruatur. Neceſſe namque eſt, ut ex conſenſu epiſcopi adjuncta illi quoque Eccleſia erigatur (*b*). V. Denique, (quod tamen facilius uſuvenire ſolet), ſi *ob locorum diſtantiam, ſive difficultatem, parochiani ſine magno incommodo ad percipienda ſacramenta, & divina officia audienda accedere non poſſunt* (*c*).

§. III.

(*a*) Innoc. III. in Cap. *Apoſtolicæ* IX. Extr. *de donat.* & Gratianus in Can. *bonæ* LXXII. & Can. *religioſam* LXXIII. *cauſ.* XII. *quæſt.* 2.

(*b*) Concilium Chalcedonenſe *ſupr. cit. Can.* 4.

(*c*) Tridentinum *ibid. cit. loc.* & Alex. III. in cap. *ad audientiam* III. Extr. *de Eccleſ. ædif. & repar.* ubi novam Parochiam jubet Pontifex inſtitui, etiam invito alterius Rectore, quod & confirmavit Tridentinum *cit. loc.* Aliam autem inſuper hoc loco advertamus. I. Quum juſta cauſſa ſit *magnum incomodum Parochianorum*, ut paullo ante dictum eſt, ſufficit ad novam erectionem hujuſmodi incommodum, etiamſi haud nimia ſit viarum longinquitas a veteri Parochiali Eccleſia. II. Idem dicendum, ſi periculum immineat, ut Parochiani ſine ſacramentis decedant. Cujuſmodi eventum non expectandum eſſe, ſed præveniendum ſatius duxit S. Congregatio apud Fagn. in Cap. *ad audientiam* III. Extr. *de Eccleſ. ædif. vel repar. num.* 17. III. Quid, ſi inter Parochialem, & habitationem populi, flumen, aut torrens hiemali tempore intercedat, nec ponte, nec vado tranſiliendus? Tum etiamſi modica ſit diſtantia, jure ad novæ Eccleſiæ conſtructionem procedetur, quum *alternative* loquutum ſit Tridentinum *ob locorum diſtantiam, ſive difficultatem*, ut *ſupr. cit. Seſſ.* XXI. *cap.* 4. IV. Dictum, ex cauſſa populi *numeroſi* non erigendam Eccleſiam, ſed ſacerdotes potius ad ſacramentorum miniſtrationem augendos. Sed quid, ſi anguſta tum Eccleſia frequentiorem poſtea populum amplius capere non poſſit? Locum eſſe novæ Eccleſiæ ædificationi tenet Fagnanus *cit.* Cap. *ad audientiam num.* 18. V. Si ad novam Parochiam erigendam reditus ſatis non ſint, poſſe Epiſcopum beneficiorum unionem facere putavit S. Congr. apud Fagnanum *ibid. num.* 33. VI. Si ex fructibus ad matricem Eccleſiam pertinentibus, alia Parochia fundaretur, illa patrona efficitur; &, ſi alius dotans acceſſerit, is etiam juſpatronatus adquiret. Fagnanus *ibid. num.* 38.

§. III. Dedicatio *proprie differt a* conſecratione. *De ea mentio apud antiquos. Pauca adjiciuntur.*

Dedicare proprie eſt ἐγκαινίζειν, ſeu *encæniare* (*a*), uti tradidit Auguſtinus (*b*): *encænia feſtivitas erat dedicationis Templi. Græce enim* καινὸν *dicitur novum. Quodcumque novum aliquid fuerit dedicatum, encænia vocantur. Jam & uſus habet hoc verbum. Si quis nova tunica induatur, encæniare dicitur.* Unde nihil aliud erat *dedicatio* Eccleſiarum, niſi earum per Religionis exercitia *encæniatio*. Qua in re differt a *conſecratione*, quæ ad cæremonias, quæ tum adhibentur, potius pertinet (*c*). Quoniam vero templa conſecrari ſimul, & dedicari conſuevit, hinc utraque ea vox promiſcue uſurpata eſt. Porro, niſi in ſumma neceſſitate, vetuerunt Canones in iis locis ſacra peragi, quæ nondum fuerint conſecrata, vel dedicata (*d*). Cujus quidem conſecrationis meminerunt Athanaſius (*e*), & Euſebius (*f*). Antiquitus etiam ad ejuſmodi ſollemnitatem vicini epiſcopi conveniebant (*g*); Synodos celebrabant, qualis fuit Antiochena, Arianorum tempore, ſub Julio Papa I. an. 340. dicta propterea in *encæniis* (*h*); & Ser-

(*a*) Inde apud Neapolitanos vox *incegnare*, quum primum res aliqua in uſu ponitur.

(*b*) *Tract.* 48. *in Joan.*

(*c*) Mazoch. *Dedicat. ſub Aſcia cap.* I. *num.* 1. *pag.* 141.

(*d*) Gratianus Can. *ſicut* X. Can. *miſſarum* XI. & Can. *hic ergo* XIII. *Diſt.* I. *de conſecr.*

(*e*) *Apolog. ad Conſtantinum Imp.*

(*f*) *Hiſtor. Eccleſ. lib.* X. *cap.* 3.

(*g*) Bellarm. *lib.* III. *de cult. Sanctor. cap.* 5. ubi plures eam in rem antiquos laudat ſcriptores.

(*h*) Magnificum Antiochiæ templum, quod *Dominicum aureum* adpellarunt, inchoarat jam Conſtantinus, & abſolverat ejus filius Conſtantius. Occaſione illius dedicationis per Arianum Imperatorem vocati epiſcopi, etiam ex Thracia, & Palæſtina;

& Sermones habebant, cujuſmodi plures extant apud Auguſtinum. Ex Ambroſio præterea (*a*), & Paulino (*b*) accepimus, quod reliquiæ etiam tum martyrum, ſaltem ex conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, adhibitæ ſint. Qui denique ex jure novo in dedicatione Eccleſiæ ritus obſerventur, habes ex Pontificali Romano. Duo hic præterire non licet. I. Dedicatio templi materialis, conſecrationem ſpiritualem, qua Fideles in Baptiſmo initiantur, ſignificat, adeo ut Baptiſmales cæremoniæ ritibus dedicationis Eccleſiæ adprime reſpondeant. Unde quemadmodum nec Baptiſmus, ita nec Eccleſiæ conſecratio reiteranda eſt (*c*). II. Solus epiſcopus conſecrare Eccleſias poteſt, nec id muneris ſimplici presbytero, licet ſacra olea fuerint per ipſum epiſcopum benedicta, ille poterit delegare; quum hujuſmodi facultas uni Romano Pontifici reſervetur (*d*). Immo nec & Vicarius generalis, etſi Epiſcopali Ordine inſignitus, ſine peculiari epiſcopi mandato, ad Eccleſiarum, & altarium conſecrationem poteſt procedere (*e*).

§. IV.

ſtina; & quidem 99. ut teſtatur Sozomenus *lib.* III. *cap.* 5. quorum 36. occulti erant Ariani. Attamen verum convocandæ Synodi conſilium fuerat, ut Atanaſium, Alexandrinæ Eccleſiæ reſtitutum, inde deturbarent. Quod favente Conſtantio, & contradicentibus vel in majori numero Catholicis, obtinuerunt, & expulſo Athanaſio alium, (qui Gregorius Cappadox fuit, quique ab Alexandrino populo miſere deinceps periit), ſubſtituerunt. Quare non proprie Catholicorum, ſed Hæreticorum fuiſſe conventum probavit Baronius ad an. 341.

(*a*) *Epiſt.* IV. *ad Felicem*.

(*b*) *Epiſt.* X. *ad Delphinum Burdegalenſem epiſcopum*.

(*c*) Can. *Eccleſiis* XIX. *Diſt.* I. *de conſecr.*

(*d*) Bened. XIV. *de Syn. Diœceſ. lib.* XIII. *cap.* XV. *num.* 2.

(*e*) Bened. XIV. *ibid. lib.* II. *cap.* VIII. *num.* 2. Et nos *Tom.* II. *pag.* 338.

§. IV. *Quandonam reconſecranda, aut reconcilianda Eccleſia ſit.*

Huc alia ſpectant. I. Reiteratur conſecratio, ſi dubia ſit (*a*); ſi exuſta Eccleſia iterum ſit reædificata (*b*); aut ſi ejuſdem collabentes muri fuerint reſtaurati (*c*). Nimirum ſi, *parietibus tamen illæſis, ac menſa principalis altaris in ſua extremitate modicam paſſa fracturam*, cetera omnis Eccleſia deſtructa ſit; tum nec eam, aut altare denuo eſſe conſecrandum docuit Alexander III. (*d*). II. Aliquando tamen non reconſecratione, ſed reconciliatione opus eſt, quum ſcilicet Eccleſia violatur, quod pluribus quidem modis contingere poteſt. I. *Per humani ſanguinis effuſionem* (*e*). Requiritur tamen, ut vulnus nonniſi homini in Eccleſia exiſtenti infligatur, non obſtante, quod vulnerans extra Eccleſiam reperiatur; ut non paucæ guttæ ſanguinis, ſed effuſio ſequatur, videlicet in aliqua copia; ut percuſſio gravis fuerit, unde non cenſenda eſt violata Eccleſia, ſi ex auricula, vel naſo, leviter vulnerato, magna vis ſanguinis effundatur; ut crimen ſit *notorium*; ut denique non caſu, neque ex levi, ſed gravi culpa læſio ſuccedat. II. *Per homicidium*, quod tamen ſit *notorium*; intra Eccleſiam commiſſum, etiamſi nulla adſit effuſio ſanguinis (*f*), aut

(*a*) Can. *Eccleſiæ* XVII. *Diſt.* I. *de conſecr.*

(*b*) Can. *Eccleſiis* XIX. *ibid.*

(*c*) Omnes hujuſmodi reiterandæ conſecrationis modos examinat Benedictus XIV. in Conſtit. *jam inde* an. 1756. conſecrationem Eccleſiæ Bononienſis, quam rexerat, deliberaturus. Et quoniam ob factas reſtaurationes templum illud de novo erectum videbatur, ad idem conſecrandum delegavit Card. Malvetium Epiſt. *tibi præ ceteris* eod. an. 1756.

(*d*) Cap. *ligneis* VI. Extr. *de conſecr.*

(*e*) Cap. *propoſuiſti* IV. Cap. *ſi Eccleſia* X. Extr. *de conſecr. Eccleſ.* & Cap. *ſi Eccleſiam* unic. eod. tit. in VI.

(*f*) Arguunt id Doctores ex eo, quod in Can. *ſi motum* XVIII. *Diſt.* I. *de conſecr.* & in *cit.* Cap. *propoſuiſti* dicitur homi-

aut occiſus domi inde ſuæ moriatur (*a*); & quo injuria ni percuſſo, ſaltem ſanctitati loci inferatur: unde ſi qui ſeipſe in Eccleſia cæderet, aut ſi judex ibi aliquem capitis damnaret, illa enimvero violaretur. III. *Per humani ſeminis effuſionem* (*b*), nimirum *notoriam*, & illicitam, ſive per voluntariam pollutionem, ſive per carnalem copulam, etiam conjugalem (*c*). IV. *Per ſepulturam hominis excommunicati*. Quare ſi contingat, quod per violentiam, aut alio is caſu tumulatus ſit, exhumari debet, dummodo corpus a ceteris Fidelium corporibus diſcernatur (*d*). Intellige tamen, ſi fuerit publice denuntiatus, aut *notorius* Clerici percuſſor. V. *Per ſepulturam hominis infidelis* (*e*). Quod tamen non eſt accipiendum de infante cum matre in utero ejuſdem mortuo. Fœtus enim cum parente ſua unum quaſi corpus cenſendum eſt. VI. Quum hæc ita ſint, duo adnotamus. Primum eſt. Polluta Eccleſia non creditur pollutum etiam cœmeterium, niſi ſit contiguum. Contra vero polluto cœmeterio, nullo modo Eccleſia, quamvis contigua, polluitur. Quinimo ſi pariete medio duo jungantur cœmeteria, ne violato quidem uno, alterum etiam violaretur, *licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur acceſſus* (*f*). Alterum eſt. Si Eccleſia, jam conſecrata, polluta ſit, a ſolo Epiſcopo reconcilianda eſt; neque is ſimplici presbytero hanc veniam

---

homicidio violari Eccleſiam, ſed tacetur, an cum ſanguinis effuſione, necne. Quod & notavit Gloſſa in *cit.* Cap. *ſi Eccleſiam* verb. *ſanguinis*.

(*a*) Quid, ſi qui foris percuſſus intra Eccleſiam decedat? Non pollui eamdem dicendum eſt.

(*b*) *Cit.* Cap. *ſi Eccleſia* X. Extr. *de conſecr.* & *cit.* Cap. *ſi Eccleſiam* unic. eod. tit. in VI.

(*c*) Solent excipere Doctores caſum, nempe ſi conjuges longo abhinc tempore in Eccleſia fortaſſe cohabitent, & in gravi periculo incontinentiæ fuerint.

(*d*) Innoc. III. in Cap. *ſacris* XII. Extr. *de ſepult.*

(*e*) Can. *Eccleſiam* XXVI. *Diſt.* I. *de conſecr.*

(*f*) *Supr. cit.* Cap. *ſi Eccleſiam* unic. eod. tit. in VI.

niam delegare poteſt, etiamſi aqua ab epiſcopo benedicta adhiberetur (*a*). Diximus *jam conſecrata*. Si enim Eccleſia, quæ violata eſt, benedicta tantum antea fuerit, tum per ſimplicem ſacerdotem cum aqua benedicta poterit reconciliari (*b*).

§. V. *Multa ad reparationem, ſepulturam, & cultum Eccleſiarum ſpectantia congeruntur.*

Ultimo loco diverſa ſunt, quæ admoneamus. I. In Hiſpania tres in partes, in cetero Occidente reditus Eccleſiaſtici in quatuor plerumque ſæc. VI. dividebantur, ita tamen ut una *fabricæ* Eccleſiæ cederet (*c*). Quum autem diviſio hujuſmodi exoleviſſet, quorum, quæſo, impenſis reparanda (*d*) Eccleſia eſt, ſi nulli ſpecia-

---

(*a*) Greg. IX. in Cap. *aqua* IX. Extr. *de conſecr.* Nimirum, (ut advertit Van-Eſpenius *Juris Eccleſ. Part.* II. *tit.* XVI. *cap.* IV. *num.* 23.), hujuſmodi ſollemnis templi materialis reconciliatio ſollemnem illam pœnitentium reconciliationem refert, quæ olim per epiſcopos fiebat.

(*b*) Greg. IX. in Cap. *ſi Eccleſia* X. Extr. *eod.* Et Bened. XIV. *de Syn. Diœceſ. lib.* XIII. *cap.* XV. *num.* 2.

(*c*) Van-Eſpenius *Juris Eccleſ. Part.* II. *tit.* XVI. *cap.* V. *num.* 2. *& ſeq.*

(*d*) *Reparari* dicuntur ædes, quæ vetuſtate, ſeu (ut ait Papinianus in *L. domus* 58. *D. de legat.* I.), *ætatibus* collabuntur. Porro, ut id addamus, ex coctis lateribus immortales fere eæ ſunt, vixque indigent *reparatione*. Quæ vero communiter ex noſtrate cœmento eriguntur, modo, ubi opus eſt, paſſim *reparentur*, ad duo, & tria ſæcula conſervantur. Refert ſane Vitruvius *lib.* II. *de Architect. cap.* VIII. parietes, ex ſententia ſui temporis Architectorum *non poſſe plus quam annos octoginta durare*. Quod tamen hodie non verum experimur, fortaſſe quod Vitruvius de parietibus duplici domino communibus loquatur, qui certe erant minoris craſſitiei. Unde idem *cit. cap. leges publicæ non patiuntur majores craſſitudines, quam ſeſquipedales, conſtitui loco communi*. Conſentit Cujacius *Obſer. lib.* XVIII. *cap.* 38.

ciales reditus in id ſint deſtinati? Tenentur ſane beneficiarii (*a*), commendatarii, penſionarii (*b*), poſſeſſores decimarum, etiamſi non ſint beneficiarii (*c*); Canonici, ſi ad reſtaurandam Cathedralem epiſcopus cum majore parte Capituli conſenſerit (*d*); patroni, iique omnes, *qui fructus aliquos ex dictis Eccleſiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum*, etiam parochiani (*e*). II. *Immunitate* locali, ſeu *jure aſyli* gaudent etiam Eccleſiæ; de qua inferius. III. Parochialis Eccleſia, ejuſve cœmeterium, proprius eſt ſepulturæ parochianorum locus. Conſentaneum enim ſemper viſum eſt, ut ubi quis ſacramenta vivus percepit, ibi apud eamdem matricem Parochiam habeat ſepulturam (*f*). Quum autem, relaxata antiqua diſciplina, Fidelibus ſepulturam etiam extra Parochiam ſibi eligendi facultas conceſſa ſit; huic nihilominus incolume ſemper jus *quartæ funerariæ* (*g*) Canones conſervarunt (*h*).
Sed

(*a*) Cap. *quicumque* I. & Cap. *quicumque* IV. Extr. *de Eccleſ. ædif. & repar.* Porro in Italia, Inſuliſque adjacentibus proviſi de beneficiis Eccleſiaſticis non adſectis, ſeu reſervatis S. Sedi, tenentur *ſolvere*, *aut reſpective deponere mediam annatam* pro fabrica propriarum Eccleſiarum; exceptis beneficiis Eccleſiæ Beneventanæ, & iis, quæ in illis Diœceſibus ſita ſunt, in quibus proprius fundus eſt deſtinatus ad reparationem fabricarum. Bened. XIII. Conſt. *pius* an. 1724.

(*b*) Gonzalez *Comment. in cit.* Cap. I. *num.* 7.

(*c*) Van-Eſpenius *ibid. num.* 5. & 11.

(*d*) Cap. *ex parte* IV. Extr. *de his, quæ fiunt* &c.

(*e*) Trident. *Seſſ.* XXI. *in Decret. de Reform. cap.* 7.

(*f*) Van-Eſpenius *Part.* II. *tit.* XXXVIII. *cap.* 3. *num.* 2.

(*g*) Occaſione inhumationis in alia aliqua Eccleſia, ſolebant Fideles partem etiam bonorum ſuorum eidem donare. De oblationibus hujuſmodi ſtatutum fuit, ut pars tertia, vel quarta, Parochiali Eccleſiæ vindicaretur. Quæ, quantacumque hodie ſit pro regionum conſuetudine, *quartæ* nomine nuncupatur.

(*h*) Cap. *nos inſtituta* I. Cap. *relatum* II. Cap. *quum ſuper* VIII. Extr. *de ſepult.* Tum Cap. *quum quis* II. *de ſepult.* in VI. & Clement. *dudum* II. §. *verum* tit. eod. *de ſepult.*

Sed de hac etiam re alibi fuſius (*a*). IV. In Baſilicis, Collegiatis, Eccleſiis quibuſcumque, & Oratoriis, ſub pœna excommunicationis quidquam cani non poteſt, *præter verba ex Breviario, vel Miſſali Romano in Officio de proprio, vel communi, pro currenti cujuſque diei feſto, vel quod a S. Scriptura, vel a S. Patribus non ſit deſumtum* (*b*). V. Quominus capſæ cadaverum, furſum a terra elevatæ, in Eccleſiis ponantur, prohibitum eſt (*c*). VI. Vetantur Clerici, Miſſæ Epiſcopali inſervientes, ſub excommunicationis pœna, tus, aut pacem Gubernatoribus, laicisque Officialibus prius offerre, quam ipſi epiſcopo ſollemnia celebranti (*d*). Quinimmo Vicario, & Proviſori Urbis Veronæ tus non a Canonico, ſed a Manſionario dandum eſſe ſtatutum fuit (*e*). VII. Magiſtratus, & judices ſæculares, ſi divinis officiis interſint, non poſſunt in presbyterio ſedes Canonicorum occupare (*f*); aut in aliis ſedibus cum iis in presbyterio morari, & a Diacono adſiſtente, incenſum, librum Evangeliorum ad oſculandum, & oſculum pacis petere (*g*). VIII. Tapetes, pulvinaria, ſedilia præferri nequeunt mulieribus, & poni in Eccleſiis, etiam Regularium, præcipue ubi exponitur Sacramentum (*h*). Præterea omnibus cujuſcumque gradus, exceptis Regalibus perſonis, deferre ſibi ſtrata cum pulvinaribus interdictum eſt. Secus ceſſandum a celebratione divinorum

---

(*a*) *Tom.* IV. *ſeq.* ubi de iis, qui Eccleſiaſtica ſepultura privantur.

(*b*) Alex. VII. Conſtit. *piæ* an. 1657. quam confirmavit Innoc. XII. in Edict. *la Santità* an. 1692.

(*c*) Pius V. Conſt. *quum primum* an. 1566.

(*d*) Leo X. Conſtit. *ad aures* an. 1520.

(*e*) Clemens VIII. Conſtit. *ex debito* an. 1593.

(*f*) Clemens VIII. Conſtit. *Romanum* an. 1604.

(*g*) Urbanus VIII. Conſtit. *alias* an. 1639.

(*h*) Paulus V. Conſtit. *pro parte* an. 1608. qua facultatem tribuit epiſcopo Granatenſi pœnas Regularibus, non obedientibus, pro arbitrio infligendi.

rum officiorum; Rectores Eccleſiarum id permittentes ipſo facto excommunicationem incurrunt; & Eccleſia ipſa pro interdicta cenſenda eſt (*a*).

CAPUT XI.

De monaſteriis, aliiſque locis piis.

§. I. *Contra monaſticam, ac regularem profeſſionem, impiorum Philoſophorum, & Helvetii præſertim, indigna declamatio.*

REBUS Eccleſiaſticis monaſteria etiam, aliaque loca pia, quæ vulgo dicunt, non incommode adcenſentur. Quanta autem philoſophica libertate in monaſticam, ac regularem profeſſionem, homines, male de Religione meriti; noſtro hoc præſertim tempore ferantur, & debacchentur, nemo eſt, qui ignorat. Videlicet monachorum, & Regularium omnium inſtitutionem, non a Religionis amore, ſed ad Romanorum Pontificum artibus, ac vafritie, non a colendæ pietatis, ſed ab amplificandæ dominationis ſtudio derivant; & paucarum vitia univerſo corpori vindicantes, nec temperatum bonorum uſum ab intemperato abuſu diſtinguentes, inſtituti ſanctitatem diminuere, pietatis exercitia ridere, perſonas tamquam imperio noxias odiſſe, Chriſtianos Principes ad earum malevolentiam excitare, Romanæque Sedi, quæ talibus ad ſua ubique commoda utatur miniſtris, turpiter detrahere non deſiſtunt. Ab unius Helvetii, de quo ſuperius (*b*), rabie, ceterorum, quæſo, rabiem diſcite. Sic ille (*c*): *o Papiſtes examinez, quelle fut en tous les ſiècles la conduite de votre Egliſe! Eut-elle intérêt d'entretenir garniſon Ro-*

(*a*) Clemens XI. Conſtit. *propoſito* an. 1701.
(*b*) *Pag.* 252. & *ſeq.*
(*c*) *Tom.* I. *lib. de l'homme Chapitr.* XII. *pag.* 61. (*A Liege* an. 1774.).

Romaine dans tous les Empires, & de s' attacher un grand nombre d' hommes! (c' eſt l' intérêt de toute ſecte ambitieuſe). Elle inſtitua un grand nombre d' ordres Religieux; fit conſtruire, & renter un grand nombre de monaſteres; eut enfin l' adreſſe de faire ſoudoyer cette milice Ecclésiaſtique par les nations même où elle l' établiſſoit. Et paullo infra (*a*): *il éſt de Royaumes Catholiques où l' on compte à peu près quinze mille couvents, douze mille prieurés, quinze chapelles, treize cents abbayes, quatre-vingt-dix mille prêtres employés à deſſervir quarante-cinq mille paroiſſes; où l' on compte en outre une infinité d' Abbés, de Séminariſtes, & d' Eccléſiaſtiques de toute eſpece... Leur dépenſe ſuffiroit à l' entretien d' une marine, & d' une armée de terre formidable*. Nimirum quid a Philoſopho expectes, totius humanæ gentis magiſtro, Paganorum Religionis, tamquam Julianus alter Imperator, amico, Eccleſiæ Chriſti oſore? Certe nos, pro inſtituti hujus ratione, ita graviter, breviterque pertractationem hanc expediemus, ut vos cum bonis civibus, de Religioſorum ordinibus bene ſentire, & cum rei Canonicæ peritis, monachorum, & regularium omnium exordia, officia, munera, privilegia, & quidquid omne de iis per Canones ſtatutum eſt, ſimul bene callere poſſitis.

§. II. *Origo, progreſſus, & principaliores monachorum Ordines recenſentur.*

Ut antiquiora omittamus (*b*), circa an. 253. furente perſequutione Deciana, auctoribus Dionyſio Alexandri-

(*a*) *Ibid. Chapitr.* XIV. *pag. 67. & ſeq.*

(*b*) *Aſcetæ* apud Paganos ii dicebantur, qui ſeveriorem vitam ad Philoſophiæ regulas *exercebant*. Id enim Græce ſonat *ἀσκησις*, ſcilicet *exercitationem*. Porro tribus fere prioribus Eccleſiæ ſæculis *Aſcetæ* etiam fuerunt, tum ſane viri, tum virgines præcipuæ, quæ ad Chriſtianæ vitæ *exercitationem* ſevere incubuerunt. Verum numquam ii proprie *monachi* extitiſſe dicendi

drino, & Gregorio Thaumaturgo, Fideles, ſive in Thebaidem, ſive in Ponti ſolitudines recedere conſueverunt. Adeo autem aliquibus illic jucunda fuit vita, ut, pace Eccleſiæ poſtmodum reddita, ad priſcos ii lares remeare noluerint. Inter ceteros eminuere Paulus, qui *auctor*, & Antonius, qui *illuſtrator* ſolitariæ vitæ a Hieronymo nuncupatur (*a*); & cujus vivendi inſtitutum Athanaſius, Patriarcha Alexandrinus, in ſuæ Eccleſiæ Clerum transferre curavit. Antonio Pachomius Abbas ſucceſſor fuit, ſive adjutor, qui primus communem monachorum vitam, & cœnobia inſtituiſſe dicitur (*b*). Porro duplex præcipue genus monachorum fuit. Alii *monachi*, ſeu *ſolitarii* proprie dicti, qui ſub nullo certo præpoſito, regulis quibuſdam ab Antonio conſtitutis addicti, in ſuis quiſque cellis ab hominum procul conſortio vivebant; quos propterea Juſtinianus (*c*) ἀναχωρείτας, h. e. *diſcedentes*, & Ἡσυχαστας, h. e. *quieſcentes* adpellavit. Alii *cœnobitæ* erant, qui in communi viventes regulam quamdam ſub proprio Abbate, ſeu cœnobiarcha, aut Archimandrita profitebantur, qui ab Imperatoribus Arcadio, & Honorio *ſynoditæ* dicuntur (*d*). Utriſque autem vitæ ſolitudinem, & communitatem conciliare ſtudit Baſilius, qui & cœnobia, & ab iis non procul cellulas quaſdam ædificavit, in quas diſcedentes actionem contemplatione temperarent (*e*). Quanta autem per ea circiter tempora multitudo virginum nedum virorum, monaſticam vitam coluerit, ex anti-

di ſunt, quippe qui, rigidam quamvis, nec in ſolitudine tamen, nec in communi, (qua utraque in re monaſtici inſtituti ratio ſita erat), vitam tranſigebant).

(*a*) *Epiſt.* XXII. *ad Euſtoch.*

(*b*) Papebroch. in *Acta Sanctor.* die 14. Maji.

(*c*) *Novel.* V. *cap.* 3.

(*d*) In L. *addictos* 6. C. *de Epiſc. aud.*

(*e*) Loca hujuſmodi cellis interſperſa, perinde ac *plateæ* quædam eſſent, aut *vici*, proprie *lauræ* dicebantur. Dufreſn. in *Gloſſar.* verb. *laura*.

antiquitatis monumentis ſatis adparet (*a*). Jamvero Athanaſius, Arianorum artes declinaturus, Romam ſe contulit, & vitam Antonii, quam eo adhuc vivente conſcripſerat, Romanis auribus inſinuans, ad amorem eos ſolitudinis excitavit. Acceſſit deinde Hieronymus, qui exemplo, & ſcriptis monaſticam Philoſophiam promovere non deſtitit, ad cujus profeſſionem, Marcellam, omnium primam, illexit. Inde ortæ virgines *Eccleſiaſticæ*, quæ ſcilicet paternis ædibus degentes, a parentibus, vel ab Eccleſia alebantur; & *monaſticæ*, quæ propriis laboribus communem vivebant vitam. Ex Italia hujuſmodi inſtitutum alio migravit. A Martino Turonenſi in Gallias, & ab Auguſtino in Africam, ut alibi obſervavimus (*b*), invectum eſt (*c*). Atque inde etiam plurimæ monachorum, & ſanctimonialium familiæ paullatim in Occidente adparuere, ut tot eſſent fere regulæ, quot extructa monaſteria. Tandem circa annum 529. Benedictus ad Caſinum Montem ſeſe recepit, & regulam tradidit, quam ceteri inſequentes, in varias licet ſciſſi Congregationes, per orbem propagarunt; adeo ut Baſilius in Oriente, Benedictus in Occidente, monaſticæ vitæ parentes, & auctores potiſſimum habendi ſint. Præterea ſæc. XI. quum fœde laxaretur Eccleſiaſtica diſciplina, plures Clerici ſeveriorem Auguſtini diſciplinam amplexi fuere, quibus in Lateranenſi Baſilica locus tributus eſt, unde *Canonici Lateranenſes* adpellati. Ex iis Ordo Prædicatorum natus ſubinde eſt, auctore S. Dominico ad abigendas Albigenſium hæreſes, & mores concionibus reformandos; quem Ordinem Innocentius III. in Lateranenſi IV. an. 1215. probavit. Paullo poſt Chriſti, & Apoſtolorum exempla ſequutus D. Franciſcus de Aſſiſio, novum Ordinem, qui pau-

(*a*) Baſilius *Serm. de inſtit. monach.* & Chryſoſtomus *Homil.* VIII. *in Matth.*

(*b*) *Tom.* II. *pag.* 319.

(*c*) Thomaſſinus *de Vet. & Nov. Eccleſ. diſcipl. Part.* I. *lib.* III. *cap.* XII. *num.* 6. *& ſeq.*

paupertatis profeſſionem coleret, introduxit; quem, una cum inſtituto familiæ Dominicanæ Honorius III. an. 1223. confirmavit. Tum monachi quidam, quos in Monte Carmelo an. 1185. B. Bertoldus ad exemplum Eliæ inſtituerat, quibuſque B. Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus regulam Baſilianam obſervandam dederat, Romam venere. Quo vivendi inſtituto ab eodem Honorio an. 1226. comprobato, Ordo Carmelitarum emerſit. Demum an. 1276. complures quidam eremitæ, errones, & vagi, ad Auguſtini regulam amplectendam ab Alexandro IV. inducti fuere, unde Ordo eremitarum Auguſtinianorum originem traxit. Atque hi quidem hodie quatuor ſunt Ordines Mendicantium, qui Regularium nomine veniunt (*a*). Quæ porro inde ſive monachorum divortia, diverſæque familiæ proceſſerint; quæ varia Clericorum, & Ordinum militarium inſtituta, ſub certis votis, & regulis paſſim ad nos uſque enata ſint, non eſt hujus loci enumerare. *Indicem Chronologicum* recenſuit Joannes Doujatius (*b*).

§. III. *Monaſteria ab urbibus principio aberant, & monachi tum laici erant, tum nihil rerum immobilium poſſidebant. Haud ita hodie certis de cauſſis.*

ANTEQUAM ad alia pergamus, aliqua advertatis oportet. I. Procul a rumoribus, & hominum frequentia monaſteria primum erigebantur, etiamſi inibi ſanctimoniales morarentur (*c*). Baſilius in finitimis Ponto

(*a*) Hinc in libris Decretalium titulus *de Regularibus tranſeuntibus ad Religionem*.

(*b*) Ad calcem *lib.* V. *Prænot. Canonic.*

(*c*) Chryſ. *Homil.* VIII. in *Matth.* *συλλογὰς παρθένων*, *choros virginum* memorat apud Ægypti ſolitudines, & Hieronymus *Epiſt.* XVI. *ad Princip.* apud agrum, Romæ ſuburbanum, feminas ad aſceticam vitam tranſigendam receſſiſſe teſtatur.

to urbibus ea ædificavit, ut orthodoxorum monachorum opera ad tuendos ab Ariana hæreſi cives uteretur. Senſim eo exemplo mos idem obtinuit. Adde, ne hoſtium incurſibus ſolitaria loca paterent, & ut civitates ipſæ ex pientiſſimorum cœnobitarum præſentia aliquid inde caperent emolumenti. II. Ex primæva ſui inſtitutione monachi laici erant. Unde Hieronymus (*a*): *monachus autem non doctoris habet, ſed plangentis officium*. Et: *alia monachorum eſt cauſſa, alia Clericorum. Clerici paſcunt oves, ego paſcor*. Pluribus autem de rationibus fieri potuit, ut ad ſacros Ordines aliquando promoverentur, ſi ſcilicet monaſterium ab Epiſcopali, aut Parochiali Eccleſia abeſſet; ſi frequenti admodum monachorum multitudine ſcateret; aut ſi ita e re eſſet Eccleſiæ, ut qui inter monachos pietate, doctrinaque præcellerent, inter Clerum adſciſcerentur (*b*). III. Perpetuis exercitationibus erant mancipati. Unde victum labore manuum quærebant (*c*); nec quid ſibi proprium quiſque habebat; veſtitu viliore (*d*), præſertim palio (*e*), utebantur; tonſuramque, quæ pœnitentium inſigne erat, ferebant (*f*). Contra fama eorum ſanctitatis, undique diffuſa, reditus, & fundos ipſis comparavit, certan-

---

(*a*) *Lib. adverſus Vigilant.* Et *Epiſt.* V. *ad Heliodorum monach.*

(*b*) Selvaggius *Antiq. Chriſt. lib.* I. *Part.* II. *cap.* XIII. §. 5.

(*c*) Binghamus *lib.* VII. *Origin. Eccleſ. cap.* III. §. 10.

(*d*) Diſcipulis Pachomii peculiares fuiſſe veſtes videntur, duriores licet, de quibus Caſſianus *Collat. in S. Pachomii Abb. regul.* Monachi vero Occidentales indumentum, nihil ab uſu alienum, nigrum licet, habuere. Cucullam, ac tunicam, quæ ruſticorum veſtes erant, ſuis permiſit Benedictus. A ſæc. circiter X. varietas veſtium cœpit. In Oriente adhuc nigræ veſtis uſus univerſim perſeverat.

(*e*) Pallium veſtis erat philoſophorum. Eo amictu gravitas, probitaſque morum deſignabatur. Monachos adpellatos etiam *philoſophos* adparet ex Theodoreto *Hiſtor. Eccleſ. lib.* IV. *cap.* 28.

(*f*) Tondebantur monachi, ut a ſæculi civibus ſecernerentur;

tantibus Chriſtianis, propria eis bona, utpote pauperibus, in redemtionem peccatorum, elargiri, ipſiſque Principibus, eoſdem conceſſione etiam feudorum locupletare (*a*). Hodie ex Tridentino (*b*), *omnibus monaſteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum, & mendicantium, exceptis domibus fratrum S. Franciſci, Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Obſervantia vocantur*, immobilium poſſeſſio permiſſa eſt.

§. IV. *Plerique monachi eſſe probibentur. Quædam de monaſtica profeſſione.*

Nec vero omnibus ad monaſteria aditus patebat. Prohibebatur enim curialibus (*c*), iiſque, qui patriæ adminiſtrationem tenebant, niſi poſſeſſiones ſuas cum aliis dividerent, qui eorum vice publica munera ſuſtinerent (*d*); militibus, niſi vel ſtipendia confeciſſent, vel Divales litteras obtinuiſſent (*e*); ſervis, niſi ex domini voluntate (*f*); filiisfamilias, niſi petita parentum venia

tur; non radebantur, ne Iſidis ſacerdotibus, quibus hujuſmodi mos erat, adſimilarentur.

(*a*) Muratorius *Diſſert.* LXVII. *Antiqu. Italic. med. ævi* ſæc. VIII. *& ſeqq.*

(*b*) *Seſſ.* XXV. *de Regular. cap.* 3.

(*c*) Ita dicebantur, qui municipii, vel curiæ officiis addicti adminiſtrationem publicæ pecuniæ, curam horreorum civitatis, annonæ exactionem, judicialium decretorum exequutionem, aut alia hujuſmodi, (quæ refert Gothofredus in Paratitlo *tit.* I. *de Decurion. lib.* 12. Cod. Theod.) habebant.

(*d*) Valentinianus, & Valens *L.* LXII. *lib.* XII. *tit.* 1. Cod. Theodoſ.

(*e*) Nota eſt lex Mauritii, quæ milites a monachatu abſterrebat, & quam Gregorius M. ſapienter agens apud Imperatorem, deinde temperavit, adhortans epiſcopos, ne milites, niſi qui a publicis rationibus eſſent expediti, cum præmiſſa prætera triennali probatione, in monachos admitterent. Greg. M. *lib.* VIII. *Epiſt.* V.

(*f*) Conc. Chalcedon. *Can.* 4. & Valentinianus III. *Novel.* XII. ad calcem Cod. Theodoſ.

venia (*a*), quamvis id utriſque conceſſerit Juſtinianus, ut vel invitis dominis, aut patribus, monaſticam ii profeſſionem amplecterentur (*b*); & conjugatis, niſi mutuo utriuſque conſenſu, ut de Paulino, epiſcopo Nolano, & Tharaſia uxore traditur (*c*); aut ni ſaltem in ſæculo remanens, votum emitteret caſtitatis (*d*). Quod ſi vero nullus inter conjuges uſus fuerit Matrimonii, tum certe alteri, altero etiam repugnante, monaſticam vitam ſequi liceret (*e*). Quod præterea ad profeſſionem ſpectat, plura hic advertenda. I. Eam vel *expreſſam* eſſe, vel *tacitam* ſuperius docuimus (*f*). Hodie tamen per ſollemnem tantum, & *expreſſam* profeſſionem, quæ a publico tabellione præſente in publicum etiam inſtrumentum redigitur, monachus quis conſtituitur; nec *tacita* amplius admitti videtur. II. Ex Tridentino ad profeſſionem religioſam pro utroque ſexu annus decimus ſextus exactus requiritur, ſub pœna *nullitatis* actus, ut monuimus (*g*). Nihil autem Concilio adverſari eorum Ordinum ſtatuta, quæ majorem ætatem ad profitendum requirunt, reſpondit S. Congregatio (*h*).

III.

(*a*) Gangrenſe an. cir. 324. *Can.* 16. anathema inflixit iis, qui ſub pietatis ſpecie parentes defererent.

(*b*) *Novel.* V. *cap.* 2. Et L. 55. C. *de epiſc.* Quid, ſi ſervi furtorum, aut aliorum criminum erant rei? Poteſtatem dominis fecit, ut intra triennium poſſent eos ad ſe revocare. *Cit. Novel.* V.

(*c*) Mutuo conſenſu, & quum nec periculum eſt incontinentiæ, ſuo ſe jure privant invicem conjuges.

(*d*) Cap. *præterea* I. Extr. *de converſ. conjugat.*

(*e*) Cap. *verum* II. Extr. eod. Et Cap. *ex publico* VII. bimeſtre a contractis nuptiis datur utrique conjugi ad deliberandum de meliore ſtatu, nec interea alteruter ad matrimonialem copulam adigi poteſt.

(*f*) *Pag.* 241.

(*g*) *Cit. pag.* 241. *& ſeq.*

(*h*) Apud Fagnanum in Cap. *nullus* I. Extr. *de Regular. num.* 15. Immo Pius V. Conſtit. *illa nos* an. 1568. minoribus Conventualibus S. Franciſci prohibuit, ne novitii ante annum XIX. profiterentur.

III. Quoniam monachatus perpetua eſt pœnitentia, merito pro altero Baptiſmo monaſtica profeſſio reputatur (*a*).

§. V. *Triplex profitentium votum. Aliqua de peculiis, & vitalitiis adnectuntur.*

PROFESSUS triplicis voti, h. e. obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, reus præcipue fit (*b*). I. *Obedientia* id ſecum fert, ut depoſita propria voluntate a Superioris nutu monachus omnino dependeat (*c*) in iis, quæ nec divinæ legi, nec regulæ adverſantur. Parendum autem *ſine mora, non tepide, & bilariter* (*d*). II. Ex

(*a*) Concilium CPolitanum III. *Can.* XL. monachi profeſſionem *benedictionem gratiæ* vocavit. Hieronymus Bleſillam, quæ quatuor ante menſibus profeſſa fuerat, *ſecundo quodammodo propoſiti baptiſmo* purgatam, ad Cælites commigraſſe adfirmavit *Epiſt.* XXV. *ad Paulam*. Et Juſtinianus *Novel.* V. *in Præfat.* per monachalem vitam *omnem quidem humanam maculam* detergi teſtatus eſt.

(*b*) A peculiaribus tamen Inſtitutis, peculiaria vota emittuntur, ut a Trinitariis votum redimendorum captivorum; a Clericis Regularibus, ſerviendi infirmis, animam agentibus, etiam tempore peſtis; a Fratribus caritatis S. Joannis, miniſtrandi infirmis in hoſpitalibus; a Somaſchis, orphanos ad pietatem, & litteras informandi; & ſic porro; de quibus nihil hic.

(*c*) Religioſis nec *velle, vel nolle* eſt. Cap. *ſi religioſus* XXVII. *de elect. in* VI. Nec contra obedientiæ votum præſcribi poteſt, quantumcumque extra monaſterium degatur. Fagn. in Cap. *ſicut* XVII. Extr. *de Regular. num.* 6.

(*d*) *Regul. Benedict. cap.* V. Quare immane quantum a mente Canonum, & regulari obſervantia alienum eſt, ut obedientiam profeſſi, juſſa Superiorum, duriora, ac viribus majora reputantes, graviter ferant, aut ad alios provocando declinant. Potius tum expediet propriam imbecillitatem, Majoribus ſuis patienter patefacere, iiſque, ſi mandatum præterea urgent, alacriter obedientiam præſtare, quam Veteres *cæcam* dixere, eo quod quis, proprio arbitrio aliud ſuadente, de ſuis viribus deſperans, ſperans contra in divinum ſubſidium, potiſſimum pareat.

Ex voto *caſtitatis*, non turpes ſolum carnis voluptates, ſed Matrimonium ipſum regularibus prohibetur. Sane antiquitus communione Eccleſiæ privabantur, ſi ii nuptias adtentaſſent (*a*), licet ipſæ validæ fuiſſent (*b*). Procedente tempore pro invalidis ſtatutæ (*c*). Quo ſpectat illa Innocentii III. ſententia (*d*): *abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt adnexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*. Intellige, non quod Chriſti Vicarius, cui quæcumque ſolvendi poteſtas data eſt, non poſſet, ob ſummum Reipublicæ bonum, monachum a votis paupertatis, aut caſtitatis diſſolvere; ſed quod nequeat per diſpenſationem efficere, ut monachus proprium, aut uxorem habeat, atque interim vere monachus perſeveret. Nimirum ita monachatui *eſſentialia* intrinſece ſunt hujuſmodi vota, ut ſine illis monachalis ſtatus evaneſcat neceſſe ſit (*e*). III. Ex voto *paupertatis* nihil proprii poſſident monachi, utpote qui omne rei dominium abjecere. Quare labore manuum, ut diximus, primum vivebant, & collectos inde fructus in communitatis uſum conferebant. Hodie ſive ex ſtatis reditibus, ſive ex Fidelium ſtipe alantur, ne iis quidem, quæ ad vitam ſunt neceſſaria, tamquam propriis, ex Tridentino (*f*) uti poſſunt. Et I. quidem ſive bona immobilia ſint, vel mobilia, *cujuſcumque qualitatis*. II. Licet *quovis modo*

(*a*) Chalcedon. *Can.* XV.

(*b*) Van-Eſp. *Jur. Eccl. Part. II. tit. XIII. cap.* IV. *n.* 3.

(*c*) *Supr. pag.* 241.

(*d*) In Cap. *quum ad* VI. Extr. *de ſtatu monach.*

(*e*) Adite Fagnanum in *cit.* Cap. *quum ad*; ubi *num.* 43. *& ſeqq.* hanc late diſcutit quæſtionem, reſponderque momentis S. Thomæ in alia omnia abeuntis 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *art.* 11.

(*f*) *Seſſ. XXV. de Regular. cap.* 2. Clemens VIII. Conſtitutionem edidit *nullus omnino* an. 1599. pro reformatione regularium, qua mentem Tridentini *cit. cap.* pluribus explicavit. Videte etiam Fagnanum in Cap. *monachi* II. Extr. *de ſtatu monach. num.* 67. *& ſeqq.* ubi in eam rem multa edifferuit.

modo ab eis adquiſita fuerint . III. Nec *etiam nomine Conventus* . IV. Nec quoque ſi in *uſumfructum* , *vel uſum* , *adminiſtrationem* , *aut commendam* acceperint . V. Uſus denique mobilium ita ipſis permittitur, *ut eorum ſupplex ſtatui paupertatis* , *quam profeſſi ſunt* , *conveniat ; nihilque ſuperflui in ea ſit ; nihil etiam* , *quod ſit neceſſarium* , *eis denegetur* . VI. Ingenio inſuper *paupertatis* non ſolum præbendæ quædam proprie adverſantur , h. e. , certi reditus cuique Officio adnexi (*a*) ; ſed etiam peculia , h. e. puſilla pecunia , quam labore , parſimonia , aut donatione partam monachi ſejunctam habeant a rationibus monaſterii , inque proprios uſus convertant (*b*) ; tum & annuæ quædam præſtationes , vulgo *vitalitii* , vel *livelli* , quas a conſanguineis pacta conventione accipiunt , & quibus , prout opus eſt , utuntur (*c*).

§.VI.

(*a*) Diviſio bonorum monaſterii in *menſam* Abbatis, & *menſam communem* a ſæc. XII. repetit Thomaſſ. *de Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. Part. III. lib. II. cap. XXVI. n.* 4. Exemplo Superiorum Officiales partem quiſque ſuam a communi menſa ſeparatam inde voluere.

(*b*) Cap. *monachi* II. Extr. *de ſtatu monach.* Neque ad id venia ſuffragatur Abbatum, ut late probat Fagnanus in *cit.* Cap. *monachi num.* 50. *& ſeq.* Opponunt quidam tamen verba *cit.* Cap. ubi dicitur: *qui verò peculium habuerit*, *niſi ab Abbate fuerit ei pro injuncta adminiſtratione permiſſum*. Sed de pecunia ibi ſermo eſt, quam Officiales nonniſi ex conceſſione Superiorum, & ad nutum *amovibiles*, ſolent adminiſtrare.

(*c*) Origo *livellorum* a paupertate monaſteriorum, & a pietate conſanguineorum repetenda videtur. Quum enim tæderet, liberis, & propinquis neceſſaria ad vitam parce a monaſteriis miniſtrari, mos paullatim inolevit ut profeſſionis tempore conſanguinei fidem darent, ſeſe annuam profitenti præſtationem præbituros, qua incommodis monaſticæ vitæ quodammodo occurreretur. Conſenſere Præpoſiti monaſteriorum, parſimoniæ amore. Sed vitæ communis obſervantia labefactata inde eſt. Quæſitum aliquando fuit a S. Congregatione, liceretne utriuſque ſexus regularibus quoſdam ſibi annuos reditus habere pro ſui ſuſtentatione. Et reſponſum, nihil proprii poſſideri

poſſe,

Digitized by Google

§. VI. *Monachi omnino epiſcopis primum ſubjecti. Eorum exemtiones, quoad ſpirituale quoque regimen, ab ſæc. XII. Eædem deinde ex Tridentino temperatæ.*

Præterea quantumvis ab Abbatibus monaſteria regerentur, illorumque maxima eſſet poteſtas in monachos (*a*), ſemper ea tamen civitatis epiſcopo omnino ſub-

poſſe, ſed quidquid adquiritur, ſtatim Superioribus tradendum, qui prius neceſſitatibus illius, cujus intuitu comparatum eſt, tum in monaſterii uſum reliqua impendent. Bened. XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.* XIII. *cap.* XII. *num.* 20. Ceterum quantacumque hac in re reſtituendæ communis vitæ ſit difficultas, puta, quod detrectarent poſtmodum conſanguinei annua ſuis ſubſidia largiri; quod etiamſi conſentirent ingreſſuri regulares, diſſentirent certe, qui inibi jam tum vivunt; & quod deficientibus humana vice certis monaſteriorum reditibus, in incommodioris vitæ periculum incurratur; ea ſemper eſt Eccleſiæ mens, ut ſervetur perfecta vitæ communio, ubi viget, inducatur, ubi non obtinet, ſi felix tamen exitus ſperari poſſit. Bened. XIV. *ibid. num.* 21. Itaque ſi qui contrarii irrepſere abuſus, nonniſi relaxationes voti paupertatis ſunt, ſolaque tolerantia excuſari poſſunt. Illud autem, ne in votum peccetur, omnino requiritur, ut regularis, quamcumque ſibi pecuniam, ſive conſanguineorum donationibus, ſive proprio labore adquiſierit, illico in communem monaſterii arcam inferat, e qua ex Superiorum conſenſu paſſim capiat, parato interea animo, ut ſi ita ferant monaſterii rationes, ea libere ab ipſis Superioribus poſſit impendi. Bened. XIV. *ibid. n.* 21.

(*a*) Deni monachi uni parebant, qui *decanus*; centeni vero alteri, qui *centenarius* dicebatur. Omnes tamen Abbatibus, aut Hegumenis, ſive Præſidibus ſubjiciebantur, quorum erat divina officia adminiſtrare, diſciplinam regere, in delinquentes animadvertere, tum corporalibus, tum ſpiritualibus pœnis, puta, Euchariſtiæ, ſacrorumque prohibitione, & vero etiam excommunicatione; quæ tamen non cenſura erat Eccleſiaſtica, cujus infligendæ laicus, (cujuſmodi plerumque erant Abbates), incapax eſt, ſed Canonica quædam pœna, ad exemplum aliorum. Porto jus ſedendi, ſuffragiique Abbatibus in Provinciali Synodo CPolitana ſub Flaviano an. 448. datum fuit.

Digitized by Google

ſubjiciebantur (*a*). Sequutis temporibus, ſive ut quieti ſuæ, ac diſciplinæ obſervantiæ conſulerent monachi; ſive ne epiſcoporum quorumdam immoderatis, aut etiam ſimoniacis gravarentur exactionibus (*b*); ſive quod bonis adfluentes, ampliorem adpeterent libertatem; privilegia, & exemtiones exquiſiverunt. Quare tum libera Abbatum electio, tum rerum temporalium adminiſtratio conceſſa iis fuit. Numquam tamen ab ordinaria epiſcoporum poteſtate erant immunes (*c*); etiamſi monaſteria ſub tutela eſſent Sedis Romanæ. Ab ſæc. XII. exemtiones, quoad ſpirituale etiam regimen, obtinuere, contra quas tantopere Bernardus declamavit (*d*). Quæ quidem adeo deinceps increvere, ut a Tridentinis Patribus merito fuerint temperatæ. Et I. ſane regulares extra monaſterium degentes, ſi deliquerint, ab Ordinario loci, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato, corrigi poſſunt, & puniri (*e*). II. Si qui in clauſtris degentes, *notorie* populo ſcandalum præbeant, monente epiſcopo, a Superiore puniendi ſunt: Alias in illos animadvertendi facultas epiſcopo eſt, tamquam Romanæ Sedis delegato (*f*). Quum autem Superiores delinquentem hujuſmodi monachum extra epiſcopi Dioece-

(*a*) Chalcedon. *Can.* 4. & Juſtinian. *Novel.* V. *cap. I.* & *IX. Novel. LXVII. cap.* I. tum *Novel. CXXIII. cap.* 21. Porro Thomaſſ. *de Nov. & Vet. Eccleſ. diſcipl. Part. I. lib. III. cap. XXVI. num.* 1. *& ſeqq.* cauſſas enumerat, ob quas monachi epiſcopis ſuberant, quod hi ſcilicet Eccleſiæ illos genuerint, quod monaſteria fundarint, quod ipſos alerent, quod vivendi regulam dederint, & præſertim quod in omnem Chriſti gregem divinitus auctoritate fulgerent.

(*b*) Thomaſſin. *ibid. cap.* XXIX. *num.* 13.

(*c*) Cap. *quum &* III. Extr. *de privileg.* & Cap. *auctoritate* IV. eod. in VI.

(*d*) *Epiſt.* XLII. & CLXXX. *ad Innoc. Papam*, tum *lib.* III. *de Conſid.*

(*e*) Trid. *Seſſ.* VI. *cap.* 3. *in Decret. de Reform.*, & Bened. XIV. Conſtit. *Pontificia* an. 1746.

(*f*) Trid. *Seſſ. XXI. cap.* 8. *in Decret. de Reform.*

ceſim impunitum dimitterent, præcepit Clemens VIII. omnibus Ordinum Præpoſitis, ſub pœna privationis officii, ut infra præſcriptum ab epiſcopo terminum, reum, ubicumque is fuerit, caſtigarent (*a*). III. Monaſteria, quibus animarum cura adnexa eſt, *in iis, quæ ad dictam curam, & ſacramentorum adminiſtrationem pertinent, juriſdictioni, viſitationi, & correctioni epiſcopi, in cujus Diœceſi ſunt ſita*, immediate ſubjiciuntur (*b*). IV. Idem dicendum de iis, quæ ſub *immediata* Sedis Apoſtolicæ, vel Regum protectione, nec viſitationem haberent, nec ſe in Congregationes erexerunt (*c*). V. Si in illis vero, quæ *commendata* dicuntur, regularis obſervantia non viget, poſſe ea quotannis ab epiſcopo viſitari alibi adnotavimus (*d*). VI. Regulares in Eccleſiis ſuorum Ordinum, antequam prædicare incipiant, tum veniam e Superioribus obtinere, tum cum ea *perſonaliter ſe coram epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere*: in Eccleſiis vero non ſuorum Ordinum, *ultra licentiam ſuorum Superiorum*, etiam epiſcopi licentiam impetrare tenentur (*e*). Ceterum omnino prohibitum, ut *ſæcularis, ſive regularis, etiam in* Ec-

---

(*a*) Conſtit. *ſuſcepti* an. 1596.

(*b*) Trid. *Seſſ. XXV. de Regular. cap.* 11. Huc facit Conſtit. *firmandis* an. 1745. quam *Tom. II. pag.* 298. laudavimus, & qua Bened. XIV. multa reſolvit. Potiora ſunt. I. quod poteſt epiſcopus in Eccleſiis regularium conferre Confirmationem, etiamſi non ſint Parochiales. II. quod in Parochialibus poteſt viſitare ipſas Eccleſias, & inquirere de Parocho regulari. III. quod ſi removendus eſt, epiſcopus eum conſentiente Superiore removeat. IV. quod a viſitatione exemta ſunt ea loca, in quibus vel Abbates juriſdictionem habent quaſi Epiſcopalem cum territorio ſeparato, vel Generalis Ordinis reſidet. V. quod non ſit tamen exemta Parochialis, ſubjecta monaſterio, ubi reſidet Generalis.

(*c*) *Tom. II. pag.* 306. ex Trid. *cit. Seſſ.* XXV. *cap.* 8.

(*d*) *Tom. II. pag.* 305. ex Trid. *Seſſ. XXI. in Decr. de Reform. cap.* 8.

(*e*) Trid. *Seſſ. V. in Decret. de Reform. cap.* 2.

Eccleſiis ſuorum Ordinum, *contradicente epiſcopo*, *prædicare præſumat* (*a*). VII. Vetantur regulares, confeſſiones *ſæcularium*, *etiam ſacerdotum*, *audire*, ſine venia epiſcoporum (*b*). VIII. Tum cenſuras, & dies feſtos, quos in Diœceſi epiſcopus præceperit, in Eccleſiis etiam ſuorum Ordinum, ſervare (*c*); tum ad publicas proceſſiones accedere adſtringuntur regulares, etiam monachi, *iis tantum exceptis*, *qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt* (*d*).

§. VII. *Multa ad regulares ſpectantia monentur*.

Multa huc faciunt, quæ ſparſim conſtituta reperiuntur. I. Quoniam in finem ſpiritualem coaleſcunt monachi, vetitum eſt ab ingreſſuris in monaſterium, aut profitentibus temporalia accipere (*e*), niſi ſpontanea fuerit oblatio, aut loco ſit alimentorum (*f*). II. Daturi no-

---

(*a*) Trid. *Seſſ. XXIV. in Decret. de Reform. cap.* 4.
(*b*) Trid. *Seſſ. XXIII. in Decret. de Reform. cap.* 15.
(*c*) Trid. *Seſſ. XXV. de Regular. cap.* 12.
(*d*) Trid. *ibid. cap. XIII.*
(*e*) Nicænum II. *Can.* 19. Cap. *quum in* VIII. & Cap. *de hoc* X. Extr. *de ſimon.* Cap. *monachi* II. Extr. *de ſtatu monach.* tum & Extravag. comm. *ſane in vinea* Cap. I. *de ſimon.*

(*f*) Nonniſi uſu receptæ fuiſſe videntur *dotes*, ſeu certæ pecuniariæ portiones, quæ ab ingreſſuris in monaſterium exiguntur. Chriſtianus Lupus *Not. in Can.* XVIII. *Niceni* II. ut a ſimoniaca eas labe excuſet, quoddam eſſe ipſas tranſactionis genus putat, quæ inter moneſterium, & conſanguineos monialis intercedit; quum ex Juſtiniano monaſterium in locum monachorum ſuccedat, ſi vel parentes eorum inteſtati decedant, ut habetur in L. *officiales* 4. C. *de Epiſcop.*, *&* *Cler.* aut ſi ipſi quidem monachi, quibus filii non ſint, ante ingreſſum in Religionem, de rebus ſuis minime diſpoſuerint, ut eſt in *Novel.* CXXIII. *cap.* 38. Verum hæc Lupi ſententia nihil adridet Van-Eſpenio *Jur. Eccleſ. Part.* I. *tit.* XXVI. *cap.* 2. *&* 3. Benedictus XIV. de *Syn. Diœceſ. lib.* XI. *cap.* VI. *num.* 1. *&* *ſeqq.* improbans ſeveritatem Van-Eſpenii, ſequitur opinionem S. Thomæ 2. 2. *quæſt.* C. *art.* 3. *ad* 4. praxim S. Con-

nomen vitæ monaſticæ ſolebant præmature ſeſe rebus ſuis abdicare, eas vel monaſterio, vel pauperibus, vel conſanguineis donantes. Ne ita autem in ſæculo pauperes viverent, adigebantur quodammodo, ut profeſſionem emitterent. Eorum libertati conſuluit Tridentinum (*a*), ſtatuitque, ne quælibet renunciatio, aut obligatio (*b*), antea emiſſa, etiam jurata, vel ad pias cauſſas, valeret, *niſi cum licentia epiſcopi, ſive ejus vicarii fiat, intra duos menſes proximos ante profeſſionem; ac non alias intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſequuta profeſſione*. III. Licet regularibus ab Ordine laxiore ad arctiorem tranſitum facere, petita, licet non impetrata, Superioris ſui venia; etiamſi religioſi, unde diſceſſio paratur, Apoſtolicum habeant privilegium, *ne, poſtquam aliquis profeſſus fuerit apud eos, ad alium lo-*

Congregationis, & ſtatuta S. Caroli Borromæi in Synodo Mediolanenſi I. an. 1565. & in Mediolanenſi II. an. 1569. ſtatuitque ſimoniacum eſſe, ſi quid pro ingreſſu in Religionem, tamquam pretium, exigeretur; non vero ſi pro ſuſtentatione perſonæ, quæ monaſterium ingreditur. Nec quid contra facit monaſteria ditiora eſſe, quum propter ingruentes neceſſitates, & caſus inopinatos plerumque ad inopiam rediguntur. Duo tandem advertit Pontifex. I. Quod præter dotem nulla alia pecuniæ ſumma a puellis extorqueatur in commodum monialium, ſerveturque omnino, quod Urbanus V. in *cit.* Extravag. comm. *ſane cap.* I. *de ſimon.* utriuſque ſexus regularibus prohibuit, ne iis in occaſionibus, *quoſcumque paſtus, prandia, ſeu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad uſum Eccleſiaſticum, ſeu quemvis pium uſum alium deputata, vel deputanda, directe, vel indirecte petere, vel exigere quoquo modo præſumant*. II. Quod prohibenda non ſit ab epiſcopo dotis conſtitutio, licet interdum expediat eam imminui, aut in quibuſdam circumſtantiis etiam remitti; contra vero ſemper modus imponendus ſit ſumtuoſis adparatibus, muſicis concentibus, ac comeſſationibus, quæ potius ſæculi pompam, & luxum ſapere videntur.

(*a*) *Seſſ.* XXV. *de Regular. cap.* 16.

(*b*) Intellige de diſpoſitionibus irrevocabilibus inter vivos, & beneficiorum renunciationibus, quæ futuræ profeſſionis cauſſa emitterentur.

locum poſſit ipſis invictis, *arctioris etiam religionis obtentu*, *tranſire* (*a*). Notandum tamen, quod in dubio, *utrum quis velit ad Ordinem arctiorem*, *an laxiorem ex caritate*, *an temeritate tranſire*, *Superioris judicium eſt requirendum*, *ne forte angelus ſatanæ in lucis angelum ſe transformet* (*b*). Porro Mendicantibus, niſi ex venia Pontificis, tranſire interdictum eſt ad alios Ordines non Mendicantes, ſub pœna excommunicationis ipſo facto a recipientibus, & receptis incurrenda, excepto Ordine Carthuſiano (*c*). Cauſſa tantum infirmitatis, ex indulgentia Sedis Apoſtolicæ, licebit alicui ad laxiorem Ordinem tranſmigrare (*d*). IV. *Intra quinquennium tantum a die profeſſionis*, permittitur regulari cauſſas vis, metuſve, aut ætatis, coram Superiore ſuo, & epiſcopo loci proponere. Nec poteſt interea habitum dimittere; ſecus, ad adlegandam quamcumque cauſſam non admittitur, tamquam apoſtata punietur, nulloque Religionis privilegio juvabitur (*e*). V. Vetantur monachi Parochialibus Eccleſiis præeſſe (*f*); non autem regulares. Nam, ut inquit Innocentius III. (*g*), *etſi a ſanctorum monachorum conſortio non putentur ſejuncti*, *regulæ tamen inſerviunt laxiori*. VI. Vetitum eſt, mulieribus ſæcularibus ſub pœna excommunicationis, ne cujuſcumque privilegii, aut facultatis prætextu, monaſteria regularium ingrederentur (*h*). Idem confirmavit Benedictus

(*a*) Cap. *licet* XVIII. Extr. *de Regular.*

(*b*) Cit. Cap. *licet*.

(*c*) Martinus IV. in Extravag. comm. *viam ambitioſæ cap.* I. de *Regular.*

(*d*) Fagnanus in Cap. *dilecti* XV. Extr. *de renuntiat*, *n.* 37.

(*e*) Trident. *Seſſ.* XXV. *de Regular. cap.* 19. Et Bened. XIV. Conſtit. *ſi datam* an. 1748. ubi modum oſtendendi invaliditates profeſſionum explicavit, & declaravit.

(*f*) Lateran. III. *Can.* X. Cap. *monachi* II. & Cap. *quod Dei* V. Extr. *de ſtatu monach.*

(*g*) In *cit.* Cap. *quod Dei*.

(*h*) Pius V. Conſtit. *regularium* an. 1566. & Greg. XIII. Conſtit. *ubi gratiæ* an. 1575.

ctus XIV. revocavitque facultates omnes a Congregatione Cardinalium, Legatis e Latere, & Nuntiis retro conceſſas, exceptis tantum mulieribus conſanguineis, & adfinibus inſtitutorum, & fundatorum, quibus dumtaxat devotionis cauſa in eorum monaſteria ingredi permiſit (*a*). VII. Ut reſtitueret diſciplinam regularem, ſuppreſſerat Innocentius X. parvos Conventus, quibus ea bona adplicanda eſſent, fratres revocarentur (*b*). Tum ut epiſcopo ſubjacerent Conventus cujuſcumque Ordinis, qui quacumque ex cauſſa ſex religioſos, h. e. quatuor ſacerdotes, & duos laicos alere non poſſent, pariter decrevit (*c*).

§. VIII. *Potiora de monialibus indicantur*.

Monachis accedunt moniales (*d*) quas a primis uſque Eccleſiæ ſeculis monaſticam coluiſſe vitam ſuperius diximus (*e*). Miſſis omnibus, quæ in hoc argumentum dici poſſent, principaliora hæc ſunt. I. ſub anathematis pœna, non ſunt eæ quomodocumque cogendæ, *præterquam in caſibus in jure expreſſis*, *ad ingrediendum monaſterium*, *vel ad ſuſcipiendum habitum cujuſcumque Religionis*, *vel ad emittendam profeſſionem*. Nec vero ſub eadem pœna, a voluntate *veli accipiendi*, *vel voti emittendi*, *quoquo modo ſine juſta cauſa* ſunt impediendæ (*f*). II. Puella ad habitum regularem non admitten-

(*a*) Conſtit. *regularis* an. 1742. Qua propterea revocata eſt Conſtitutio Pii V. *decet Romanum* an. 1570. ubi in ſollemnibus feſtis, ob ingentem populi frequentiam, per apertam clauſtri portam *proceſſionaliter* ingredi, & recto tramite ad Eccleſiam pergere, mulieribus conceſſerat.

(*b*) Conſtit. *inſtaurandæ* an. 1652.

(*c*) Conſtit. *ut in parvis* an. 1654.

(*d*) Auguſtinus *lib. unic. de S. Virginit. cap. ult. num.* 46. dictas fuiſſe *ſanctimoniales* adfirmavit, a ſanctimonia ſcilicet, quam profitebantur.

(*e*) *Pag.* 274. *& ſeq.*

(*f*) Trid. *Seſſ.* XXV. *de Regular. cap.* 18.

tenda eſt, niſi *major duodecim annis ſit (a)*; nulla autem erit profeſſio, ſi ante *decimum ſextum annum expletum* emittatur (*b*). Tum vero ante habitus ſuſceptionem, tum præcipue ante profeſſionem, ab epiſcopo, vel ejus vicario, aut alio ab eis deputato, virginis voluntas exploranda eſt, *an coacta*, *an ſeducta ſit*, *an ſciat*, *quid agat*. Adpropinquante demum tempore profeſſionis, Abbatiſſa ante menſem epiſcopum certiorem facere tenetur (*c*). In die velationis monialis confeſſa, & epulo Euchariſtico refecta, plenariam indulgentiam lucratur (*d*). III. Monialium monaſteria validiſſimis ſepta fuiſſe munitionibus accepimus, ne hoſtium, impiorumque hominum incurſibus paterent; e quibus tamen plerumque egredi nefas non erat. Bonifacius VIII. perpetuam indixit clauſuram, quam infringi prohibuit quacumque *ratione vel cauſſa*, *niſi forte tanto*, *& tali morbo evidenter earum aliquam laborare conſtaret*, *quod non poſſet cum aliis abſque gravi periculo*, *ſeu ſcandalo commorari* (*e*). Cujus Conſtitutionem jam Tridentinum confirmavit, jubens per epiſcopos, *ubi violata fuerit*, *diligenter reſtitui*, *& ubi inviolata eſt*, *conſervari* (*f*); tum Pius V. Tridentini veſtigiis inhærens iterum comprobavit, addiditque minime eſſe in monaſteria recipiendas Tertiarias, ni vota emittant, aut ſi clauſuram nolint obſervare (*g*); tum Benedictus XIV. renovavit (*h*). IV. Eligenda eſt in Præ-

(*a*) Trid. *Seſſ.* XXV. *de Regular. cap.* 17.
(*b*) Trid. *ibid. cap.* 15.
(*c*) Trid. *ibid. cap.* 17.
(*d*) Bened. XIII. Conſtit. *in ſupremo an.* 1728.
(*e*) Cap. *periculoſo* unic. *de ſtat. regular.* in VI.
(*f*) *Seſſ.* XXV. *de Regular. cap.* 5.
(*g*) Conſtit. *circa paſtoralis an.* 1566.
(*h*) Conſtit. *cum ſacram* an. 1741. In Portugalliæ, & Algarbiorum Regno, ſacræ virgines infirmitatis cauſſa e monaſteriis egreſſæ diu inde aberant, & tum per plateas incedere, tum & ſpectaculis intereſſe videbantur. Pontifex jubet intra quindecim dies ad monaſteria eas regredi; ſecus, in pœnas violatorum clauſuræ ipſo facto ſe incurſuras ſtatuit.

Præpoſitam monaſterii, non *minor annis quadraginta*, *& quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit* (*a*). Secus, vel ab alio ejuſdem ordinis monaſterio, vel *ex iis*, *quæ in eodem monaſterio annum trigeſimum exceſſerint*, *& quinque ſaltem annis poſt profeſſionem recte vixerint*, eligetur (*b*). Electio autem fiet *per vota ſecreta*, *ita ut ſingulorum eligentium nomina numquam publicentur* (*c*). Et quidem ab epiſcopo, vel alio Superiore, qui electioni præeſt, *ante cancellorum feneſtellam vota ſingularum* audientur, vel accipientur (*d*). Abbatiſſæ porro in Italia, Inſuliſque adjacentibus, ad triennium tantum erunt in officio (*e*). V. Pariter ſtatutum eſt, ut *præter ordinarium confeſſorem alius extraordinarius ab epiſcopo*, *& aliis Superioribus bis*, *aut ter in anno offeratur*, *qui omnium confeſſiones audire debeat* (*f*). Quod ſi nolint peccata confiteri, tenentur nihilominus ſeſe præſentare, *ut monita ſalutaria recipiant*, *& actum ſubjectionis exerceant* (*g*). Repugnans monialis punietur a Præpoſita, atque educanda ejicietur e monaſterio. Quo tempore adeſt extraordinarius, ordinarius nullius ibi monialis audire poterit confeſſionem. Demum expleto ſive ordinarii, ſive extraordinarii officio, nemo eorum ad eadem monaſteria pro audiendis confeſſionibus accedet, neque litteras, ſine ſpeciali venia, a monialibus accipiet (*h*). Ceterum ne ex defectu confeſſariorum anguſtiis opprimantur moniales, voluit Benedictus XIV. ut epiſcopi non adeo difficiles ſint pro conceſſione eiſdem aliorum confeſſariorum (*i*). VI. In Ita-

(*a*) Trid. *Seſſ.* XXV. *de Regular. cap.* 7.
(*b*) Trid. *ibid.*
(*c*) Trid. *ibid. cap.* 6.
(*d*) Trid. *ibid. cap.* 7.
(*e*) Greg. XIII. Conſtit. *expoſcit* an. 1682.
(*f*) Trid. *ibid. cap.* 10.
(*g*) Clemens XI. Edict. *avendo* an. 1708.
(*h*) Clemens XI. *cit.* Edict.
(*i*) Conſtit. *paſtoralis* an. 1748. qua confirmans *cit.* Conſti-

Italia, Inſuliſque adjacentibus, ſuperiores regulares, ſemel in anno, pro viſitatione, ingredi poſſunt monaſterium, cum uno ſocio; cum duobus, ſi ſit ſuperior Generalis. Viſitatori quatuor adſiſtant moniales ex antiquioribus, ceteræ erunt in Choro; nec enim, niſi ad crates, fieri debet viſitatio perſonalis. Si pluries intra annum ingredi opus fuerit, venia petetur ab epiſcopo loci, qui & ſocium dabit (*a*). VII. Ut expenſæ in diebus feſtis propriorum Ordinum, adſumptionis habitus, profeſſionis, vel velationis, ſint moderatæ, ſæpius ſtatutum eſt (*b*); ut propterea nec ante acceptationem, nec

---

ſtitutionem Clementis XI. ut omnes ſcilicet ſeſe extraordinariis confeſſariis ſiſtant, ne qua inter ipſas ſuſpicio oriatur, eam etiam extendit ad Communitates mulierum non velatarum, variaque præterea dubia reſolvit. I. Deputatio extraordinariorum, ſi moniales ſubſunt epiſcopo, ad eum pertinet; ſi negligens erit, ad Cardinalem Pœnitentiarium. Quod ſi Superioribus Ordinum ſubjiciantur, ad eoſdem; his non providentibus, ad epiſcopum loci Ordinarium. II. Si monialis ægrotans, vel etiam ſana, præter ordinarium, vel extraordinarium, alium etiam ſibi precetur confeſſarium, eidem ad conſolationem concedendus eſt, ſive ab epiſcopo, ſive a Superioribus, quibus ſubeſt monaſterium; immo ſive regularis petatur, licet moniales ſubjectæ ſint epiſcopo; ſive ſæcularis, etiamſi regularibus. Qua in re rigor improbandus eſt, & inſiſtendum præſertim exemplo S. Franciſci Saleſii, qui iis in occaſionibus nihil ſe difficilem præbebat. III. Poſſunt ab epiſcopis in extraordinarios eligi etiam regulares, & a Prælatis regularibus ſacerdotes quoque ſæculares. IV. Ubi extraordinarii ſuo defuncti ſunt munere, ne accedendum quidem iis eſt ad clauſtra monaſterii.

(*a*) Alexander VII. Conſtit. *felici* an. 1664.

(*b*) Alexander VII. Conſtit. *pro commiſſo* an. 1657. ubi voluit, ut ſolus cantus Gregorianus adhiberetur in Miſſa, & in Veſperis; neque commodato accipiatur extranea argentea ſupellex, vel pecunia pro eadem erogetur, ſed propriæ tantum uſus fiat, ſub pœna privationis officii Abbatiſſarum; atque ut celebrantibus ibidem ſacerdotibus nec eſculenta dentur, aut poculenta; Miſſæque ſollemnes a Confeſſario dumtaxat cantarentur. *Cit.* Alex. Conſtitutionem Innocentius XII. Decret. *eſſendo* an. 1692. confirmavit, obſervantiam jurari ab Abbatiſſis, & no-

nec poſt dimiſſionem officiorum quidquam etiam a monialibus ſit expendendum (*a*). VIII. Denique ſi monaſteria a regularibus ad juriſdictionem tranſeant epiſcoporum, iiſdem, quibus antea, gaudebunt adhuc privilegiis (*a*). Jam vero confeſſarii, & capellani, Eccleſiarum monialium ſervitio addicti, de Sanctis, de quibus hæ Officium recitant, Miſſas poſſunt celebrare, ſed tamen *cum Miſſali Romano, & de communi, non vero Miſſas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus a S. Congregatione conceſſas* (*b*).

§. IX. *Quædam Volterii, aliorumque Philoſophorum criminationes contra monaſticæ vitæ inſtitutum diluuntur.*

RESTARET modo, ut de ceteris locis piis aliqua traderemus. Sed requirit veritatis amor, ut quæ multa contra utriuſque ſexus regulares vulgo a ſæculi Philoſophis jactantur, paucis primum diluamus. Ea autem huc redeunt. I. Otioſum genus hominum id eſt, nihilque utile Reipublicæ; ad bonas artes, agriculturam,

---

& notam impenſarum exhiberi voluit epiſcopo, ſub pœna ſuſpenſionis Eccleſiæ. Tum & Clemens XI. Edict. *la Santità* an. 1702. & alio Edict. *eſſendo molto* an. 1711. renovavit, jubens Abbatiſſis monendos propinquos monialium, ut hi ab immoderatis ſeſe abſtineant expenſis.

(*a*) Clemens XI. Epiſt. Encyclica *la Santità* an. 1708. ubi, ſi ſecus fiat, monialem, quæ expendit, & Abbatiſſam, quæ permittit, privat voce activa, & paſſiva. Tum idem Pontifex alia Epiſt. Encyclica *eſſendo gionto* an. 1716. in virtute S. obedientiæ Decreta redintegravit, declaravitque non poſſe abſolvi moniales, & Abbatiſſas, niſi ab Ordinariis. Quinimmo quum comperiſſet abuſum hujuſmodi in Neapolis monaſteriis potiſſimum vigere, Epiſtolam Encyclicam *preme ſommamente* an. 1716. ad Archiepiſcopum dedit, ut pœnis ſpiritualibus, ac temporalibus, ab eo moniales abſterreret.

(*b*) Clemens XI. Conſtit. *licet* an. 1714.

(*c*) Clemens XI. Conſtit. *ſupplicantibus* an. 1717.

ram, & commercium ſovendum. II. Immo & ſatis perniciosſum eſſe comprobatur, quoniam ex privatorum bonis & adfluit, & inſoleſcit. III. Nonniſi ut ignaræ plebi fucus fiat, cœlibatus clauſtralibus impoſitus eſt, Romanæ Sedis voluntate, Catholicorum Principum conſenſione; ex cujus voti religione humana ſoboles damnum experitur. IV. Litibus clauſtra ſonant, nihil ut incitamenti ad virtutem habeant, plurimum vitiorum occultent. Ecquid monaſteria omnia non extirpentur, regulares diſſipentur, *monachi* nomen damnetur, & deleatur? Sed heus tu! Philoſophum ratio, & tranquillitas decet: ira, & declamatio ſatis dedecet! I. Quiſque ſane officium Reipublicæ debet ſuum, ſed alio alius modo, ruſticus ferendo, judex judicando, miles præliando, & clauſtris diſcendo, docendo, beneſaciendo. Nonne ex ſui inſtituto receſſus, lectio, ſilentium regularibus convenit? Quoſi ſi a cenſu bonorum civium non expungis Sapientes, qui in ſæculo ſibi, litteriſque unice vivunt; ecquid cupidos Chriſtianam philoſophiam *diſcendi*, profitendique, inde deturbes (*a*)? Nonne iis potiſſimum ſcopus eſt, ad pietatem, ſcientiaſque, viam adoleſcentibus *docendo* præferre? Aut etiam neges, excultam ita juventutem ſeminarium quoddam eſſe benemeritorum civium, qui manu, ingenio, mercatura, ſcriptis, deinceps proderunt Reipublicæ? Nonne, ut dicta omittamus, ſingularibus *beneſaciendi* officiis erga patriam præſtandis certi quique Ordines ſingulariter inſtituti, ſive curandis infirmis, ſive redimendis captivis, ſive orphanis educandis (*b*)? II. Sint monaſteria omnia di-

(*a*) *Anti-Dictionnaire Philoſophique Tom.* II. verb. *Religieux*.

(*b*) At enim quid utilitatis a pleriſque eremitarum Inſtitutis, ex quibus hi omnino ſibi, nihil aliis vivunt? Certe ſi humanitatem ſpectes, tui ſimiles ſunt, tolerandi ſaltem, ni laudandi. Si civilitatem, cum iiſdem ſanguine, ac gente conjungeris. Si factum, conſentiente etiam Principe exordium habuere ſuum. Si Philoſophiam, excelſitatem animi præſeſerunt,

ditiora, lautiora. Jure certe, quæ habent, adquiſiverunt; nec effuſe vero, aut negligenter, ſed parce, diligenterque cuſtodiunt. Non eſt contra optabilius, ut noſtræ gentis homines abundantius vivant, habeantque, unde ceteri etiam alantur? III. Monachatus pœnitentiæ ſtatus eſt, & qui illum jamprimum ſequuti ſunt, a nuptiis omnino abſtinere tenebantur. Quare nec ipſum Pontificem hac in re cum monacho diſpenſare poſſe ſuperius diximus (*a*). Non itaque ut ignaris illudatur, ſed ut officiis monaſticæ vitæ ſatis magiſque fiat, regulares utriuſque ſexus ad cœlibatum obſtringuntur. Prodeſt vero, non obeſt ſocietati, ut certo hominum generi conjugia interdicantur, ne, diſtractis plus æquo familiarum patrimoniis, decor eorumdem, & opulentia Reipublicæ minuatur (*b*). Et vero quæ iſtæc querimonia eſt de monachis, quum ingens privatorum cœlibum ubique numerus ſit, nec inde humanæ ſtir-

---

runt, qua Crates, aliique olim Sapientes nuntium opibus miſerunt. Si denique Religionem, inſigne veritatis teſtimonium exhibent, qua moti, animum obedientiæ, corpus caſtimoniæ, ſe ipſos paupertati ultro manciparunt. Ad rem Antonius *de Malvin Montazet*, Archiepiſcopus, & Comes Lugdunenſis, genere, atque ingenio præclarus, qui in doctiſſima *Inſtruction Paſtorale Part.* II. §. XLIII. nonniſi ex vi, & prædicatione Evangelii, prodigioſas in Oriente ſolitariorum turbas derivat. Dignum ſane Opus, quod contra hujus temporis *Incredulos* an. 1776. Gallice excuſum, Neapoli in Italicam verſum linguam, iterum lucem vidit!

(*a*) *Pag.* 281.

(*b*) Proteſtantium, & Anglorum multi, ſæpe eorum ſectæ incommodum hoc deplorant, quod ſublatis inter eos monaſteriis, factaque promiſcue omnibus matrimonii facultate, maximum hoc levandis familiis ſubſidium defecit. Attigit nuper hoc argumentum Cl. amiciſſimuſque Hermannus Dominicus Chriſtianopolus Ord. Præd. Theologus, & in Colleg. Germanico-Hungarico Canonum Profeſſor, in gravi *Exercitat. de Eccleſiaſt. vitæ inſtituto* (*Romæ* an. 1778.), qua illud *a communis vitæ, ac Societatis officiis minime alienum*, maximeque contra utile eſſe, fuſe, ornateque demonſtrat.

ſtirpis decrementum timeatur (*a*)? IV. In quolibet agro, quamvis diligenter exculto, malæ ſemper innaſcuntur ſegetes! In qualibet bene-morata urbe mali etiam cives verſantur! Quid propterea mirum, ſi vel inter virtutis profeſſores vitia adoleſcant? An perfectio ſtatus tollit infirmitatem naturæ? Ceterum, ſi acutum vides, perſonarum hæc ſunt vitia, non Inſtitutorum. Ecquid igitur monaſteriorum disjectionem, & monachalis ſtatus eliminationem; monachorum vero ad regularum normam non deſideres potius conformitatem?

§. X. *De Seminariis, Hoſpitalibus, & laicorum Congregationibus quædam delibantur.*

Hactenus de monaſteriis virorum, & mulierum. Pauca nunc de Seminariis, Hoſpitalibus, & Confraternitatibus addere animus eſt. I. Seminariorum inſtitutio antiquiſſima eſt, certumque eorum veſtigium in Synodis Toletanis eluceſcit (*b*). Sequentibus temporibus non

(*a*) Digna eſt, quæ de hoc argumento Epiſtola legatur, quam monialis *Soror Angela Annunciationis* ad Volterium, nepotem ſuum, dedit. Inter alia hæc habet: *que voulez-vous à ces Religieuſes, que vous vilipendez dans toutes vos brochures, & que vous peignez comme des eſclaves malheureuſes? Vous qui vous piquez d'être humain, pourquoi inſultez-vous à leur infortune? Si elles ſupportent le joug avec réſignation, on doit les admirer; ſi c'eſt avec impatience, il faut les plaindre, & non pas les inſulter. Vous parlez ſans ceſſe de faire du bien, & vous faites du mal; vous voulez ſoulager les infortunés, & vous aggravez le fardeau des malheureux.* Et poſt multa: *vous déclamez ſans ceſſe contre des perſonnes, que vous ſuppoſez être malheureuſes, cela n'eſt pas humain; vous les injuriez, cela n'eſt pas noble; vous oppoſez ſans ceſſe au tableau de leurs vertus celui des bienfaits que vous dites répandre ſur les infortunés, cela n'eſt pas modeſte.* Videte *cit. Anti-Dictionnaire Tom.* II. verb. *Religieuſes*. Nos *cit.* Epiſt. laudavimus etiam *Tom.* II. *pag.* 57.

(*b*) Tolet. II. an. 531. *cap.* 1. ubi Clericos *in domo Eccleſiæ, ſub Epiſcopali præſentia* erudiri præcipitur. Et Tolet. IV. an.

non adeo frequens ipſorum memoria occurrit, quod fortaſſe in monachorum ſcholis, aut apud Univerſitates Clerici inſtituerentur. Cardinalis Reginaldus Polus, ut Anglicano Clero, cui an. 1556. præerat, caveret, juniores Clericos in Seminario ſub certa forma educari ſtatuerat (*a*). Tandem quantam huic operi adjecere operam Tridentini Patres, nemo ignorat. Nec enim voluerunt ſolum, ut in ſingulis Cathedralibus, Metropolitanis, Provinciis, unum, aut duo erigerentur Seminaria; ſed & formam quamdam regiminis impoſuerunt, & ſuſtentationem ex reditibus menſæ Epiſcopalis, Capituli, & quorumlibet beneficiorum Diœceſeos præſcripſerunt (*b*), facultatemque præterea epiſcopis fecerunt uniendi Seminario *beneficia aliquot ſimplicia, cujuſcumque qualitatis, & dignitatis fuerint ... etiamſi beneficia ſint reſervata, vel adfecta* (*c*). Qua tamen in unione videndum, ne jura Romanæ Sedis lædantur (*d*). Utinam

---

an. 633. *cap.* 23. ubi eoſdem *in uno conclavi atrii* Eccleſiaſticis diſciplinis inſtruendos a probatiſſimo ſeniore ſtatuitur.

(*a*) Bened. XIV. *De Syn. Diœceſ. lib. V. cap. XI. num.* 1. *& ſeqq.* de Seminariorum origine latius diſputat.

(*b*) *Seſſ.* XXIII. *cap.* 18. *Decret. de Reform.*

(*c*) *Ibid. cit. loc.*

(*d*) Diſputat de hac re Bened. XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.* IX. *cap.* VII. *num.* 1. *& ſeqq.* Huc omnia redeunt. I. Non poſſunt uniri beneficia Seminario, niſi prius facta fuerit aliqua detractio fructuum menſæ Epiſcopalis, Capitularis, & beneficiorum, etiam de jurepatronatus. II. Erectum fuerit jam Seminarium neceſſe eſt, non ſufficit erigendum, ſtatuitque etiam ſint Deputati, quos requirit Concilium. III. Non omnia beneficia, aut major eorum pars, ſed *aliquot* uniri poſſunt. IV. Quæ ſunt *adfecta*, ſeu providenda a S. Sede, quoniam in menſe Pontificis vacarunt, unire non licet Seminario poſt vacationem, ſed tamen poſſunt ante vacationem, quum tunc dubium ſit, quo menſe ſint vacatura. V. Quare ſi *adfectio* iſthæc ſit indubia, puta, in perſona familiarium Papæ, Cardinalium, Protonotariorum, aliorumque Apoſtolicæ Sedis Officialium, quorum beneficia, quocumque ii menſe obierint, Pontifici reſervantur; tum nec ante vacationem quidem ea poterunt uniri.

tinam omnes hanc ſibi curam potiſſimum darent epiſcopi! Certe ex Seminario Clerus, ex Clero populus reformaretur (*a*). II. Hoſpitalia, Græce ξενοδοχεια, *xenodochia*, ædes proprie erant ſuſcipiendis hoſpitibus addictæ (*b*); licet vulgo quomodolibet indigentium loca

eo

---

ri. VI. Non ſuſtinenda unio, ſi adpareat expectatum unice fuiſſe tempus, quo beneficiarius proximus erat ſubeundæ mori, quam reipſa ſubiit in menſe reſervato; aut ſi conſtet, epiſcopum ne unum quidem de beneficiis, quæ ſuo menſe vacarunt, univiſſe, ſed ad ea tantum animum intendiſſe, quæ Apoſtolico menſe vacaverint. VII. Decretum Clementis VIII. declarans Urbanus VIII. Conſtit. *quamvis felicis* an. 1642. ſancivit, ne Cardinalibus epiſcopis quidem facultatem eſſe uniendi Seminario ante vacationem beneficia, quæ, ſi vivente Cardinali vacarent, non obſtantibus reſervationibus, aut *adfectionibus* Apoſtolicis, ad ſuam collationem pertinuiſſent. Verum Benedictus XIII. Conſtit. *creditæ nobis* an. 1725. epiſcopos Italiæ, Inſularumque adjacentium, ad erigenda Seminaria adhortatus eſt, impoſita taxa, non majori quinque ſcutis, nec minori tribus pro quolibet centenario, bonis Regularium, beneficiis omnibus, & Canonicatibus; necnon conceſſa venia epiſcopis, ſi ea taxa non ſufficiat, applicandi illorum fabricæ vacatura *beneficia ſimplicia, cujuſcumque qualitatis, & dignitatis fuerint, etiam juriſpatronatus Eccleſiaſtici, vel quomodocumque adfecta, & diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervata .... Clementis VIII. ac Urbani pariter VIII. Conſtitutionibus .... non obſtantibus* &c. Qua quidem Conſtitutione, Clementis, & Urbani Conſtitutiones revocatæ fuiſſe videntur. Sed tamen non poterunt epiſcopi hac in re jure ſuo uti per Tridentinum, niſi cetera omnia ſuperius indicata præceſſerint.

(*a*) Deplorat Bened. XIV. *de Syn. Diœceſ. lib.* XI. *cap.* II. *num.* 6. infelicem hodiernorum Seminariorum ſtatum. Tum *num.* 12. defectum reparari ſaltem deſiderat, deſignato in Civitate, aut Diœceſi ſpeciali Oratorio, quo omnes Dominicis diebus conveniant, bis ſaltem in menſe Sacramenta percipiant, & ad modum catechiſmi inſtruantur.

(*b*) Ita domicilia pauperum πτωχοτροφεια, *ptochotrophia*; infantium, βρεφοτροφεια, *brephotrophia*; ægrotorum, νοσοκομεια, *noſocomia*; orphanorum, ορφανοτροφεια, *orphanotrophia*; ſenum, γεροντοκομεια, *gerontocomia*; puerorum, παιδοτροφεια, *pædotrophia* dicebantur.

eo nomine veniant. Antiquitus illa extitiſſe, poſt pacem Eccleſiæ redditam, ſatis conſtat (*a*). Poſtmodum adnexa fuiſſe tum Cathedralibus, tum monaſteriis, non dubitatur. Quod diaconi, vel ſubdiaconi, eorum curam geſſerint, tum eruitur ex Gregorio M. qui ſæpe in ſuis Epiſtolis ea de re meminit, tum ex eo, quod Hoſpitalia, mutato vocabulo, *diaconiæ* etiam nuncupata ſint. Et quidem nonniſi ſub epiſcoporum vigilantia, ac poteſtate, quo pacto tum Synodi (*b*), tum Juſtinianus ſanxerat (*c*). Ceterum procedentibus temporibus exemta ab epiſcopis facta, & a laicis libere adminiſtrata, deſtitui paſſim, ac peſſum ruere cœperunt. Tum Concilium Viennenſe (*d*), ac Tridentinum variis iterum decretis reſtituere curarunt (*e*). III. Sunt denique Confraternitates laicorum, quæ paullatim, ac vario tempore inſtitutæ, ſub certa quaque regula, variis pietatis operibus addicuntur. Tridentinum Hoſpitalia, Collegia, Confraternitates ejuſmodi, & pia loca omnia, quocumque nomine nuncupentur, *etiamſi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat*, *atque eadem pia loca exemtionis privilegio ſint munita*, epiſcoporum viſitationi ſubjecit, excepitque tantum ea, *quæ ſub Regum immediata protectione ſunt*, *ſine eorum licentia* (*f*). Sed de hac re in Regno jure Concordati vivimus, de quo alibi (*g*). Non hic

---

(*a*) Julianum Apoſtatam Imp. infideles monuiſſe legimus, ut Chriſtianorum exemplo xenodochia conſtruerent. Nazianzenus *Orat.* 3. Noſocomium a Fabiola Romæ excitatum tradit Hieronymus in *Epiſt.* 77. *ad Oceanum de morte Fabiolæ*. Et Theodoretus *Hiſt. Eccleſ. lib.* V. *cap.* 18. Placillam Theodoſii conjugem laudat, quod xenodochiis inſerviret.

(*b*) Chalcedon. *Can.* 8.

(*c*) L. *omnem* 42. §. 9. L. *ſancimus* 46. §. 3. *C. de Epiſc. & Cler.*

(*d*) Clement. II. *de relig. domibus*.

(*e*) *Seſſ.* VII. *cap.* 15. *in Decret. de Reform.* & *Seſſ.* XXII. *in Decret. de Reform. cap.* 8.

(*f*) *Cit. Seſſ.* XXII. *in Decret. de Reform. cap.* 8.

(*g*) In noſtris *Juris Neapolitani Prælect.*

hic omittendum, quod Clemens VIII. (*a*) conſtituit, requirendum ſcilicet conſenſum epiſcopi loci, in quo erigenda eſt Confraternitas.

C A P U T XII.

De bonis Eccleſiaſticis, eorumque immunitatibus.

§. I. *Oblationibus, primitiis, decimis Clerici primum ſuſtentabantur. Per œconomum bona Eccleſiæ epiſcopus adminiſtrabat. Multiplex ipſorum partitio.*

IN poſtremo hujus libri Capite de bonis, quæ Eccleſiæ miniſterio, vel Eccleſiaſticorum ſuſtentationi addicuntur, agemus. Sane Apoſtolicis prioribus ſæculis ſponte a Fidelibus oblationes Eccleſiæ fiebant, frequentes adeo, lautioreſque, ut inde indigentibus etiam ſuccurreretur (*b*). Solebant autem ſive ad altare deferri (*c*), ut triticum, tus, racemi, oleum; ſive in epiſcopi domum, ut legumina, lac, volatilia, veſtes, pecunia, aliæve res mobiles (*d*), quas ſcilicet, ſæviente fortaſſe per-

(*a*) Conſtit. *quæcumque a Sede* an. 1604. qua modum præſcribit, quem ſervare debeant regulares in erigendis Confraternitatibus. Præter cetera, duo etiam monentur. I. Quod in eodem loco una tantum alicujus Inſtituti erigatur Sodalitas. II. Quod confeſſarii Confraternitatum deputentur ab epiſcopo; ſi hæ autem adgregatæ ſint alicui Ordini, deputantur illi a Superiore Ordinis ſimul cum epiſcopo.

(*b*) I. *ad Corinth.* XVI. 1. *& ſeqq.* tum I. *ad Timoth.* V. 16. *& ſeqq.* necnon Euſebius *Hiſtor. Eccleſ. lib.* VII. *cap.* 5.

(*c*) Nec a filiis inconſultis parentibus, nec a parentibus in damnum filiorum; neque a publicis pœnitentibus, a diſſidentibus fratribus, aut viduarum, pauperumque oppreſſoribus, aliquid in ſacrificii uſum accipiebatur.

(*d*) Occurrit mentio apud Antiquos tum primitiarum, tum decimarum. I. Primitiæ fructuum offerebantur Eccleſiæ, ad agnoſcendum Creatoris dominium, & ad Clericorum ſuſtentationem. Paſſim de iis priſci Canones, ac Patres. Poſtmodum in

perſequutione, pauperibus diſtribui, alio adſportari, aut celari etiam liceret. Non enim, niſi a Conſtantini tempore, publice ſaltem, ac libere, immobilia, puta, hortos, prædia, ædes, Eccleſiæ donata fuiſſe comperimus (*a*). Porro ſuprema cura, diſpenſatioque bonorum Eccleſiaſticorum penes epiſcopum erat, qui e communi Eccleſiæ ærario in ſingulos dies, aut hebdomadam, vel men-

in deſuetudinem abiere, nec vero niſi ex conſuetudine locorum hodie præſtantur. II. S. Thomas 2. 2. *quæſt. LXXXVII. art.* 1. *in corp.* putat decimas, quatenus ſunt *determinatio* certæ partis exhibendæ miniſtris divini cultus, fuiſſe legem Moſaicam, ac judicialem, proindeque adventu Chriſti ceſſaſſe; quatenus vero *eis*, *qui divino cultui miniſtrabant ad ſalutem populi totius*, *populus neceſſaria victus miniſtraret*, a ratione naturali deſcendere; *ſicut & his*, *qui communi utilitati invigilant*, *ſcilicet principibus*, *& militibus*, *& aliis hujuſmodi ſtipendia victus debentur a populo*. Primo Eccleſiæ tempore quum frequentiores, & liberaliores eſſent oblationes, nulla de pendendis decimis Eccleſiaſtica lex requiſita eſt. Tum & monita Patrum, & Canones Synodorum, & jura Decretalium acceſſerunt. Uſque ad ſæc. XIII. *prædiales* tantum perſolutæ ſunt, ex prædiis vel urbanis, vel ruſticis provenientes, ſive *majores*, ex vino, tritico &c. ſive *minores*, ex leguminibus, oleribus &c. ſive *novales*, ex fructibus agrorum recens excultorum. Cæleſtinus III. *perſonales* etiam induxit, edixitque ex rebus etiam, quas ex labore quiſque ſuo comparaverit, pendendas eas eſſe, puta ex venatione, negotiatione, militia &c. Cap. *ex parte* XXI. Cap. *non eſt* XXII. Cap. *ex tranſmiſſa* XXIII. Extr. *de decim.* Et quidem deductis expenſis in *perſonalibus*, non vero in *prædialibus*. Adde & his *mixtas*, quæ de utriuſque participant, ut eſt pecorum fœtus, lac, lana &c. Jamvero ad ſolutionem decimarum omnes primum obſtringebantur; & ſane Judæi etiam, & Pagani, ſi prædiales eſſent decimæ. Cap. *de terris* XVI. Extr. *de decim.* Immo nec & ipſi monachi excludebantur. Cap. *commiſſum* IV. *ibid.* Jure Decretalium, & a Tridentino *Seſſ.* XXV. in *Decret. de Reform. cap.* 12. ſubtrahentibus, & impedientibus decimarum penſitationem, excommunicatio inflicta eſt. Hodie ſtandum conſuetudini locorum.

(*a*) Euſebius *Hiſtor. Eccleſ. lib. II. cap.* 35. *&* 36. Theodoſius, & Valentinianus L. *ſi quis* 20. C. de *epiſc. & Cler.* Juſtinianus *Novel. V. cap.* 4.

menſem, Clericis ratione gradus, & laboris, pauperibus, viduiſque, ratione egeſtatis, alimenta miniſtrabat. Unde in antiquis monumentis ſæpe mentio eſt *ſportularum*. Ut quæcumque tamen infidæ adminiſtrationis ſuſpicio effugeretur, œconomi, & præcipue Archidiaconi, quod alibi adnotavimus (*a*), opera utebatur; adeo ut in epiſcopum ſecus facientem, Canones animadverterent (*b*), & metropolitis in Eccleſiis Provinciæ ſuæ facultatem conſtituendi œconomos tradiderint (*c*). Ceterum adminiſtrationis ratio nonniſi epiſcopo ipſi, utpote Eccleſiæ moderatori, ab œconomo dabatur (*d*). Et aliquando etiam factum eſt, ut in Provinciæ Synodo diſpenſationis ſuæ epiſcopus rationem reddiderit (*e*). Tandem conſuetudo, præſertim in Occidente, invaluit, ut totius cenſus Eccleſiaſtici quatuor veluti partes fierent, quarum prima epiſcopo, altera Clericis, tertia egentibus, & quarta fabricæ impenderetur (*f*). In Hiſpaniis tres obtinuiſſe videntur, quarum epiſcopo una, qui inde pauperes, hoſpiteſque alebat, altera Clericis, tertia ædificio, luminibuſque Eccleſiæ reſervaretur (*g*).

§. II. *Duplici ex cauſſa ceſſaſſe videtur canonica bonorum partitio. Eorumdem alienatio probibita, aliquando etiam permiſſa.*

Sub initium VI. ſæc. paſſim morem obtinuiſſe obſervavit Thomaſſinus (*h*), ut monachis religionis cauſſa, aut Clericis, qui opera magis ſua præfulgerent, vel

(*a*) *Tom.* II. *pag.* 330. *& ſeq.*
(*b*) Chalcedon. *Can.* 25.
(*c*) Nicænum II. *Can.* 11.
(*d*) Hieronymus *Epiſt.* 52. *ad Nepot.*
(*e*) Synodus Antioch. I. an. 340. *Can.* 25.
(*f*) Gregorius M. *lib.* III. *Epiſt.* II.
(*g*) Bracarenſe I. an. 563. *Can.* 7.
(*h*) *De Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. Part. III. lib. II. c.XVI. & ſeq.*

vel etiam peregrinis, urgente neceſſitate, prædia Eccleſiæ pro tempore fruenda darentur (a). Tum eodem ferme tempore, ut idem notat Thomaſſinus (b), fundi etiam Parochialibus Eccleſiis conferri cœperunt. Quo fiebat, ut necdum ſub vocabulo *beneficii*, exordia attamen adparerent beneficiorum. Nam ſimul ac titulo, vel miniſterio Eccleſiæ presbyter addicebatur, jura etiam percipiendi reditus Eccleſiæ adnexos gaudebat; atque, ubi e vivis exceſſerat, fundi prædiales cum ipſis acceſſionibus, ſi quæ fuerant, Eccleſiæ addicti remanebant. Quum hæc ita ſint, facile eſt colligere, quod ex devoluta cura bonorum Eccleſiaſticorum monaſteriis, ac beneficiariis, & ab adſignatione facta fundorum Parochialibus Eccleſiis, tum vetus canonica partitio redituum Eccleſiaſticorum, tum & uſus ipſe œconomorum exoleverit. Porro translata etiam hujuſmodi adminiſtratione penes beneficiarios, numquam his tamen alienatio permiſſa eſt ex jure Canonum (c), & Principum Conſtitutionibus (d), niſi juſtis de cauſſis, & debita cum ſollemnitate. Cauſſæ ſunt *neceſſitas*, ut ſolutio æris alieni, non ſufficientia fructuum ad Eccleſiæ, & miniſtrorum ſuſtentationem, incultus fundus, aut ruinoſæ ædes in emphiteuſim tradendæ (e); *utilitas*, ſi urbana domus (f), aut etiam terrulæ, longe poſitæ, incom-

---

(a) Syn. Agathenſis an. 505. Can. VII. & *Can.* XXII. Synodus Aurelianenſis I. an. 511. *Can.* XXV. qui refertur apud Gratianum *Cauſ.* XVI. *Quæſt.* III. *Can.* XII.

(b) *Supr. cit. cap.* XVI. *num.* 10. ex Synodo Aurelianenſi IV. an. 545. *Can.* 33. Tum *cap.* XVII. *num.* 3. *& ſeq.* ex Synodo Toletana III. an. 589. *Can.* 3. atque ex Toletana VI. an. 638. *Can.* 5.

(c) Can. *quiſquis* XIX. *& ſeqq.* *Cauſ.* XII. *Quæſt.* 2.

(d) Impp. Leo, & Anthemius in L. *jubemus* 14. C. *de ſacr. Eccleſ.* Imp. Anaſtaſius in L. *privilegia* 17. eod. & Juſtinianus in *Novel.* VII. *cap.* 1.

(e) Clement. I. *de rebus Eccleſ. non alien.* Et Juſtin. *cit. Novel. VII. cap.* 3. *& Novel.* CXX. *cap.* 6.

(f) Can. *ſine* LI. *Cauſ.* XII. *Quæſt.* II.

commodum potius ferant (*a*); & *pietas*, ſi redimendi captivi (*b*), alendi pauperes, aut ſepeliendi ſint Fideles (*c*). *Sollemnitas* vero olim erat conſenſus Synodi Provincialis, aut totius presbyterii (*d*). Hodie eſt *tractatus*, ſeu conſenſus Capituli, ut alibi notavimus (*e*), cujus ſententia, poſt diligentem de ea re tractatum, in publicum inſtrumentum redigenda eſt (*f*). Denique Paulus II. *omnium rerum, & bonorum Eccleſiaſticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, conceſſionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum*, fieri prohibuit inconſulto Romano Pontifice, ſub pœna *nullitatis* actus, & excommunicationis tam ab alienantibus bona, quam a recipientibus, incurrendæ (*g*).

§. III.

(*a*) Can. *terrulas* LII. *cit. loc.*

(*b*) Can. *Apoſtolicos* XIII. & *ſeqq. cit. loc.*

(*c*) Ambroſius vaſa ſacra pro redemtione captivorum diſtraxerat. Quum Ariani id ei vitio verterent, gravem pro ſe ſcripſit Apologiam. Hinc *lib. II. de offic. cap.* 28. ita inquit: *aurum Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus*. Et poſt pauca: *nemo poteſt dicere, cur pauper vivit ... Nemo poteſt queri, quia captivi redemti ſunt ... Nemo poteſt dolere, quia in ſepulturis Chriſtianorum requies eſt defunctorum. In his tribus generibus vaſa Eccleſiæ etiam initiata refringere, conflare, vendere licet.*

(*d*) Can. *placuit* L. & *ſeq. cit. Cauſ.* XII. *Quæſt.* 2.

(*e*) *Tom.* II. *pag.* 326. & *ſeq.*

(*f*) Intellige de rebus Epiſcopalis menſæ alienandis. Si enim agatur de bonis Parochialis Eccleſiæ, vel ejus, cui nec Capitulum, nec Collegium adnectitur, tunc ſatis erit ſolius epiſcopi conſenſus. Requiritur autem venia Sedis Apoſtolicæ, ſi de Eccleſiis, vel monaſteriis ſermo eſt eidem Sedi ſubjectis; auctoritas præterea Provincialis, Generalis, vel alterius Prælati, ſi ad regulares, alioſve Prælatos monaſteria, aut Eccleſiæ pertinerent, præmiſſa ſemper *tractatus* ſollemnitate.

(*g*) Extravag. comm. *ambitioſæ* Cap. unic. *de reb. Eccl. non alien.* In quam multa inquirit Fagnanus in Cap. *nulli* V. Extr. *eod. tit.* notatque potiſſimum *num.* 24. & *ſeqq.* terrulas,

§. III. *A militia armata in ſacram voces* beneficium, & præbenda, *invectæ. Beneficii definitio explicatur.*

JAM vero IX. circiter, aut etiam ſæc. X. voces *beneficium*, & *præbenda*, in uſum veniſſe videntur, quibus Eccleſiaſticorum redituum partitio ſignificaretur (*a*). Conſtat prædià, quæ militibus utenda fruenda ad vitam tradebantur, *beneficia* (*b*); & quæcumque ad annonam pertinentia (*c*), magiſtratibus, legatis, militibus, hoſpitii cauſſa, erogabantur, *præbendorum* (*d*), vel *præbendi*

vel vineolas Eccleſiæ exigui valoris, (qui definitus tamen non eſt, ſed ex conditione Eccleſiæ tenuioris, vel ditioris, & a *qualitate* temporum, locorum, & rerum, arbitrio boni viri determinandus eſt), alienari poſſe ab epiſcopo, ut habetur in Can. *Terrulas* LII. *Cauſ.* XII. *Quæſt.* 2. neque hanc illi poteſtatem ſublatam fuiſſe per *cit.* Extravag. *ambitioſæ*, neque per Tridentinum.

(*a*) Nullum fortaſſe hujuſmodi nominum vetuſtius veſtigium eſt apud Canonum Collectores, quam quod extat in Can. *ſi quis II. Cauſ. I. Quæſt.* 3. ubi Gregorius VII. ſcribens ad epiſcopos Galliæ, dantem, & accipientem *Eccleſiaſtica beneficia, quæ quidam præbendas vocant, ſub pecuniæ interventu*, in ſimoniæ peccatum incurrere adfirmat.

(*b*) Olim Romani magiſtratus, e provinciis revertentes, nomina eorum adoleſcentium, quorum opera egregie uſi fuerant, ad ærarium deferre ſolebant, ut ita tamquam de Republica benemeriti præmio aliquo ex publico ipſo ærario adficerentur. Unde *in beneficiis ad ærarium deferri*, & *beneficiarii Conſulum*, *Proconſulum*, *Tribunorum*, paſſim apud Latinos occurrunt. Pariter ſtipendia militum ob rem præclare geſtam beneficio Ducum adaucta, atque inde fundi ipſi, qui colendi iis, atque ad victum retinendi concedebantur, *beneficia* audivere.

(*c*) Hujuſmodi erant ſal, ligna, &c. de quibus Horatius, cujus teſtimonium adduximus *Tom. II. pag.* 346.

(*d*) *Supr. Tom.* II. *pag.* 320. ex Cujacio monuimus *præbenda*, neutro genere, appellata. Caſſiodorus *Variarum lib.* III. *Epiſt.* 42. & *lib.* V. *Epiſt.* 39. vocabulum *præbendarum* adhibuit.

di nomine (*a*), apud Veteres dicta fuiſſe. Ex militia armata utraque hæc vox in Eccleſiam invecta eſt (*b*); quæ, poſtquam immobilia poſſidere cœpit, miniſtris de ſe benemeritis, prædia quædam ad vitam, *beneficii*, vel præbendæ loco (*c*), conferre conſuevit. Porro ita definiri poteſt beneficium: *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ propter officium ſpirituale auctoritate Eccleſiæ conſtitutum*. Dicitur *jus perpetuum*, h. e. ad vitam beneficiarii. Sicut enim Clericus ordinatus titulo, vel miniſterio Eccleſiæ perpetuo mancipabatur, ita vivendi ex bonis Eccleſiæ perpetuum quoque jus adquirebat. *Percipiendi fructus*, eo quod uſumfructum inde tantum habeat, ſalva ſemper rei ſubſtantia, quæ alienari non poteſt. *Ex bonis Eccleſiæ*, ſcilicet immobilibus, quibus, principum, aut Fidelium donationibus, eadem fuit locupletata. *Propter officium ſpirituale*, inſerviendi ſcilicet altari, quum ex Apoſtolo (*d*) juſtum ſit, ut qui altari fervit, de eodem potiſſimum vivat. *Auctoritate Eccleſiæ conſtitutum*. Quemadmodum enim cura redituum Eccleſiaſticorum penes epiſcopum antiquitus reſidebat, ita ejuſdem omnino auctoritas neceſſaria eſt, ut adhibitis de jure ſollemnitatibus beneficium conſtituatur.

§. IV.

(*a*) Ulpianus in L. *inviti* 19. D. *de teſtib.* ita habet: *is, qui quid exercitui præbendum conduxerit*.

(*b*) De *beneficio*, hoc ſenſu accepto, mentio eſt in L. *jubemus* 14. §. 5. C. *de ſacr. Eccleſ.* & in Can. *ſi œconomus* 4. *in rubric. Cauſ. X. Quæſt.* 2. & paſſim alibi.

(*c*) *Beneficium* generale nomen eſt, & jus quodlibet ſignificat percipiendi reditus, ſpirituali cuilibet officio in quacumque Eccleſia adnexos. *Præbenda* ſpecies eſt beneficii, & ſpecialiter pro eo jure accipitur, quod Canonicis competit, nempe portionem ſuam ex menſa Capitulari, ratione præſtiti in certa Eccleſia officii, ſibi vindicandi.

(*d*) I. *ad Corinth.* IX. 13.

§. IV. *Nativo jure collatio beneficiorum ad epiſcopum ſpectabat. Varii deinde orti collatores, ac multiplex beneficiorum diſtinctio.*

Collatio olim omnium beneficiorum ad proprium epiſcopum nativo jure pertinebat, quemadmodum cura Eccleſiarum, earumque bonorum, & collatio Ordinum ad ſolum ipſum ſpectabat (*a*). Diverſo deinde tempore, diverſaque ex ratione, tum varii collatores beneficiorum emerſere, ſive ob expreſſam fundatorum voluntatem, ſive ob inveteratam conſuetudinem, ſive ob aliquod Pontificium privilegium, ſive etiam ob prærogativam ipſam S. Sedis, quæ multorum collationem beneficiorum ſibi reſervavit; tum varie beneficia diſtingui cœperunt. Et I. Alia ſunt *curata* (*b*), quibus animarum cura adnexa eſt, quæque *duplicia* recte nuncupantur, ſi cum interna juriſdictionem etiam contentioſam in foro externo contineant: vel *ſimplicia*, quibus, nec populum, nec Clerum habentibus, nulla in neutro foro adjuncta eſt cura. Cujuſmodi ſunt Canonicatus, immo, pro conſuetudine tamen locorum, ipſæ Dignitates, Perſonatus, Officia, de quibus alibi (*c*). II. *Reſidentiaria*, quæ ad reſidendum adſtringunt, ſive regiminis, ſive miniſterii cauſſa; vel *non reſidentiaria*, cujus generis ſunt beneficia mere *ſimplicia*. III. *Sæcularia*, quæ Clericis tantum ſæcularibus conferuntur; & *regularia*, quorum regulares tantum ſunt capaces. IV. *Incompatibilia*, quæ ſimul obtineri nequeunt; *compatibilia*, quæ ab uno ſimul haberi non prohibentur, ut ſunt

---

(*a*) Can. *omnes baſilicæ* VII. *Cauſ.* XVI. *Quæſt.* 7. Lateran. I. *Can.* 4. & 7. Alex. III. Cap. *ex frequentibus* III. Extr. *de Inſtit.*

(*b*) Inter beneficia *majora* ſunt Papatus, Patriarchatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Cardinalatus, Abbatiæ. Sed nos hic de beneficiis *minoribus*.

(*c*) *Tom. III. pag.* 331.

Google

ſunt *ſimplicia*. Præterea *incompatibilia* iterum dividuntur. Vel enim ſunt *primi generis*, quæ ſcilicet ipſo jure vacant per conſequutionem alterius, qualia ſunt *curata*; vel *ſecundi generis*, quæ licet ſimul retineri nequeunt, non vacant tamen ipſo jure, eo quod alterutrum eligendi facultas habeatur; cujuſmodi ſunt duo Canonicatus in diverſis Eccleſiis. V. *Reſervata*, ſeu *adfecta*, quæ nimirum ſunt Pontificiæ collationis; non *reſervata*, ſive *adfecta*, quorum collatio ad alios pertinet. VI. Alia ſunt, quæ in *titulum* dantur; alia, quæ in *commendam*. Atque hæc primum quidem ad tempus, hodie plerumque in perpetuum conceduntur. VII. *Electiva* denique, quæ per electionem collegarum; *collativa*, quæ per liberam Superioris collationem; & *patronata*, quæ ad patronorum præſentationem deferuntur. Ex recenſitis hiſce beneficiorum generibus longiorem quædam requirunt explanationem, de quibus pauca ordine ſuo.

§. V. *Ab epiſcopo conferendum eſt beneficium per* patentes *litteras, intra tempus a Lege præſcriptum, non* habilibus *ſolum, ſed etiam dignioribus.*

QUAMVIS autem jure ſuo utatur epiſcopus, in beneficiorum collatione (*a*), quædam tamen ſunt ab eo obſervanda. Ac I. opus eſt, ut beneficium in menſe epiſcopi vacaverit, ſeu in menſibus quatuor Temporum

(*a*) *Collationis*, & *Inſtitutionis* voces antiquitus inauditæ. Minime enim a miniſterio Eccleſiæ Ordinatio ſejungebatur. Unde *Ordinationis* nomenclarura, & collatio ipſa Ordinis, & miniſtrandi jus, cum jure etiam Eccleſiaſticam portionem, ſeu beneficium percipiendi, ſignificabatur. Ubi vero ſæc. circiter XI. (ut *Tom.* I. *pag.* 107. notavimus), Clericorum Ordinationes a beneficiorum traditionibus diſtinctæ fuerunt; ad denotandam liberam beneficii conceſſionem, quæ proprio jure fit ab epiſcopo, *collationis*; ad deſignanda beneficia juriſpatronatus, (de quo paullo mox), *inſtitutionis* nomen uſurpatum eſt.

rum (*a*); aut etiam, ſi epiſcopus gaudeat *alternativa* (*b*), vacatio beneficii menſe etiam ſuo facta ſit. II. Collatio per litteras, quas *patentes* dicunt, expedienda eſt, quarum deſcribendarum modus videri poteſt apud Van-Eſpenium (*c*). III. Intra ſex menſes (*d*), non *a tempore*

(*a*) Dictum modo, quamdiu beneficia non fuerunt a collatione Ordinum ſeparata, epiſcopum, utpote ordinarium Ordinationis miniſtrum, ſolum quoque fuiſſe beneficiorum collatorem. Suborta deinde fuerunt ſæc. circiter XII. Apoſtolica mandata *de providendo*, quibus Pontifex de beneficiis provideri mandabat, quæque *Exſpectativæ* nuncupatæ ſunt, ſi de beneficiis *vacaturis* ageretur, eo quod qui mandatum hujuſmodi in ſui favorem obtinuiſſet, *Expectativam* habuiſſe diceretur. Tempore Concilii Baſileenſis, quod an. 1431. inchoatum fuit, quum antea frequentes admodum eſſent *Exſpectativæ*, declaratum fuit in gratiam Ordinariorum, quatuor ii fore menſes exemtos contra Mandatarios, & Exſpectantes Apoſtolicos. Tum per Regulam IX. Cancellariæ reſervatio hæc octo menſium pro Sede Apoſtolica introducta fuit, qui ſunt Januarius, Februarius, Aprilis, Majus, Julius, Auguſtus, October, & November; relicta facultate epiſcopis, ut in ceteris quatuor menſibus, Martio, Junio, Septembri, & Decembri, jure ordinario beneficia conferrent.

(*b*) Per eamdem Regulam IX. Cancellariæ, in gratiam epiſcoporum, *quamdiu apud Eccleſias, aut Diœceſes ſuas, vere, ac perſonaliter reſederint*, dari iis ſolet *alternativa*, ſex menſium, incipiendo a Januario, qui reſervatur S. Sedi, & Februario, qui eſt proviſionis Epiſcopalis, & ſic deinceps. Ea autem ſolis epiſcopis, & petentibus quidem, non Abbatibus juriſdictionem Epiſcopalem habentibus conceditur. Qua ii uti poſſunt, poſtquam Romam miſerint acceptationem *alternativæ*, & a Datario receptæ, & recognitæ fuerint acceptationis litteræ. Nec vero ipſa valebit, niſi quum epiſcopus *vere, ac perſonaliter* reſederit, etiamſi ex urgenti neceſſitate extra Diœceſim reperiatur. Videte Van-Eſpenium *Part.* II. *tit.* XXIII. *cap.* 6. late de *alternativa* diſputantem.

(*c*) *Juris Eccl. Part.* II. *tit.* XXI. *cap.* II. *num.* 9. *& ſeqq.*

(*d*) Si Parochialis tamen Eccleſia vacaverit in menſe Sedi Apoſtolicæ reſervato, tum electio magis idonei, intra quadrimeſtre tempus, ab epiſcopo facienda eſt. Pius V. Conſtit. *in conferendis* an. 1567.

pore vacationis, ſed a die ſcientiæ vacationis beneficii, collatio per epiſcopum, alioſve Prælatos facienda eſt (*a*). Verum *ſi epiſcopus, ubi ad eum ſpectat, conferre diſtulerit, per Capitulum ordinetur: quod ſi ad Capitulum pertinuerit, & infra præſcriptum terminum hoc non fecerit, epiſcopus .... exequatur: aut, ſi omnes forte neglexerint, metropolitanus .... diſponet* (*b*). Itaque *contra negligentes tantum, & deſides*, ut inquit Innocentius III. (*c*), hujuſmodi pœna ſtatuta eſt, ne ſcilicet ex diutina vacatione beneficiorum quid detrimenti Eccleſiis adferatur. Quare legitime impeditis ſemeſtre tempus non currere, communiter ſentiunt Doctores (*d*).
IV. Beneficia non conferenda ſunt laicis (*e*), ſed Clericis (*f*); nec natis ex injuſtis nuptiis (*g*); nec hæreticis, receptatoribus, defenſoribus, & fautoribus eorum, ipſorumque filiis, uſque ad ſecundum gradum in linea paterna, & ad primum in materna, dummodo eorum parentes vel *tales eſſe, vel tales etiam deceſſiſſe* conſtiterit (*h*); nec conjugatis, bigamis (*i*), excommunica-tis

(*a*) Cap. *quia* V. Extr. *de conceſſ. præb.*
(*b*) Cap. *nulla* II. eod.
(*c*) *Cit.* Cap. *quia*.
(*d*) *Ex cit.* Cap. *quia*, ubi Innoc. III. jubet reſignandas eſſe Præbendas, & Dignitates Eccleſiæ Eboracenſis, ab iis, qui in eas irrepſerant præter auctoritatem Gaufridi, Archiepiſcopi Eboracenſis, inde diu exulantis, mandante Ricardo, Anglorum Rege. Sed quid, ſi epiſcopus non poteſt conferre, eo quod ex propria culpa ſuſpenſus ſit? Tempus ſuſpenſionis ex ſemeſtri ſubtrahendum quoque eſt. Fagn. in *cit.* Cap. *nulla num.* 27. & 33.
(*e*) Fagn. in Cap. *ſuper eo* II. Extr. *de bigam. non ord. num.* 42. & *ſeq.*
(*f*) *Trident.* Seſſ. XXIII. in *Decret. de Refor. cap.* 6.
(*g*) Cap. *is qui* I. *de filiis presb.* in VI. ubi dicitur poſſe epiſcopum diſpenſare in defectu natalium ad Ordines minores, & ad obtinendum beneficium ſine cura; non ad Ordines majores, & beneficia *curata*.
(*h*) Cap. *ſtatutum* XV. *de hæret.* in VI.
(*i*) Fagn. in *cit.* Cap. *ſuper. eo cit. num.* 42.

tis (*a*), irregularibus, ſimoniacis, legitimam ætatem non habentibus (*b*), aut a Religione ejectis (*c*). V. Oportet, ut beneficia dignioribus conferantur, quemadmodum Tridentinum conſtituit. Non ſolum enim declaravit eos, qui ad promotionem aliorum ad Eccleſiaſtica beneficia, operam locant ſuam, *alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint... præfici diligenter curaverint*; ſed & expreſſe præcepit, ut ex adprobatis *ad vacantem Eccleſiam gubernandam ..... epiſcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri, collatio Eccleſiæ ab eo fiat* (*d*).

§. VI. *Tridentinum quoad prælationem dignioris illuſtratur.*

PLURA autem ad Tridentini mentem de prælatione dignioris præ digno ſunt hoc loco advertenda. I. Proſcripſit Innoc. XI. hujuſmodi propoſitionem (*e*): *quum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias pro-*

(*a*) Cap. *poſtulaſtis* VII. Extr. *de cler. excomm.* Intellige etiam de excommunicato occulto, quippe qui in foro conſcientiæ retinere non poterit beneficium. Fagn. in *cit.* Cap. *num.* 9.

(*b*) Si ſermo eſt de beneficiis ſimplicibus, ætas legitima eſt annorum 14. ut ex Trid. *Seſſ.* XXIII. *in Decr. de Reform. cap.* 6. Si de Canonicatibus, ea ætas eſt, quæ ad Ordinem ſacrum, iis adnexum, requiritur, ut in *Tom.* II. *pag.* 321. Si de Dignitatibus Curatis, aut Parochiis, annus XXV. ætatis ſaltem inchoatus deſideratur, ut in *Tom.* II. *pag.* 348.

(*c*) Bened. XIV. *de Syn. Diœceſ. lib.* XIII. *cap.* XI. *num.* 21. Quid de filiis Hebræorum, aut Infidelium? Si digni ſint, non arcendos ab Ordine, & beneficiis adfirmavit idem Pontifex *ibid. lib.* XII. *cap.* I. *num.* 4. & *ſeq.* niſi obſtet lex fundationis, aut ſpecialis S. Sedis prohibitio, ut de Judæis obtinet in Portugallia.

(*d*) *Seſſ.* XXIV. *in Decret. de Reform. cap.* 1. & 18.

(*e*) Decret. *Sanctiſſimus* an. 1679. *num.* 47.

promovent, *Concilium vel primo videtur per hos* digniores *non aliud ſignificare velle*, *niſi dignitatem eligendorum*, *ſumto comparativo pro poſitivo*; *vel ſecundo*, *loquutione minus propria*, *ponit* digniores, *ut excludat indignos*, *non vero dignos*; *vel tandem loquitur tertio*, *quando ſit concurſus*. II. Dignior ſemper eligendus eſt, etiamſi Eccleſia ſit juriſpatronatus. Si enim inſtitutio pertinebit ad epiſcopum, ille inſtituetur, *quem patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit*. Quæ ſi ab alio, quam ab epiſcopo, facienda erit, *epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem*, *quem patronus ei præſentet*, *ad quem inſtitutio ſpectat* (*a*). III. Quoniam judicare, qui ſint idonei, ad Examinatores pertinet, qui vero ex idoneis magis idoneus ſit, ſolius eſt epiſcopi (*b*); hinc, facta ab epiſcopo electione dignioris præ digno, poterat in vim Concilii a ſententia quidem Examinatorum, non vero a judicio ipſius epiſcopi, poſtpoſitus adpellare (*c*). Attamen conceſſit Pius V. ut etiam ab *irrationabili* epiſcopi judicio ad metropolitanum, & ab eo ad Primatem, vel ad S. Sedem poſſet adpellari, nec interim ſuſpendatur facta electio, ſed exequutioni demandetur (*d*). Quod Clemens XI. confirmavit (*e*); & Benedictus XIV. luculentius declaravit

(*a*) Trid. *ſupr. cit. Seſſ.* XXIV. *cap.*18. Et Pius V. Conſtit. *Apoſtolatus an.* 1567.

(*b*) Perſpicua in hanc rem ſunt verba Tridentini *cit. cap. peracto deinde examine*, *renuncientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint* . . . *Ex hiſque epiſcopus eum eligat*, *quem ceteris magis idoneum judicaverit*. Videte Fagnanum in Cap. *quum ſit ars artium* XIV. Extr. *de ætat. & qual. & ord. præf. n.*52.

(*c*) S. Congr. apud Fagnanum in Cap. *eam te* IV. Extr. *de ætat. & qual. num.* 26.

(*d*) Conſtit. *in conferendis* an. 1567. & *cit.* Conſtit. *Apoſtolatus* an. eod.

(*e*) Epiſt. encycl. *Reverendiſſime* an. 1721. qua modum examinandi concurrentes magis expoſuit, voluitque, ut in cauſſa adpellationis folia concurrentium cum ſubſcriptione Notarii, Cancellarii, & Examinatorum, ad judicem clauſa mitterentur.

ravit (*a*). IV. Ut conſtet, *irrationabile* fuerit judicium epiſcopi, necne, judex adpellationis novum examen inſtituere tenetur, non ſolum quoad ſcientiam, ſed ceteras etiam dotes, de quibus loquitur Tridentinum (*b*); quemadmodum ex Decretis S. Congregationis late probat Fagnanus (*c*). Tum facta inquiſitione, & comparatione meritorum, & dotium ipſorum concurrentium, facile patebit, uter præ ceteris magis idoneus ſit (*).

V.

(*a*) Conſtit. *quum illud* an. 1742. ubi nova quædam decreta addidit, ſtatuitque, ut judex commoneat epiſcopum collatorem de adpellatione ad ſe facta, epiſcopus vero eum de cauſſis inſtruat, quibus impulſus unum præ alio elegerit, aut ſi judicis fides ſibi ſuſpecta ſit, electionis cauſſas ad Congr. Concilii mittat.

(*b*) *Cit. Seſſ.* XXIV. *cap.* 18. Ibi: *quotcumque ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis.* Judicium itaque idoneitatis ſemper circa hæc omnia verſari debet, ut *Tom.* II. *pag.* 352. etiam innuimus. Si enim de doctrina tantum Examinatores referrent, nullum eſſe Concurſum reſpondit S. Congr. apud Fagnanum in Cap. *eam te* IV. Extr. *de ætat. & qual. num.* 15. Licet tamen, ut *num. ſeq.* idem ipſe advertit, *non requiritur, ad validitatem Concurſus, ut de ſingulis qualitatibus Examinatores ſpecialiter, & nominatim referant; ſed ſatis eſt, ut ſimpliciter renuntient aliquem idoneum; vel non idoneum; adprobatum, vel reprobatum.*

(*c*) *Ibid. num.* 31. *& ſeqq.* Immo examen de doctrina ante omnia habendum erit, eo quod probatio facilior, & promtior haberi poteſt; tum vero quoad cetera requiſita. Fagnanus *ibid. num.* 33. & conſonat Gregorius X. in Cap. *ſi forte* XI. *de Elect. in* VI.

(*) Duo tamen monere libet. I. Scientia, & probitas in eo, qui ad curam animarum adſumitur, omnino ſimul requiruntur. Si enim prior deeſt, tamquam *inhabilis*; ſi poſterior, ut indignus quis repelletur. Canones, & Pontifices, unam uni modo præponunt, modo poſtponunt, ut utramque ſimul neceſſariam commendent. Sed utra alteri præferenda eſt? Inquirit id Fagnanus *ſupr. cit.* Cap. *eam te n.* 9. *& ſeqq.* ac late probat, doctiorem ſanctiori anteponendum eſſe, quod ille melius, ac facilius inſervire poſſit Eccleſiæ, eamque adminiſtrare. Atqui equidem adderem, ſi noſtri præſertim hæc ratio temporis attendatur, in

quo

V. At poſt factum ſaltem ſuſtinendane eſt electio digni, prætermiſſo digniore? Ita ſane eſt ex Jure communi, in foro ſaltem externo (*a*). Quippe, etſi Canones animarum regimen dignioribus ſemper commendandum

---

quo Philoſophia Religionem, & Imperium evertere undecumque conatur. Quo fit, ut non in urbibus ſolum, ſed in vicanis ipſis oppidis, ac pagis, (ubi comptuli quidam homines exterorum more, exteram quoque crepant ſapientiam), graviſſimi, doctiſſimique conſtituendi ſint paſtores, qui potentes ſint, (ut inquit Paulus ad *Tit.* I. 9.), *exhortari in doctrina ſana*, *& eos*, *qui contradicunt*, *arguere*, h. e. veritatem evidentibus argumentis demonſtrare. II. Magis idoneus non *abſolute*, ſed *comparate* judicandus eſt, ad hanc nempe, aut illam *vacantem Eccleſiam*. Quare indigena, utpote ut plurimum acceptior, præ alienigena; in locis non hæreticis Canoniſta præ Theologo; in Parochia populoſa, aut parum conjuncta, junior laboris patiens, quam ſenior; in loco rixarum pleno, gravior, & præpotentior, quam adoleſcentior, maxime etiam eruditus; in populo pauperiore, ditior, & liberalior, quam nobilis tenax, aut non adeo reſidentiæ amicus; in parvo ruſticorum vico, illuſtrior magis caritate, ut apte inſtruat, quam doctrina ornatior, qui cum plauſu etiam doceat; ac demum conſanguineus magis, ſi cum proprio Prælato *unanimiter ſecum negotia Eccleſiæ* tractet, quam qui ſibi plurimum confidit, ab illo alienus, ut ad rem putat S. Th. 2. 2. *Quæſt*. LXIII. *art*. II. *ad* 1. Id itaque inquirant potiſſimum epiſcopi, quodnam præcipuum Eccleſiæ incommodum ſit, animoque ſecum reputent, eum illi, utpote digniorem, magiſque idoneum, eſſe præficiendum, qui adcommodata ad ipſam præeminet prærogativa, ſeu qui, ut ait *ibid. in corp.* S. Thomas, *poteſt magis conferre ad bonum commune*. Nec vero ſcrupulum ſibi iidem injiciant, quod excellentiorem aliquem, aut majora merentem tum prætermiſerint. Alius, excellentiorque huic dabitur deinde locus, qui tamen conveniet. Major enim *idoneitas* non *ſimpliciter*, ſed apte ad miniſterium Eccleſiæ, metienda eſt. Quo pacto meliorem judicamus famulum, non qui per ſe nobilioribus ornatur dotibus, ſed quem in hoc, aut illo noſtrarum rerum ſtatu, aptiorem præſtare nobis famulatum cognoſcimus.

(*a*) Nimirum in foro interno excuſari non poſſet a peccato contra juſtitiam diſtributivam, qui omiſſo digniore minus dignum eligeret.

dum volunt, poſt proviſionem tamen pati videntur, quod non indignus adſumtus ſit (*a*). Rationem habes a S. Thoma (*b*): *quantum ad hoc, quod electio impugnari non poſſit in foro judiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam*. Secus autem dicendum poſt Tridentinum, quo ſancitur, ut magis idoneo, *& non alteri, collatio Eccleſiæ fiat* (*c*). Unde facile deducitur, collationem minus digno factam, ipſo jure eſſe nullam. VI. Electio dignioris præ digno obtinebitne etiam, quum non de *curatis*, ſed ſimplicibus tantum beneficiis agitur? Ita certe adfirmare ſatius eſt, tum ex natura, & origine ipſa beneficiorum, quum nonniſi miniſtrantibus Clericis portio cuique ſua daretur, & magis laborantibus duplicem ſtipendii honorem impendi juſſerit Apoſtolus (*d*); tum ex ratione juſtitiæ diſtributivæ, quæ juſtiſſimam requirit diſpenſationem, & cui inæqualitas potiſſimum adverſatur; tum demum ne in vitium *acceptionis perſonarum* hoc modo incurratur, quod tantopere non ſolum in ſacris litteris, ſed a Canonibus etiam reprobatur. Quare Innoc. III. ad Archiepiſcopum Mediolanenſem (*e*): *non adfectu carnali ſed diſcreto judicio debuiſti Eccleſiaſticum officium & beneficium in perſona magis idonea diſpenſare* (*f*).

§.VII.

(*a*) Fagn. in *cit.* Cap. *eam te num.* 23.

(*b*) 2. 2. *Quæſt.* LXIII. *art.* II. *ad* 3.

(*c*) *Cit. Seſſ.* XXIV. *cap.* 18.

(*d*) I. *ad Timoth.* V. 17. Ibi: *qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina.*

(*e*) In Cap. *ut noſtrum* unic. Extr. *ut Eccleſ. beneficia ſine diminut. confer.*

(*f*) Dari poſſe idoneis, poſthabitis dignioribus, beneficia non *curata* propugnant aliqui ex Can. XXX. Later. IV. qui refertur in Cap. *grave* XXIX. Extr. *de præb. & dign.* ubi Innoc. III. *viros idoneos ad Eccleſiaſtica beneficia* promovendos eſſe adfirmat; & ex Tridentino *Seſſ.* VII. *in Decret. de Reform. cap.* 3. ubi *inferiora beneficia Eccleſiaſtica, præſertim curam*

§. VII. *Duo*, *aut plura beneficia* incompatibilia, *ex Tridentino habere non licet*.

A prioribus uſque Eccleſiæ ſæculis Canones vetuerunt, ut Clericus duabus Eccleſiis adſcriberetur (*a*). Quod ex duplici potiſſimum cauſſa profectum videtur, ſive quod *negotiationis* genus eſſet (*b*), atque ita ob ampliorem Eccleſiaſtici cenſus participationem ambitio magis foveretur; ſive quod pluribus ſimul Eccleſiis *debitam proviſionem impendere* minime liceret (*c*). Non deſunt ſane exempla, ex quibus cum uno presbytero quandoque diſpenſatum fuiſſe adparet, ut diverſis ſcilicet Parœciis inſerviret (*d*). Sed vel raro id, vel nonniſi maxima urgente neceſſitate contigiſſe dicendum eſt. Verum ſæc. XII. abuſus *pluralitatis* beneficiorum, in Galliis præſertim, adeo palam excreſcere cœperat, ut nonnulli *non duas*, *vel tres*, *ſed plures Eccleſias* retinerent (*e*). Cui malo Alexander III. (*f*), & Innocentius III. (*g*) occurrere ſtuduerunt. Quoniam vero idem In-

---

ram animarum habentia, *perſonis dignis*, *& habilibus* conferri conſtituit. Sed non vident hiſce in locis ſermonem eſſe de *idoneis*, & *dignis*, non comparate ad magis idoneos, aut magis dignos, ſed ad indignos, & qui nec moribus nec litteris ornati promoveantur. Sane ex *cit*. Tridentini verbis *inferiora beneficia Eccleſiaſtica* &c. illud dumtaxat erui poteſt, gravius ſcilicet peccari, quum indignis beneficia *curata*, quam quum ſimplicia conferantur.

(*a*) Chalcedon. *Can*. 10. *&* 19. Synodus Aurelianenſis V. *Can*. 14. an. 549. & Toletana XVI. *Can*. 5. an. 693.

(*b*) Can. *Clericus* I. *Cauſ*. XXI. *Quæſt*. I.

(*c*) Alex. III. in Cap. *quia* V. Extr. *de præb. & dignit*.

(*d*) Syn. Emeritenſis in Luſitania *Can*. 18. an. 666.

(*e*) Alex. III. in *cit*. Cap. *quia* V.

(*f*) Conc. Later. III. Cap. 13. quod refertur in Cap. *quia* III. Extr. *de Cler. non reſid*.

(*g*) Conc. Later. IV. Cap. 29. quod refertur in Cap. *de multa* XXVIII. Extr. *de præb. & dign*.

Innocentius hujuſmodi clauſulam adpoſuit (*a*): *circa ſublimes tamen*, *&* *litteratas perſonas*, *quæ majoribus ſunt beneficiis bonorandæ*, *quum ratio poſtulaverit*, *per Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari*; & uſus inſuper *commendarum*, & *unionem perſonalium*, maxime invaluit; hinc latiſſima omnibus patuit via, ſive per Apoſtolicam diſpenſationem *pluralitatem* beneficiorum impetrandi, ſive eas palliato quodam nomine tegendi. Poſtremo Tridentinum (*b*) ſevere prohibuit, ne duæ Eccleſiæ Cathedrales, aut *curatæ*, ſub *cujuſque tituli*, *ac qualitatis* adpellatione, vel colore, cuiquam ſimul conferrentur. Quemadmodum igitur ſuperius (*c*) innuimus, ex jure Tridentini plura beneficia *compatibilia*, ſeu quæ nullam adnexam habent curam animarum, uni etiam concedi poterunt; nequaquam vero *incompatibilia*, ſeu *curata*. Quædam hic tamen animadvertes. I. Beneficia duo difformia ſub eodem tecto, præſertim ſi ſint exiguorum redituum, ab uno ſimul haberi poſſunt, ſi vel Eccleſiæ conſuetudo, vel expreſſa adſit epiſcopi diſpenſatio (*d*); licet, quoniam poteſt *periculoſum eſſe*, *an cauſſa ſubſit ea*, *quam Canones requirunt*, *ideo tutius eſſe adire Sanctiſſimum* putat Fagnanus (*e*). II. Decretum Tridentini nihil ſpectat penſiones Eccleſiaſticas, quæ iis, qui *curatum* habent beneficium, dari etiam poſſunt; ſed adficit tamen beneficia jurispatronatus, ſi iis regimen ineſt animarum.

§. VIII.

(*a*) *Cit.* Cap. 29.
(*b*) *Seſſ.* VII. *Cap.* 2. & 4. *Seſſ.* XXIV. *Cap.* 17.
(*c*) *Pag.* 308.
(*d*) S. Congr. apud Fagnan. in Cap. *litteras* IX. Extr. *de conceſſ. præb. num.* 67.
(*e*) *Ibid. num.* 68.

§. VIII. *Licet quandoque per epiſcopum unionem fieri Eccleſiarum. Alia notantur.*

Alibi præterea diximus (*a*), poſſe epiſcopum cum conſenſu Capituli Eccleſiam alteri Eccleſiæ unire. Quomodo hujuſmodi unio, quibuſve ex cauſſis fieri aliquando poſſit, nunc examinandum. Sane neque de unione *perſonali*, aut *ad vitam*, quæ, utpote pallium quoddam *pluralitatis* beneficiorum, a Tridentino ſublata eſt (*b*); neque de ea, quam Romani Pontifices de Cathedralibus quandoque inſtituunt; ſed de illa hic loquimur, quæ epiſcopo certis de cauſſis, certaque ſollemnitate facienda conceditur. Cauſſæ ſunt vel *neceſſitas*, ſi Eccleſiæ invicem ſeparatæ congruam paſtori ſuſtentationem non præbeant; aut ſi plebs hoſtili incurſu, peſtilentia, aliove caſu, nimium ſit diminuta: vel *utilitas*, ſi locorum vicinitas, parvus incolarum numerus, aut defectus idonei miniſtri, eo quod omnes reſidentiam in graviore cælo fortaſſe refugiunt, unionem requirant. Sollemnitatis conſiſtit, quod *coram loci Ordinario* ii omnes, *quorum intereſt*, vocandi, audiendique ſunt, puta, Abbates, Rectores, patroni Eccleſiaſtici, aut laici, ceterive beneficiorum poſſeſſores (*c*); necnon Capituli etiam conſenſus obtinendus (*d*); qui tamen a S. Congregatione ſuppleri etiam ſolet. Plura autem attendatis, quæſo. I. Uniri non poſſunt *Eccleſiæ Parochiales monaſteriis quibuſcumque, aut Abbatiis, ſeu*

(*a*) *Tom.* II. *pag.* 326.

(*b*) *Seſſ.* VII. *in Decret. de Reform. cap.* 4.

(*c*) Trid. *Seſſ.* VII. in *Decret. de Reform. cap.* 6. Advertit autem Van-Eſpenius *Juris Eccleſ. Part.* II. *tit.* XXIX. *cap.* III. *num.* 9. & 16. quod patronorum laicorum conſenſus omnino habendus ſit, Rectores vero, & Parochiani dumtaxat audiendi.

(*d*) Clement. *ſi una* II. *de reb. Eccleſ. non alien.* Notavimus & *Tom.* II. *pag.* 328.

ſeu *Dignitatibus*, *ſive Præbendis Eccleſiæ Cathedralis*, *vel Collegiatæ*, *ſive aliis beneficiis ſimplicibus*, *aut Hoſpitalibus*, *Militiiſve* (*a*). II. Item nec diverſarum Diœceſeωn beneficia, etiamſi *ratione augendi cultum divinum*, *aut numerum beneficiatorum*, *aut alia quacumque de cauſſa*, unio iſthæc fieret (*b*). III. Nec & beneficia libera Eccleſiis juriſpatronatus; nimirum ne *ejuſdem naturæ cum iis*, *quibuſcum uniuntur*, *efficiantur*, *atque ſub jurepatronatus conſtituantur* (*c*). IV. Nec beneficia exemta, Sedique Apoſtolicæ reſervata (*d*). V. Irrita erit unio, ſi beneficia vel menſæ Capitulari, vel Epiſcopali, *ſui etiam Capituli accedente conſenſu*, epiſcopus adplicaret (*e*), ut turpis ſcilicet lucri ſuſpicio removeatur. VI. Quæri denique ſolet, an uniendi poteſtas inſit adhuc Vicario Generali, aut, Sede vacante, etiam Capitulo. Dicendum ſpeciali mandato opus eſſe in Vicario; Capitulum autem, utpote heredem juriſdictionis Epiſcopalis, pollere ea auctoritate; *dummodo per eam juri Epiſcopali nihil detrahatur*, ut inquit Van-Eſpenius, Rebuffi ſententiam ſequutus (*f*).

§. IX. *Nulla epiſcopis collationis poteſtas in beneficia* reſervata, *aut* commendata.

Prohibetur tandem epiſcopus beneficia, ſive *adfecta*, nempe S. Sedi *reſervata*; ſive *commendata* per ſe alteri conferre. I. Hadrianus IV. (qui Pontificatum iniit an. 1154.), primus dicitur ab epiſcopis, & Capitulis, per verba *mandamus*, *præcipimus*, poſtulaſſe, ut Cle-

(*a*) Trid. *Seſſ.* XXIV. *in Decret. de Reform. cap.* 13.
(*b*) *Seſſ.* XIV. *in Decret. de Reform. cap.* 9.
(*c*) *Seſſ.* XXV. *in Decret. de Reform. cap.* 9.
(*d*) Van-Eſpenius *Juris Eccleſ. Part.* II. *tit.* XXIX. *cap.* I. *num.* 22.
(*e*) *Supr. cit.* Clement. *ſi una* Cap. II.
(*f*) *Ibid. cit. cap.* I. *num.* 24.

Clericis, bene de Eccleſia meritis, litteratis, aut pauperibus, præbendas, & beneficia largirentur. Eamdem viam ſequentes Pontifices inſtiterunt, & tempore præſertim Innocentii III. & Honorii III. triplicis generis enatæ ſunt litteræ, *monitoriæ*, *præceptoriæ*, *exequutoriales*, quibus vacantis, aut proxime vacaturi beneficii collatio urgebatur. Ex *Mandatis* hujuſmodi, & *Expectativis* paullatim manarunt *Reſervationes*, eo quod qui poterat mandare collatoribus conceſſionem beneficiorum, is etiam non vetaretur beneficia ipſa vacatura ſibi reſervare, præſertim quod inter temporum barbariem digniores Eccleſiis præfici oporteret; & quod ad Romanam Sedem, utpote caput omnium Eccleſiarum, diſpoſitio quoque omnium beneficiorum, (quæ opinio ſæc. XIII. invaluerat), pertineret. Querelas ea de re, & declamationes epiſcoporum hiſtoria memorat. Sed nihilo tamen ſecius, tempore potiſſimum ſchiſmatis Avenionenſis, jus *Expectativarum*, & *Reſervationum* latius patuit. Tum in Conſtantienſi, & Baſileenſi contra hunc abuſum reclamatum eſt, ſed haud idcirco eæ ſublatæ. Tandem in Tridentino abolitæ *Expectativæ* (*a*); nihil vero de *Reſervationibus*, quæ in *Corpore Juris*, *Extravagantibus*, & *Regulis Cancellariæ* continentur, immutatum. Quocirca hodie ſecundum varias Regnorum conſuetudines, & Concordata, varie etiam vigent. II. Non Eccleſiæ tantum Epiſcopales, ſed & Parochiales, ipſaque monaſteria, antiquitus in *commendam* dabantur (*b*). Hæc autem nihil aliud erat, niſi adminiſtratio quædam temporaria, donec vacanti Eccleſiæ proprius paſtor *intitularetur*, ſed perpetuo *titulo* præficeretur. Sub Gothis, Langobardis, ac Saracenis, qui Italiam ferro belloque vaſtabant, ſæpe præſules, ſuis ſedibus ejecti, vacantes alias Eccleſias in *commendam* per Romanos Pontifices acceperunt, ut inde vitæ aliquod ſub-

(*a*) *Seſſ.* XXIV. *in Decret. de Reform. cap.* 19.
(*b*) *Tom.* II. *pag.* 349.

ſubſidium caperent (*a*). Quapropter *commendatarii*, & *ſubſidiarii* nuncupati (*b*). Unde abuſus inde paullatim increvit, ut Eccleſiæ, earumque prædia præfectis exercituum, ad vitæ tempus, *commendarentur*, qui inde ſtatum equorum, militumve numerum alerent, annuaque dona Principibus offerrent (*c*). Obſtiterunt tum, quantum ratio temporis tulit (*d*), Pontifices, Synodique (*e*). Sed alius deinde rationis prætextus pro *commendis* emerſit (*f*), reformatio ſcilicet monaſteriorum. Quare Cardinalibus ipſis *commendata* ea fuere, nec tamen monaſtica diſciplina reſtituta; cujuſmodi infelicem rei eventum deploravit Clemens V. revocavitque omnem retro factam *commendarum* conceſſionem (*g*). Conſtitutio Clementis haud effectum ſortita eſt ſuum. Immo uſus *commendarum*, fervente ſæc. XIV. ſchiſmate inter Pontifices, qui de Pontificatu decertabant, ma-

---

(*a*) Thomaſſ. *Vet. & Nov. Eccleſ. diſcipl. Part.* II. *lib.* III. *cap.* X. *num.* 3. *& ſeq.*

(*b*) *Tom.* II. *pag.* 167.

(*c*) Invaſiones hujuſmodi inde derivat Thomaſſ. *ibid. cap.* XII. *num.* 1. quod adverſus Saracenos, Saxones, alioſque populos; non poſſet Eccleſia, & Imperium alias propugnari. Ulcus VI. primum ſæc. contractum, per ſequentes ætates ſub Carolo Martello, Carolomanno, Pipino, aliiſque recruduit. Ceterum in Anglia prius, quam in Gallia origo obtinuit *militarium commendarum*. Thomaſſ. *ibid. num.* 12. *& ſeqq.*

(*d*) Immo, etiamſi epiſcopis, aut Abbatibus *commendæ* darentur, onus tamen iiſdem incumbebat, militem ad Regios exercitus ducendi, mittendive. Unde illa *Abbates Comites*, *epiſcopi militares*.

(*e*) Thomaſſ. *ibid. cap.* XII. *&* XIV.

(*f*) Occupatis iterum per infideles Orientis regionibus, opus fuit, ut epiſcopi Latini, qui, (ut dictum *Tom.* II. *pag.* 253. *& ſeq.*), illuc abierant, atque inde ejecti diſceſſerant, ſuſtentationem vitæ aliunde acciperent. *Commendata* propterea iis monaſteria, & vacantes Eccleſiæ fuerunt. Sed hæc nec improbanda, nec diuturna *commendas* tuendi cauſſa extitit.

(*g*) Extr. comm. *ex ſupernæ* II. *de præb. & dign.*

magis increbuit (*a*). Tandem edixit Tridentinum, ut monaſteriis *commendatis*, quæ Conventus habent, *regulares perſonæ*, *ejuſdem Ordinis expreſſe profeſſæ*, præficerentur, &, (quod ad monaſteria, Capita Ordinum attinet), ſi qui non regulares ea obtinerent, *niſi ſit eis de regulari ſucceſſore proviſum*, *infra ſex menſes religionem illorum Ordinum propriam ſolemniter profiteri*, *aut iis cedere* tenerentur (*b*). Hodie *commendæ* regulares ſæcularibus quandoque Clericis conceduntur, & quidem adbibita cautione Leonis X. (*c*), h. e. ſeparata congrua portione pro menſa Conventuali, ad divini cultus, pauperum, & monachorum conſervationem (*d*). Quod ſi deſint monachi, libera etiam *commendatariis* datur proventuum adminiſtratio, æque ac eſſent beneficiarii (*e*).

§. X.

(*a*) Van-Eſpénius *Juris Eccleſ. Part.* I. *tit.* XXXI. *cap.* VII. *num.* 27. *& ſeq.*

(*b*) *Seſſ.* XXV. *de Regular. cap.* 21.

(*c*) Conſtit. reformationis Curiæ, quæ publicata fuit *Seſſ.* IX. Concilii Later. 1514. Vide Van-Eſpenium *ibid. num.* 31.

(*d*) Commendatarius, etiam regulam Ordinis, cujus eſt monaſterium, non profeſſus, quoniam cum *titulo diſpenſativo* habet *commendam*, ac *veri Prælati* loco eſt, ad reſidentiam obſtrictus, juriſdictione quoque in monachos gaudebit, niſi ſpeciale obſtet privilegium aliquod Ordini conceſſum, cujuſmodi eſt, quod ab Innoc. X. Conſtit. *paſtoralis* an. 1657. pro Ciſtercienſibus memorat Fagn. in Cap. *edoceri* Extr. *de reſcript.* In Gallia nulla gaudent juriſdictione commendatarii, niſi ſint Cardinales.

(*e*) Quoad effectum ſaltem, hodie *commendæ* æquiparatæ beneficiis videntur; tum quod ad vitam dantur, & non in *commendæ*, ſed in commendatarii utilitatem; tum quod penſiones iis adjici poſſunt; tum demum quod commendatarii *dimiſſorias* ad Ordines facere, ad beneficia præſentare, aut hæc etiam conferre non vetantur.

X 2

§. X. *Varia quæpiam breviter perſtringuntur.*

Abs re eſſe minime videtur, ſi plura, quæ ſparſa licet, huc tamen faciunt, non negligamus. I. Diſpoſitio omnium beneficiorum, vacantium ſede Epiſcopali vacante, ad Romanam Curiam pertinet (*a*). II. Irritæ ſunt pactiones etiam ad pios uſus, ſub cujuſcumque conſuetudinis, aut privilegii colore, quas quis juravit, ut ad beneficium eligeretur (*b*). III. Sub anathematis pœna prohibentur, & irritantur ceſſiones fructuum beneficiorum, quos beneficiati ad vitam alteri vendunt, accepta ea ſumma pecuniæ, quam putant ſe percepturos, ſi pro ratione ætatis, & incommodorum, plus, aut minus viverent (*c*). IV. Filii presbyterorum ex fornicatione nati, nullo tempore, neque etiam *mediante perſona*, ſuccedere poſſunt beneficiis parentum (*d*). V. Pacta inter reſignantem, & reſignatarium prorſus vetantur (*e*). VI. Epiſcopus, qui mandavit alteri beneficium conferri, non poteſt variare, etiam re integra; tum quod ſignum id eſſet inconſtantiæ, & circumventionis; tum quod jus alteri, etiam ignoranti, quæſitum læderetur (*f*). VII. Statuit Tridentinum (*g*), *ut Cathedrales Eccleſiæ, quarum reditus ſummam ducatorum mille, & Parochiales, quæ ſummam ducatorum centum ſecundum verum annuum valorem non excedunt, nul-*

(*a*) Pius V. Conſtit. *Sanctiſſimus* an. 1568.
(*b*) Innoc. XII. Conſtit. *Eccleſiæ* an. 1695. In qua Bened. XIV. Conſtit. *paſtoralis* an. 1754. contineri etiam voluit pactiones, quæ in monaſteriorum, & Eccleſiarum utilitatem caderent.
(*c*) Bened. XIV. Conſtit. *univerſalis* an. 1741.
(*d*) Clem. VII. Conſtit. *ad Canonum* an. 1530.
(*e*) Bened. XIV. Conſtit. *in ſublimi* an. 1741.
(*f*) Fagn. in Cap. *quum olim* XII. Extr. de *ſent. & re judic. num.* 5. 23. *& ſeqq.*
(*g*) *Seſſ.* XXIV. *in Decret. de Reform. cap.* 13.

nullis penſionibus (*a*), *aut reſervationibus fructuum graventur*.

§. XI. *Definitio, origo, & multiplex jurispatronatus diviſio*.

Par eſt tandem, ut ad beneficia *juriſpatronatus* ſermonem convertamus. Juſpatronatus eſt *jus nominandi aliquem, præſentandique ad epiſcopum, ut in vacanti Eccleſia, aut beneficio inſtituatur*. Quod propterea per manus quodammodo laicorum ita Clericus Eccleſiam accipiat, Veteribus quidem incognitum (*b*), conſuetudine inductum (*c*), legibus deinde permiſſum fuit

(*a*) Vide Van-Eſpenium *Tract. de Simonia Part.* II. ubi fuſe agit de penſionibus.

(*b*) In Can. *piæ mentis* XXIII. *Cauſ.* XVI. *Quæſt.* VII. dicitur Julius quidam, Eccleſiæ conditor, in re ſua Juliana *proceſſionis aditum* habuiſſe. Gloſſa cum Veteribus inde arguit, tempore jamtum Gelaſii Papæ juſpatronatus extitiſſe. Sed vocis *proceſſio* interpretatio ex ritu Chriſtianorum deſumenda eſt, qui ad Eccleſiam convenientes, *procedere* dicebantur. Quo ſenſu Tertullianus adhortans conjugem ſuam, ne, ſi ipſe occubuerit, viro Gentili copuletur, inter alia habet *lib.* II. *ad uxor. cap.* 4. *Domino certe non poteſt pro diſciplina ſatisfacere . . . ſi jejunia obſervanda ſunt, maritus eadem die convivium exerceat: ſi* procedendum erit, *numquam magis familiæ occupatio adveniat*. Quoniam itaque non licebat primitus parochianis in aliena Parœcia ſacris intereſſe, (ut patet ex Cap. *in Dominicis* II. Extr. *de Paroch.*); id certe erat privilegium patroni, ut etiamſi in alia degeret Parœcia, *procedere* poſſet, h. e. Miſſas vel in Eccleſia a ſe alibi fundata audire.

(*c*) Ad exemplum patronorum, quibus leges Civiles multa conceſſere in libertos, ex grati animi officio invectum fuiſſe in Eccleſia videtur, ut fundantibus, aut dotantibus Chriſtianas ædes aliquid in eas juris tribueretur. Veſtigium patronatus, ſeu poteſtas quædam nominandi Clericum, eluceſcit in Syn. Arauſicana I. *Can.* 10. an. 441. ubi in aliena Diœceſi *ædificatori epiſcopo* hæc gratia tantummodo reſervatur, *ut quos deſiderat Clericos in re ſua videre*, eoſdem proprio Diœceſeos

fuit (a). Multipliciter autem procedente tempore juſpatronatus diſtingui cœpit, *Eccleſiaſticum*, *Laicale*, & *Mixtum*. Primum eſt, quod alicui Eccleſiæ, aut Eccleſiaſticæ dignitati a fundatore, ſive laico, ſive Eccleſiaſtico, adnexum omnino eſt. Alterum, quod non Eccleſiæ, aut dignitatis Eccleſiaſticæ, ſed ratione patrimonii alicui convenit, ſive is laicus ſit, ſive Eccleſiaſticus; ſive paternis bonis, ſive ex Eccleſiæ proventibus juſpatronatus conſtitutum ſit. Tertium denique eſt, quod utriuſque rationem habet, Eccleſiæ, & patrimonii. Nimirum ſi I. alter ex duobus laicis patronis in Eccleſiam, Capitulum, aut Collegium Eccleſiaſticum jus ſuum teſtamento, vel donatione tranſtulerit. Non enim penes Eccleſiaſticam Communitatem reſidere poterit juſpatronatus, ni Eccleſiaſticum quoque ſit. Aut ſi II. patronus Eccleſiaſticus, & laicus, æque ad nominandum ſimul concurrant. Nam ſi non *ſimul*, ſed alternis vicibus nominent, *Mixtum* tum non erit; quoniam unuſquiſque jure ſuo diviſim uteretur. Porro juſpatronatus iterum dividitur in *Perſonale*, & *Reale*; eo quod unum perſonæ, alterum fundo, aut villæ adhæret. Fortaſſe principio nobiles in ruſticis ſuis ſacellis presbyteros conſtituere ſolebant, ut ita prædii incolis commodum præſtaretur. Connivebant epiſcopi: ſed ex eorum conniventia factum deinde eſt, ut ad quos fundus ſpectet, iis etiam jus nominandi vindicaretur.

§.XII.

Antiſtiti ordinandos ſtatuat. Quod quidem privilegium a Juſtiniano ad laicos etiam fundatores extenſum fuit in *Novel*. LVII. *cap*. 2. & *Novel*. CXXIII. *cap*. 18. libera epiſcopis relicta facultate inde indignos arcendi.

(a) Quod Juſtinianus ſanxerat, ab Eccleſia primum omnium confirmatum videtur in Can. *decernimus* XXIX. *Cauſ*. XVI. *Quæſt*. 7.

§. XII. *Variæ inter patronum Eccleſiaſticum, & laicum differentiæ. Modi, quibus juſpatronatus adquiritur, exponuntur.*

Jam vero in multis patronatus laicus diſtat ab Eccleſiaſtico. I. *Licet patronus* (*a*) *laicus ad præſentandum* (*b*) *tempus habeat quadrimeſtre dumtaxat; Eccleſia tamen, vel monaſterium, cui facta eſt a laico jurisſpatronatus collatio, tempus habet ſemeſtre* (*c*). Quod quidem temporis ſpatium cedit a die notitiæ vacantis beneficii (*d*). Eo elapſo, inſtitutio fiet ab epiſcopo (*e*). II. Permittitur laico, facta ſemel præſentatione, alium præſentare (*f*), non autem Eccleſiaſtico (*g*). Nimirum præſentatione laici, nullum jus ad beneficium; jus vero aliquod adquiritur, ſi Eccleſiaſticus præſentet (*h*). III.

(*a*) Pius IV. *Conſtit. Romanum* an. 1560. negavit mulieribus jus præſentandi presbyteros, quod indignum ſit eas, quas in Eccleſia tacere jubet Apoſtolus, poſſe præficere paſtores Eccleſiis.

(*b*) Innoc. III. Cap. *per tuas* XXVI. Extr. *de jurepatr.* ſtatuit, neminem poſſe ſeipſum præſentare, *quantumcumque idoneus ſit*.

(*c*) Cap. *ſi laicus* unic. *de jurepatr.* in VI.

(*d*) Argum. Cap. *licet* III. Extr. *de ſuppl. negl. Prælat.*

(*e*) Cap. *eam te* XXII. Extr. *de jurepatr.*

(*f*) Cap. *quod autem* V. Cap. *quum autem* XXIV. & Cap. *paſtoralis* XXIX. eod. Duo notabis. I. Semel tantum patronus laicus variare poteſt, non ſemper ac libuerit. Unde in *cit.* Cap. *quum autem* dicitur: *alium æque idoneum*. Excipe, ſi prima præſentatio fuerit nulla, facta ſcilicet coram non habente poteſtatem inſtituendi, quia tum ea in numero præſentationum non computatur. Fagn. *ibid. num.* 8. & *ſeqq.* II. Si laicus unum poſt alterum præſentavit, uter duorum inſtituendus? Ita Innoc. *cit.* Cap. *paſtoralis*: *inſtitutio præſentati ſecundo loco a laico patrono robur obtinet firmitatis: verumtamen conſtituimus, ut epiſcopus, qui præſentatum idoneum malitioſe recuſavit admittere, ad providendum eidem in competenti beneficio compellatur.*

(*g*) Clement. *plures* II. *de jurepatr.* in VI.

(*h*) Ita Lucius III. in *cit.* Cap. *quum autem: verum ſi*,

III. Si a laico indignus nominatur, licebit quidem epiſcopo ipſum *repellere* (*a*). Sed poteſt tamen ab illo dignus ſecundo loco præſentari. Secus eſt in Eccleſiaſtico, qui propterea ea vice præſentandi jure privabitur (*b*). Tenetur enim, ut dictum eſt (*c*), patronus Eccleſiaſticus ſemper digniorem ex adprobatis ab Examinatoribus epiſcopo præſentare (*d*). IV. Nominatus a pa-

---

Collegium, *vel Eccleſiaſtica perſona præſentationem haberet*, *qui prior eſt tempore*, *jure potior eſſe videtur*. Seu, (ut explicat Fagnanus in *cit.* Cap. *num.* 19.), *idcirco Clericis variatio eſt interdicta*, *quia illorum præſentatio vim habet electionis*.

(*a*) Trid. *Seſſ.* XXV. *in Decret. de Reform. cap.* 9.

(*b*) Cap. *quum in cunctis* VII. §. 3. verb. *Clerici* Extr. *de elect.* Et Cap. *inter* XI. Extr. *de exceſſ. Prælat.*

(*c*) *Supr. pag.* 312.

(*d*) Celebris hoc loco reticenda non eſt Conſtitutio Bened. XIV. quæ incipit *redditæ ſunt*, quam an. 1746. ſcripſit ad epiſcopum Florentinum. Tria is quæſiverat. I. *An patronus Eccleſiaſticus teneatur in foro externo præſentare ad beneficium curatum eum*, *qui inter adprobatos ab Examinatoribus magis idoneus*, *& dignus eſt?* II. *An Epiſcopus*, *ad quem ſpectat dare inveſtitionem*, *debeat ſequi judicium patroni de magis idoneo*, *& magis digno*, *an potius inquirere*, *rectumne ſit judicium patroni*, *an ſecus?* III. *Si adpellaverit qui ſe digniorem eſſe putat*, *& eſt poſthabitus*, *an ſuſpendi debeat inſtitutio præſentati*, *an vero debeat hæc ſuum effectum ſortiri? Paucis*, *an adpellatio interpoſita locum habeat in devolutivo*, *an ſuſpenſivo?* Reſpondit ad ſingula Pontifex. Ad I. Quoniam hæc fuit mens Concilii: ſi beneficium *jurisſpatronatus Eccleſiaſtici erit*, *ac inſtitutio ad epiſcopum*, *& non alium pertineat*, *is*, *quem patronus digniorem inter adprobatos ab Examinatoribus judicabit*, *epiſcopo præſentari teneatur;* propterea locum ea habet, etiamſi epiſcopus de hoc patronum minime monuerit. Ad II. Non poteſt epiſcopus inquirere ſuper præſentatum; quum non poſſit extendere, aut reſtringere legem a Concilio præſcriptam. Quod ſi aliquis ab Examinatoribus adprobatus nolit adquieſcere judicio patroni, tunc licet epiſcopo in præſentatum inquirere, & patroni judicio minime ſtare. Ad III. Si judicatur aliquis dignus a patrono, & ab epiſcopo etiam, adpellatio erit in *devolutivo*: judicatus dignus a patrono, & ab epiſcopo ſi adpellet, locum ha-

patrono Eccleſiaſtico ad Eccleſiam Parochialem, nonniſi per Concurſum ad normam Tridentini eidem præficiendus eſt. Idem non eſt, ſi Eccleſia ſit *laici*, aut *mixti* juriſpatronatus. Tum enim non Concurſus, ut alibi diximus (*a*), requiretur, ſed ſatis erit examen, quo præſentatus adprobetur. Porro quod attinet ad conſtitutionem juriſpatronatus, *fundatione*, *ædificatione*, & *dotatione* ipſum adquiritur. Sed hæc tria debent *copulative* concurrere, adeo ut non ſatis ſit ad juriſpatronatus adquiſitionem fundi collatio, ſi deſit ædificatio, & dotatio; nec ædificatio, ſi nulla ſit dotis adſignatio; nec dos, ſi aut fundus, aut conſtructio deficiat (*b*). Plura hic advertas. I. Fundantes, conſtruentes, vel dotantes Eccleſiam, juſpatronatus ſemper adquirunt, etiamſi nulla adſit reſervationis proteſtatio; dummodo tamen expreſſe non renunciaverint (*c*). II. Deſtructa penitus Eccleſia, reædificanti illam, aut reficienti, adquiritur juſpatronatus, non autem primo patrono, qui ob deſtructionem excidit ſuo jure. Nihil autem refert, utrum

---

habebit adpellatio in *ſuſpenſivo*. Sed Eccleſia interim debet provideri de œconomo.

(*a*) *Tom.* II. *pag.* 350. Nimirum in *Mixto* attendenda eſt *qualitas*, quæ magis favet patronatui. Quare quoad Concurſum conſideratur ut *laicale*; quoad tempus vero præſentandi erit *Eccleſiaſticum*, ut propterea patronus laicus cum Eccleſiaſtico, uterque habeant ſemeſtre ad nominandum. Fagn. in Cap. *quum propter* XXVII. Extr. *de jurepatr. num.* 29. & 34.

(*b*) Fagnanus in Cap. *quoniam* III. Extr. *de jurepatr. num.* 23. & 48. Sed dices, quomodo vulgare illud Gloſſæ effatum intelligendum: *patronum faciunt dos, ædificatio, fundus?* Sane, quoniam non requiritur, ut una perſona omnia ſimul faciat, ſed ſatis eſt, ſi unus fundet, alter exſtruat, & tertius dotet; hinc triplici eo modo dicitur patronatus adquiri, ſi nempe tres diſtinctæ perſonæ ex diverſis cauſſis in ſolidum concurrant. Fagn. *ibid. num.* 49. Atque hac ratione fundatio plerumque etiam *conſtructio* nominatur, ut Can. *filiis* XXVIII. & Can. *monaſterium* XXX. *Cauſ.* XVI. *Quæſt.* 7. necnon Cap. *nobis* XXV. Extr. *de jurepatr.*

(*c*) Cap. *ſignificavit* XLI. Extr. *de teſt. & atteſt.* & Fagn. in Cap. *quum Eccleſia* XXXI. Extr. *de elect. num.* 35.

trum ex iiſdem, aut ex novis etiam cæmentis renovetur Eccleſia. Denuo tamen conſenſus Diœceſani requiritur, qui, antequam alteri exædificare volenti conſenſum præbeat, antiquum patronum certiorem faciet, cui, ni velit, quemlibet ille alium poteſt præferre. Idem dices, ſi pereunte fundo, vel dote, alter aut novum fundum, aut dotem adſignaverit (*a*). III. Infideles, & Hæretici, Eccleſiam conſtruentes, nullum ſibi comparant juſpatronatus, neque *habitu*, neque *actu*: fideles, utroque modo adquirunt, h. e. & jure, & exercitio gaudent præſentandi: excommunicatus *habitu* patronus efficitur, non autem *actu*, nimirum exercitium non habebit juriſpatronatus, ante cenſuræ abſolutionem (*b*). IV. Adquiritur præterea multipliciter juriſpatronatus privilegio Sedis Apoſtolicæ, ex cauſſa cuſtodiæ, vel protectionis (*c*), aut titulo etiam præſcriptionis (*d*). V. Denique hujuſmodi variis modis juriſpatrona-

---

(*a*) Fagn. *in cit.* Cap. *quoniam de jurepatr. num.* 50. *& ſeqq.*

(*b*) Fagn. *in* Cap. *nobis* XXV. Extr. *de jure patr. num.* 12. *& ſeq.*

(*c*) Antiquitus Eccleſiæ, & monaſteria, hoſtiles invaſiones patiebantur. Romani Pontifices, earum cuſtodiam nobili alicui commendabant, aut epiſcopi potentiorum fidem implorabant. Sæpe occurrunt in antiquis monumentis voces *Advocatorum*, *Defenſorum*, *Vicedominorum*, *Cuſtodum*, aliorumque, qui partes defenſionem, & curam aliquam Eccleſiarum ſuſcipiebant. Viris hujuſmodi, præſertim prævalentibus, aliquando juſpatronatus Eccleſia conceſſit ratione Regiæ protectionis; aliquando etiam anathema inflixit, eo quod prætextu cuſtodiæ, ſeu *guardiæ*, Eccleſiarum, vel monaſteriorum vacantium bona uſurparent, & diſſiparent. Cap. *præterea* IV. Extr. *de jurepatr.* & Cap. *generali* XIII. *de elect. in* VI.

(*d*) Ad probationem juriſpatronatus, non jam ſufficit poſſeſſio præſentandi, ſed requiritur etiam titulus ad normam Tridentini *Seſſ.* XXV. *in Decret. de Reform. cap.* 9. ubi hæc habet: *decernit S. Synodus, ut titulus juriſpatronatus ſit ex fundatione, vel dotatione; qui ex authentico documento, & aliis jure requiſitis oſtendatur, ſive etiam ex multiplicatis præſentationibus*

natus adquirendi accedere omnino debet conſenſus epiſcopi (*a*). Quo pacto ad novæ Eccleſiæ ædificationem, illius etiam veniam, conſcientiamque alibi diximus requiri oportere (*b*).

§. XIII. *Quibus modis juſpatronatus transfertur, vel amittitur. Jura patroni recenſentur.*

Ad rei, qua de agimus, abſolutionem, tria remanent diſpicienda. I. Transferri plane ad alios poteſt juſpatronatus, *ſucceſſione* (*c*), ad quoſcumque ſcilicet heredes univerſales (*d*); *venditione* villæ, hereditatis, caſtri, cui juſpatronatus adhæret (*e*); *permutatione*

---

nibus per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, aliaſve ſecundum juris diſpoſitionem. In iis vero perſonis, ſeu Communitatibus, *vel* Univerſitatibus, *in quibus id jus plerumque ex uſurpatione potius quæſitum præſumi ſolet, plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur; nec immemorabilis temporis probatio aliter eis ſuffragetur, quam ſi, præter reliqua ad eam neceſſaria, præſentationes etiam continuatæ, non minori ſaltem, quam quinquaginta annorum ſpatio, quæ omnes effectum ſortitæ ſint, authenticis ſcripturis probentur.* Vide Fagn. in Cap. *conſultationibus* XIX. Extr. *de jurepat. num.* 8. *& ſeqq.*

(*a*) Cap. *nobis* XXV. Extr. *de jurepatr.*

(*b*) *Supr. pag.* 264.

(*c*) Ita enim ſupponitur in Cap. *quoniam* III. Extr. *de jurepatr.* ubi *fundatores Eccleſiarum, aut heredes eorum*. In Cap. *prælatum*. I. eod. ubi *Eccleſiæ inter heredes patroni dividi non debeant*. Et in Clement. II. eod. ubi *plures ab uno ex patronis Eccleſiæ relicti heredes*.

(*d*) *Heredum* nomine veniunt teſtati, inteſtati; ex lege, aut jure Prætorio; ſive fideicommiſſarii, ſive Trebellianici; quique omnes formula *ad quem ea res pertinet* (de qua in L. *plura* 53. §. 1. D. *de oblig. & act.* & in L. *ſciendum* 70. §. 1. *de verb. ſign.*) comprehenduntur.

(*e*) Arg. Cap. *quum ſæculum* XIII. Extr. *de jurepatr.* & arg. Cap. *ex litteris* VII. Extr. *de jurepatr.* Quid, ſi unus heres proprietarius, alter uſufructuarius omnium bonorum inſtituatur? Jus nominandi ad uſufructuarium pertinere putat Fagna-

ne (a); & *donatione (b)*. II. Porro amittitur juſpatronatus *deſtructione*, ſi nimirum incendio, terræmotu, aliove caſu Eccleſia corruerit (*c*); aut etiam delicto, ſi patroni *Eccleſiæ Rectorem, vel clericum alium ipſius Eccleſiæ per ſe, vel per alios occidere, vel mutilare auſu nefando præſumſerint (d)*; vel ſi in hæreſim prolabantur (*e*). III. Jura denique patroni circa tria verſantur, *honorem, commodum, & onus*. *Honor* facultatem dat præſentandi, aditum proceſſionis, de quo paullo ante (*f*), &, prout regionum fert conſuetudo, locum in Eccleſia honoratiorem, ſepulturam, peculiares preces, & ſtemmna prætérea gentilitium. *Commodi* ratio id ſecum fert, ut ſi patroni, *aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Eccleſia ad ſuffragium vitæ, pro temporis uſu, percipiant (g)*; ab eaque ſi quem cenſum in *fundationis primordio* ſibi reſervarunt, exigere quotannis valeant

gnanus in *cit.* Cap. *ex litteris num.* 57. eo quod juſpatronatus in legato etiam omnium bonorum veniat.

(*a*) Arg. Cap. *quum olim* VI. & Cap. *exhibita* ult. Extr. *de rer. perm.* Intellige non de permutatione rei ſpiritualis cum temporali, ſed de ſpirituali cum ſpirituali. Gonzalez *Comm. in cit.* Cap. *exhibita*.

(*b*) Cap. *ex inſinuatione* XIV. Extr. *de jurepatr.* Sed requiriturne in hujuſmodi donatione conſenſus epiſcopi? Certe Bonifacius VIII. in Cap. *ſi laicus* unic. *de jurepatr.* in VI. donationem juriſpatronatus Eccleſiæ, vel loco religioſo factam *abſque adſenſu epiſcopi, efficacem* eſſe, decidit. Ex quo recte inferes, nullam eam eſſe, ſi in laicum, vel privatum clericum, inconſulto epiſcopo, conferatur.

(*c*) Arg. §. 3. *tit.* 4. *lib.* 2. *Inſtit.* ubi eo etiam modo *extingui uſufructum* adfirmat Juſtinianus.

(*d*) Cap. *in quibuſdam* XII. Extr. *de pœnis*.

(*e*) Cap. *vergentis* X. Extr. *de hæret.* ubi Bona Hæreticorum publicari ſtatuitur, in quorum univerſitate juſpatronatus etiam contineri neceſſe eſt.

(*f*) *Pag.* 325.

(*g*) Can. *quicumque* XXVII. *Cauſ.* XVI. *Quæſt.* 7. Idem habes ex Cap. *nobis* XXV. Extr. *de jurepatr.* Videtur id inductum ad ſimilitudinem juriſpatronatus civilis. Libertus enim ex

leant (*a*); *Onus* eſt, ut Eccleſiæ *ſolertiam*, & *curam habeant* patroni, eorumque filii, ac nepotes (*b*).

§. XIV. *Loca ſacra, bona Eccleſiaſtica, ac perſonæ, ſuis gaudent immunitatibus.*

Superest, ut de immunitatibus, ſeu *exemtionibus* quibuſdam, quæ locis ſacris, & bonis Eccleſiaſticis, nedum perſonis, accedere ſolent, nunc pauca ſubjiciamus. Triplicis eæ ſunt generis, *locales*, *reales*, & *perſonales*. I. Immunitas *localis eſt*, quæ ædibus Deo ſacris, itemque cœmeteriis, ac locis piis, in quibus divinus cultus potiſſimum exercetur, conceſſa eſt. Quare Eccleſiarum, *& divini cultus injuriam, capitali in convictos, ſeu confeſſos reos ſententia* vindicari Impp. Arcadius, & Honorius ſtatuerunt (*c*); eaſdem *jure minoris* illæſas ſervandas eſſe Alexander III. voluit (*d*); *cauſſas, ubi de ſanguinis effuſione, & corporali pœna agitur*, in ipſis a ſæcularibus judicibus agitari ſub anathematis interminatione prohibuit Lucius III. (*e*); *univerſitatum, & ſocietatum quarumlibet concilia, conciones, & publica parlamenta... negotiationes, & præcipue nundinarum, ac fori cujuſcumque tumultus* vetuit Gregorius X. (*f*); neque inde liberum hominem, quantumcumque gravia maleficia perpetravit, violenter extrahendum eſſe ſanxit Innocentius III. *niſi publicus latro fuerit, vel nocturnus populator agrorum* (*g*). II. *Realis*

ex indulgentia domini manumiſſus, in grati animi officium, eidem inopia laboranti alimenta præſtare tenebatur.

(*a*) Cap. *quanto* XVI. Extr. *de cenſ. exact. & procur.*

(*b*) Can. *filiis* XXVIII. & *ſeq. Cauſ.* XVI. *Quæſt.* 7.

(*c*) L. *ſi quis* 10. C. *de Epiſc. & Cler.*

(*d*) Cap. *requiſivit* I. Extr. *de integr. reſt.*

(*e*) Cap. *quum Eccleſia* V. Extr. *de immun. Eccleſ.*

(*f*) Cap. *decet* II. *de immun. Eccleſ.* in VI.

(*g*) Cap. *inter alia* VI. Extr. *de immun. Eccleſ.* Gregorius XIV. Conſtit. *cum alias* an. 1590. addidit graſſatores viarum, homicidas in locis ſacris, & cœmeteriis, reos aſſaſſinii, hæreſæos,

lis eſt, ante quam prædia, & poſſeſſiones Eccleſiaſticæ ab impoſitione tributorum, & quarumcumque civilium exactionum eximuntur. Quod non Canones ſolum ſub excommunicationis pœna (a), ſed & Principes etiam graviter caverunt (b). Excipe tamen, *ſi quando forte Epiſcopus ſimul cum Clericis tantam neceſſitatem, & utilitatem perſpexerint, ut abſque ulla coactione ad relevandas utilitates, vel neceſſitates communes, ubi laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia duxerint per Eccleſias conferenda.* Qua in re conſulendus prius eſt Romanus Pontifex (c). III. *Perſonalis* demum eſt, quæ perſonas ſpectat Eccleſiaſticas. Nimirum ut publicorum munerum, in quibus ſæcularis juriſdictio exercetur, expertes ſint (d); ad laicos Magiſtratus ſe ſiſtere minime compellantur, quod privilegium *fori* appellant (e); & nul-

ſæ*us*, & læſæ Majeſtatis, & Benedictus XIII. Conſtit. *ex quo* an. 1725. multa etiam hanc in rem declaravit, quod ſcilicet *latronis* nomine veniat etiam, qui ſemel graſſatus ſit, mortem dederit, vel membrum mutilaverit; quod nec privatur ſolum immunitate, qui occidit aliquem in Eccleſia, vel cœmeterio, ſed qui ſtans in Eccleſia alterum occidit extra Eccleſiam, aut ſtans extra Eccleſiam aliquem in Eccleſia interficit; quod non gaudent denique immunitate mandantes, mandatarii, occiſores *animo præmeditato*. falſificatores litterarum Apoſtolicarum, expilatores montium pietatis, telonii publici, banci pro depoſitis Principis, adulterantes monetas aureas, & argenteas, ſe intromittentes in domos mentito nomine Principis, vel Ordinariorum Curiæ. In Regno ſtamus Concordato, de quo fuſius in noſtris *Juris Neapolitani Prælect.*

(a) Cap. *non minus* IV. Cap. *adverſus* VII. Extr. *de immun. Eccleſ.* & Cap. *Clericis* III. eod. in VI.

(b) Can. *in qualibet* XXII. *Cauſ.* XXIII. *Quæſt.* 8. ubi Conſtantini, & Conſtantis, Valentiniani, & Valentis, necnon Juſtiniani ſanctiones referuntur.

(c) Innoc. III. in *cit.* Cap. *adverſus*. Quod Bonif. VIII. in cit. Cap. *Clericis* confirmavit.

(d) L. *presbyteros* 6. C. *de Epiſc.*, *& Cler.*

(e) Cap. *ultimo* II. & Cap. *quod Clericis* IX. Extr. *de foro compet.*

Digitized by Google

Digitized by Google

0058017724

Digitized by Google

Mc

Digitized by Google